

KAIS.KÖN.HOF



BIBLIOTHEK

58.526-A

Alt-

117. F. G2.



Spino
TRACTATUS
THEOLOGICO-POLITICUS,
Cui adjunctus est
Philosophia S. Scripturæ
INTERPRES.

Ab Autore longè Emendator.



58526-A.

Centrissimi editio per rara. 3/4

Anno Dom. 1674.
Digitized by Google



P R A E F A T I O.



I homines res omnes suas certo consilio regere possent : vel si fortuna ipsis prospera semper foret, nulla superstitione tene-rentur ; Sed quoniam eo saepe angustiarum rediguntur, ut consilium nullum adferre queant ; & plerumque ob incerta fortunæ bona, quæ sine modo cupiunt, inter spem metumque miserè fluctuant ; id è animum ut plurimum ad quidvis credendum pronissimum habent ; qui, dum in dubio est, facili momento huc , atque illuc pellitur , & multo facilius dum spe , & metu agitatus hæret , præfidens alias , jactabundus , ac tumidus. Atque hæc neminem ignorare existimo, quamvis plerosque se ipsos ignorare credam : nemo enim inter homines ita vixit , qui non viderit , plerosque in rebus prosperis , etsi imperitissimi sint , sapientia ita abundare , ut sibi injuriam fieri credant , si quis iis consilium dare velit ; in adversis autem , quo se vertant nescire , & consilium ab unoquoque supplices petere , nec ullum tam ineptum tamque absurdum , aut vanum audire , quod non sequantur : Deinde levissimis etiam de causis jam meli-

P R Ā F A T I O.

ora sperare, rursus deteriora timere; si quid enim, dum in metu versantur, contingere vident, quodeos præteriti alicujus boni, vel mali memores reddit, id exitum aut fælicem, aut infælicem obnunciare putant, quod propterea, quamvis centies fallat, faustum vel infaustum omen vocant. Si quid porro insolitum magna cum admiratione vident, id prodigium esse credunt, quod Deorum aut summi Numinis iram indicat, quodque adeo hostiis, & votis non piare, nefas habent homines superstitioni obnoxii, & religioni adversi; eumque ad modum infinita fingunt, & quasi tota natura cum ipsis insaniret, eandem miris modis interpretantur. Cum igitur hæc ita se habeant, tum præcipue videmus, eos omni superstitionis generi addictissimos esse, qui incerta sine modo cupiunt, omnesque tum maxime, cum scilicet in periculis versantur, & sibi auxilio esse nequeunt, votis, & lachrimis muliebribus divina auxilia implorare, & rationem (quia ad vana, quæ cupiunt, certam viam ostendere nequit) cæcam appellare, humanamque sapientiam vanam; & contrâ imaginationis deliria, somnia, & pueriles inæptias divina responsa credere, imo Deum sapientes aversari, & sua decreta

non

P R A E F A T I O.

non menti, sed pecudum fibris inscripsisse, vel eadem stultos, vesanos, & aves divino afflato, & instinctu prædicere. Tantum timor homines insanire facit. Causa itaque, à quâ superstitione oritur, conservatur & fovetur, metus est ; Cujus rei si quis, præter jam dicta, singularia exempla scire desiderat, Alexandrum videat, qui tum demum vates à superstitione animi adhibere cœpit, cum primum fortunam timere didicit in Pylis Syridis; (vide Curtii lib. 5. § 4.) post Darium autem victum ariolos, & vates consulere desit, donec iterum temporis iniquitate territus, quia Bactriani defecabant, & Scytæ certamen laceſſebant, dum ipse propter vulnus segnis jaceret, rursus (ut ipse Curtius lib. 7. §. 7. ait) ad superstitionem humanarum mentium ludibria revolutus, Aristandrum, cui credulitatem suam addixerat, explorare eventum rerum Sacrificiis jubet. Et ad hunc modum perplurima adferri possent exempla, quæ quam clarissime id ipsum ostendunt, homines scilicet nonnisi durante metu superstitione conflictari; eaque omnia, quæ unquam vana religione coluerunt, nihil præter phantasmat, animique tristis & timidi fuisse deliria : & denique vates in maximis impe-

P R A E F A T I O.

rii angustiis maximè in plebe regnavisse, maximeque formidolosos suis Regibus fuisse; sed, quandoquidem hæc apud omnes satis vulgata esse existimò, iisdem supersedeo.

Ex hâc itaque superstitionis causa clarè sequitur, omnes homines naturâ superstitioni esse obnoxios, (quicquid dicant alii, qui putant, hoc inde oriri, quod omnes mortales confusam quandam numinis ideam habent.) Sequitur deinde eandem variam admodum, & inconstantem debere esse, ut omnia mentis ludibria, & furoris impetus, & denique ipsam non nisi spe, odio, ira, & dolo defendi; nimirum, quia non ex ratione, sed ex solo affectu, eoque efficacissimo oritur. Quam itaque facile fit, ut homines quovis superstitionis genere capiantur, tam difficile contra est efficere, ut in uno, eodemque persistent; imo quia vulgus semper æque miserum manet, ideo nusquam diu acquiescit, sed id tantum eidem maxime placet, quod novum est, quodque nondum fecellit, quæ quidem inconstantia multorum tumultuum, & bellorum atrocium causa fuit; nam (ut ex modo dictis patet, & Curtius etiam lib 4. cap. 10. optime notavit) *nihil efficacius multitudinem*

P RÆ F A T I O.

tudinem regit, quam supersticio; unde fit, ut facile specie religionis inducatur, nunc Reges suos tanquam Deos adorare, & rursus eisdem execrari, & tanquam communem generis humani pestem detestari. Hoc ergo malum ut vitaretur, ingens studium adhucbitum est, ad religionem veram aut vanam, cultu & apparatu ita adornandum, ut omni momento gravior haberetur, summâque observantiâ ab omnibus semper coleretur, quod quidem Turcis fælicissime cessit, qui etiam disputare nefas habent, & judicium uniuscujusque tot præjudiciis occupant, ut nullum in mente locum sanæ rationi, ne ad dubitandum quidem, relinquent.

Verum enimvero si regiminis Monarchici summum sit arcanum, ejusque omnino intersit, homines deceptos habere, & metum, quo retineri debent, specioso Religionis nomine adumbrare, ut pro servitio, tanquam pro salute pugnent, & neturpe, sed maximum decus esse putent, in unius hominis jactationem sanguinem animamque impendere; nihil contra in libera republica excogitari, nec infælicius tentari potest; quandoquidem communi libertati omnino repugnat, li-

P RÆ F A T I O.

berum uniuscujusque judicium præjudiciis
occupare, vel aliquo modo coercere; &
quod ad seditiones attinet, quæ specie
religionis concitantur, ex profecto inde
tantum oriuntur, quod leges de rebus spe-
culativis conduntur, & quod opiniones
tanquam scelera pro crimine habentur, &
damnantur; quarum defensores & asseclæ
non publicæ saluti, sed odio ac fævitiae
adversariorum tantum immolantur. Quod
si ex jure imperii, non nisi *facta argue-
rentur*, & *dicta impune essent*, nullâ juris
specie similes seditiones ornari possent,
nec controversiae in seditiones verterentur.
Cum itaque nobis hæc rara fælicitas con-
tigerit, ut in Republica vivamus, ubi u-
nicuique judicandi libertas integra, & De-
um ex suo ingenio colere conceditur, &
ubi nihil libertate charius, nec dulcius ha-
betur, me rem non ingratam, neque in-
utilem facturum credidi, si ostenderem
hanc libertatem non tantum salva pietate,
& Reipublicæ pace concedi, sed insuper
eandem, non nisi cum ipsa Pace Repu-
blicæ, ac pietate tolli posse: Atque hoc
præcipuum est, quod in hoc tractatu de-
monstrare constitui; ad quod apprime ne-
cessè fuit, præcipua circa religionem pre-
judicia,

P R Æ F A T I O.

judicia, hoc est, antiquæ servitutis vestigia indicare, tum etiam præjudicia circa summarum potestatum jus, quod multi procastissimâ quadam licentiâ magna ex parte arripere, & specie religionis multitudinis animum, Gentilium superstitioni adhuc obnoxium, ab iisdem avertere student, quo omnia iterum in servitium ruant. Hæc autem quo ordine ostenduntur, paucis jam dicam; sed prius causas, quæ me ad scribendum impulerunt, docebo.

Miratus sœpe fui, quod homines, qui se Christianam religionem profiteri jaſtant, hoc est, amorem, gaudium, pacem, continentiam, & erga omnes fidem, plus quam iniquo animo certarent, & acerbissimum in invicem odium quotidie exercerent, ita ut facilius ex his, quam illis fides uniuscujusque noscatur; jam dudum enim res eo pervenit, ut neminem fere, quisnam sit, num scil: Christianus, Turca, Judæus, vel Ethnicus, noscere possis, nisi ex corporis extero habitu, & cultu, vel quod hanc, aut illam Ecclesiæ frequentat, vel denique, quod huic, aut illi opinioni addictus est, & in verbo alicujus magistri jurare solet. Cæterum vita eadem omnibus est. Hujus igitur mali causam quærens non dubitavi,

P R CÆ F A T I O.

quin inde ortum fuerit, quod Ecclesiæ ministeria dignitates, & ejus officia beneficia æstimare, & pastores summo honore habere, vulgo religioni fuit; simulac enim hic abusus in Ecclesia incepit, statim pessimo cuique ingens libido sacra officia administrandi incessit, & amor divinæ religionis propagandæ in sordidam avaritiam & ambitionem, atque ita ipsum templum in Theatrum degeneravit, ubi non Ecclesiastici Doctores, sed oratores audiebantur, quorum nemo desiderio tenebatur populum docendi, sed eundem in admirationem sibi rapiendi, & dissentientes publice carpendi, & ea tantum docendi, quæ nova ac insolita, quæque vulgus maxime admiraretur, unde profecto magnæ contentiones, invidia & odium, quod nulla vetustate sedari potuit, oriri debuerunt. Non ergo mirum, quod antiquæ Religionis nihil manserit præter ejus externum cultum (quo vulgus Deum magis adulari, quam adorare videtur) & quod fides jam nihil aliud sit, quam credulitas & præjudicia: at quæ præjudicia? quæ homines ex rationalibus brutos reddunt, ut pote quæ omnino impediunt, quominus unusquisque libero suo judicio utatur, &

verum

P R A E F A T I O.

verum a falso dignoscat, & quæ veluti ad lumen intellectus penitus extinguendum, datâ operâ excogitata videntur. Pietas, proh! Deus immortalis, & Religio in absurdis arcanis consistit, & qui rationem prorsus contemnunt, & intellectum tanquam naturâ corruptum rejiciunt, & averfantur, isti profecto, quod iniquissimum est, divinum lumen habere creduntur. Sane si vel luminis divini scintillam tantum haberent, non tam superbe insanirent, sed prudentius Deum colere discerent, & ut jam odio; amore contra inter reliquos excellerent; nec tam hostili animo eos, qui cum ipsis non sentiunt, persequerentur, sed eorundem potius, (siquidem ipsorum saluti, & non suæ fortunæ timent) miserentur. Præterea si lumen aliquod Divinum haberent, id saltem ex doctrina constaret; fateor, eos nunquam satis mirari potuisse Scripturæ profundissima mysteria, attamen, præter Aristotelicorum vel Platonicorum speculationes, nihil docuisse video; atque his, ne Gentiles sectari videbentur, Scripturam accommodaverunt. Non satis his fuit, cum Græcis insanire, sed Prophetas, cum iisdem deliravisse voluerunt: quod sane clare ostendit eos Scripturæ divi-

P R C E F A T I O.

divinitatem nec per somnium videre; & quo impensis hæc mysteria admirantur, eo magis ostendunt, se Scripturæ non tam credere, quam assentari; quod hinc etiam patet, quod plerique tanquam fundatum supponunt, (ad eandem scilicet intelligendum, ejusque verum sensum erendum) ipsam ubique veracem, & divinam esse; id nempe ipsum, quod ex ejusdem intellectione, & severo examine demum deberet constare: & quod ex ipsa, quæ humanis figmentis minime indiget, longo melius edoceremur, in primo limine pro regula ipsius interpretationis statuunt.

Cum hæc ergo animo perpenderem, scilicet lumen naturale non tantum contemni, sed a multis tanquam impietatis fontem damnari; humana deinde commenta pro divinis documentis haberi; credulitatem fidem aestimari; & controversias philosophorum in Ecclesiâ, & in Curiâ summis animorum motibus agitari, ac inde sœvissima odia, atque dissidia, quibus homines facile in seditiones vertuntur, plurimaque alia, quæ hic narrare nimis longum foret, oriri animadverterem: Sedulo statui, Scripturam de novo integro & libero animo examinare, & nihil de eadem affirmare, nihilque tanquam ejus doctrinam admittere, quod ab eadem clarissime

P R C Æ F A T I O.

sime non edocerer. Hac igitur cautione Methodum Sacra volumina interpretandi concinnavi, & hac instructus quærere ante omnia incepi, quid esset Prophetia? & qua ratione Deus sese Prophetis revelaverit? & cur hi Deo accepti fuerint? num scil. propterea quod de Deo & natura sublimes habuerint cogitationes? an vero propter solam pietatem? Postquam hæc novi, facile determinare potui, Prophetarum authoritatem in iis tantum pondus habere, quæ usum vi-
tæ, & veram virtutem spectant, cæterum eorum opiniones nos parum tangere. His cognitis quæsivi deinde, quid id fuerit propter quod Hebræi Dei electi vocati fuerint? Cum autem vidissim hoc nihil aliud fuisse, quam quod Deus ipsis certam mundi plagam elegerit; ubi secure, & cōmode vi-
vere possent; hinc didici Leges Mosi a Deo revelatas, nihil aliud fuisse, quam jura sin-
gularis Hebræorum imperii, ac proinde easdem præter hos neminem recipere debuif-
se; imo nec hos etiam, nisi stante ipsorum im-
perio, iisdem teneri. Porro, ut scirem num ex
Scriptura concludi posset, humanum intel-
lectum naturâ corruptum esse, inquirevo-
lui, num Religio catholica, sive lex divina
per Prophetas & Apostolos universo humano
generi revelata alia fuerit, quam illa, quam
etiam

P R E F A T I O.

etiam lumen naturale docet? & deinde num miracula contra naturæ ordinem contigerint, & num Dei existentiam, & providentiam certius, & clarius doceant, quam res, quas clare & distincte per primas suas causas intelligimus? Sed cum in iis, quæ Scriptura expresse docet, nihil reperissem, quod cum intellectu non conveniret, nec quod eidem repugnaret, & præterea vide rem Prophetas nihil docuisse, nisi res ad modum simplices, quæ ab unoquoque facile percipi poterant, atque has eo stylo adornavisse, iisque rationibus confirmavisse, quibus maxime multitudinis animus ad devotionem erga Deum moveri posset; omnino mihi persuasi, Scripturam rationem absolute liberam relinquere, & nihil cum Philosophia commune habere, sed tam hanc, quam illam proprio suo talo niti. Ut hæc autem apodictice demonstrarem, remque totam determinarem, ostendo, qua viâ Scriptura sit interpretanda, & quod tota ejus rerumque spiritualium cognitio ab ipsa sola, & non ab iis, quæ lumine naturali cognoscimus, peti debeat. Hinc transeo ad ea præjudicia ostendenda, quæ inde orta sunt, quod vulgus, (superstitioni addictum, & quod temporis reliquias, supra ipsam æ-

P RÆFATI O.

ternitatem amat) libros potius Scripturæ, quam ipsum Dei verbum adoret. Post hæc ostendo verbum Dei revelatum non esse certum quendam numerum librorum, sed conceptum simplicem mentis divinæ Prophetis revelatæ; scilicet Deo integro animo obedire, iustitiam & charitatem colendo. Atque hoc ostendo in Scriptura doceri secundum captum, & opiniones eorum, quibus Prophetæ & Apostoli hoc verbum Dei prædicare solebant; quod ideo fecerunt, ut id homines sine ulla repugnantia, atque integro animo amplecterentur. Fundamentalibus deinde fidei ostensis, concludo denique objectum cognitionis revelatæ nihil esse præter obedientiam, atque adeo à naturali cognitione tam objecto, quam fundamentis, & mediis prorsus distinctam esse, & nihil cum hac commune habere, sed tam hanc, quam illam suum regnum absque ulla alterius repugnantiâ obtinere, & neutrum alterutri ancillari debere. Porro quia hominum ingenium varium admodum est, & calius his, aliis illis opinionibus melius acquisit, & quod hunc ad religionem, illum ad risum movet, inde cum supra dictis concludo, unicuique sui judicii libertatem, & potestatem fundamenta fidei ex suo ingenio inter-

P RÆFATI O.

interpretandi relinquendam & fidem unius-
cujusque ex solis operibus judicandam, num
pia, an impia sit? sic ergo omnes integro, &
libero animo Deo obedire poterunt, & sola
justitia, & charitas apud omnes in pretio erit.
Postquam his libertatem, quam lex divina
revelata unicuique concedit, ostendi, ad alte-
ram quæstionis partem pergo; nempe hanc
eandem libertatem salvâ reipublicæ pace, &
summarum potestatum jure posse, & etiam
cōcedi debere, nec posse adimi, absq; magno
pacis periculo, magnoque totius Reipublicæ
detrimento: ad hæc autem demonstrandum
à jure naturali uniuscujusque incipio; quod
scil: eo usque se extendit, quo uniuscujusque
cupiditas & potentia se extendit, & quod
nemo jure naturæ ex alterius ingenio vivere
tenetur, sed suæ unusquisq; liberatis vindex
est. Præterea ostendo hoc jure neminem re-
vera cedere, nisi qui potestatem se defen-
dendi in aliū transfert, atque eum necef-
fario hoc jus naturale absolute retinere, in
quem unusquisq; jus suum ex proprio suo in-
genio viuendi, simul cum potestate sese de-
fendendi transtulit; atque hinc ostendo, eos,
qui summū imperium tenent, jus ad omnia,
quæ possunt, habere, soloq; vindices juris, &
libertatis esse, reliquos autem ex solo eorum
decreto omnia agere debere. Verum quo-
niām

P R Ā F A T I O.

niam nemo potestate suā se defendendi ita privare potest, ut homo esse desinat, hinc concludo, neminem jure suo naturali absolute privari posse, sed subditos quædam quasi naturæ jure retinere, que iis adimi non possunt sine magno imperii periculo, quæque adeo ipsis vel tacite conceduntur, vel ipsis expressè cum iis, qui imperium tenent, stipulantur. His consideratis ad rem publicam Hebræorum transeo, quam, ut ostendam quâ ratione, & quorum decreto Religio vim juris habere incepit, & obiter etiam alia, quæ scitu digna videbantur, sati prolixè describo. Post hæc ostendo, eos qui summum imperium tenent, non tantum juris civilis, sed etiam sacri vindices, & interpres esse, eosque solos jus habere discernendi, quid justum, quid injustum, quid pium, & quid impium sit: & tandem concludo, eosdem hoc jus optimè retinere, & imperium tuto conservare posse, si modò unicuique & sentire, quæ velit, & quæ sentiat dicere concedatur.

Hæc sunt Philosophæ lector, quæ tibi hic examinando do, quæque non ingrata fore confido ob præstantiam, & utilitatem argumenti, tam totius operis, quam unius-
cujusque capitum, de quibus plura adderem,

B

sed

P R Ā F A T I O.

sed nolo ut hæc præfatio in volumen crescat, præsertim quia præcipua philosophis satis superque nota esse credo; reliquis autem hunc tractatum commendare non studio, nam nihil est quod sperem, eundem iis placere aliqua ratione posse; novi enim, quam pertinaciter ea præjudicia in mente inhærent, quæ pietatis specie amplexus est animus; novi deinde, æquè impossibile esse vulgo superstitionem adimere, ac metum: novi denique constantiam vulgi contumaciam esse; nec ratione regi, sed impetu rapi ad laudandum vel vituperandum. Vulgus ergo & omnes, qui cum vulgo iisdem affectibus conflictantur, ad hæc legenda non invito, quin potius vellem, ut hunc librum prorsus negligant, quam eundem perverse, ut omnia solent, interpretando, molesti sint, & dum sibi nihil profunt, aliis obsint, qui liberius philosopharentur, nisi hoc unum obstaret, quod putant rationem debere Theologiæ ancillari; nam his hoc opus perquam utile fore confido.

Cæterum quoniam multis nec otium, nec animus forsan erit, omnia perlegere, cogor hic etiam ut in fine hujus tractatus monere, me nihil scribere, quod non libentissime exa-

P R Æ F A T I O.

examini, & judicio summarum Potestatum
Patriæ meæ subjiciam, nam si quid horum,
quæ dico, judicabunt patriis legibus repug-
nare, vel communi saluti obesse, id ego
indictum volo. Scio me hominem esse, &
errare potiesse, ne autem errarem sedulò
curavi, & apprime, ut quicquid scriberem,
legibus patriæ, pietati, bonisque moribus
omnino responderet.



B 2 IN-

INDEX CAPITUM.

C A P U T I.

DE Prophetia.

C A P U T II.

De Prophetis.

C A P U T III.

*De Hebreorum vocatione. Et an Donum Propheeticum
Hebreis peculiare fuerit.*

C A P U T IV.

De Lege Divina.

C A P U T V.

*De Ratione, cur Ceremonia instituta fuerint, & de si-
de historiarum, nempe, qua ratione, & quibus ea
necessaria sit.*

C A P U T VI.

De miraculis.

C A P U T VII.

De Interpretatione Scripture.

C A P U T VIII.

*In quo ostenditur Pentateuchon & libros Iosua, Iudicum,
Rut, Samuëlis & Regum non esse autographa. De-
inde inquiritur an eorum omnium Scriptores plures fue-
rint, an unus tantum, & quinam.*

C A P U T IX.

*De iisdem Libris alia inquiruntur, nempe an Hezras ius
ultimam manum imposuerit: & deinde utrum nota
marginales, qua in Hebreis codicibus reperiuntur,
varie fuerint lectiones.*

C A P.

INDEX CAPITUM.

C A P U T X.

Reliqui Veteris Testamenti Libri eodem modo quo superioribus examinantur.

C A P U T XI.

Inquiritur an Apostoli Epistolas suas tanquam Apostoli & Prophetarum; an vero tanquam Doctores scripsissent. Deinde Apostolorum officium ostenditur.

C A P U T XII.

De vero Legis divina syngrapho, & qua ratione Scriptura Sacra vocatur, & qua ratione Verbum Dei. Et deinde ostenditur ipsam, quatenus Verbum Dei continet, incorruptam ad nos pervenisse.

C A P U T XIII.

Ostenditur Scripturam non nisi simplicissima docere, nec aliud prater obedientiam intendere; nec de divina Naturâ aliud docere, quam quod homines certa vivendi ratione imitari possunt,

C A P U T XIV.

Quid sit fides, quinam fideles, fidei fundamenta determinantur, & ipsa à Philosophia tandem separatur.

C A P U T XV.

Nec Theologiam Rationi, nec Rationem Theologie anciliari; ostenditur & ratio, quâ nobis S. Scriptura auctoritatem persuademus.

C A P U T XVI.

De Republicae Fundamentis; de jure uniuscujusque naturali & civili; deque Summarum Postulatum Iure.

INDEX CAPITUM.

C A P U T X V I I .

Ostenditur nominem omnia in summarum Potestatem transferre posse, nec esse necesse: De Republica Hebreorum, qualis fuerit vivente Mose, quodlis post ejus mortem antequam Reges elegerint, deque ejus prestanitia. Et denique de causa car Republica divina interire, Et vix absque seditionibus subsistere potuerit.

C A P U T X V I I I .

Ex Hebreorum Republica, & Historijs quadam dogmata Politica concluduntur.

C A P U T X I X .

Ostenditur, ius circa sacra penes summam potestates omnino esse, & Religionis cultum externum Republica paci accommodari debere, si Rege Deo obtemperare velimus.

C A P U T X X .

Ostenditur, in Libera Republica unicuique & sentine, qua velit, & qua sentiat dicere licere.

T R A C -

TRACTATUS THEOLOGICO- POLITICI

CAPUT. I.

De Prophetia.

Prophetia sive Revelatio est rei aliqui certa cognitio à Deo hominibus revelata. Propheta autem iste est, qui Dei revelata iis interpretatur, qui rerum à Deo revelatarum certam cognitionem habere nequeant, quique ad eò merè fide res revelatas amplecti tantum possunt. Propheta enim apud Hebreos vocatur נָבִי, id est, orator & interpres, at in Scriptura semper usurpatur pro Dei interprete, ut ex cap. VII. 1. Exodi colligitur. Ubi Deus Mosi dicit, *ecce te constituo Deum Pharaonis, & Aharon tuus frater erit tuus Propheta.* Quasi diceret, quoniam Aharon ea, quae tulouqueris, Pharaoni interpretando, personam agit prophetæ, eris tu igitur quasi Deus Pharaonis, sive qui vicem Dei agit.

De Prophetis in sequente capite, hic de Prophetiâ agemus, ex tuis jam traditâ definitione sequitur cognitionem naturalem, Prophetiam vocari posse. Nam ea, quæ lumine naturali cognoscimus, a sola Dei cognitione, ejusque æternis

nis decretis dependent. Verum, quia hæc cognitio naturalis omnibus hominibus hominibus est, dependet enim à fundamentis omnibus communibus, ideo a vulgo, ad rara semper, & a sua naturâ aliena anhelante, & dona naturalia spernente, non tanti æstimatur, & propterea, ubi de cognitione propheticâ loquitur, hanc exclusam vult, attamen nihilominus æquali jure, ac alia, quæcunque illa sit, divina vocari potest, quandoquidem Dei natura, quatenus de ea participamus, Deique decreta eam nobis quasi dictant, nec ab illâ, quam omnes divinam vocant, differt, nisi quod ea ultra limites hujus se extendit, & quod humanæ Naturæ leges, in se consideratæ, non possunt ejus esse causa, at respectu certitudinis, quam naturalis cognitio involvit; & fontis, è quo derivatur (nempe Deo) nullo modo cognitioni propheticæ cedit. Nisi forte aliquis intelligere, vel potius somniare velit, Propheta corpus quidem humanum, mentem vero non humanam habuisse, adeoque eorum sensationes, & conscientiam alterius prorsus naturæ, quam nostræ sunt, fuisse.

At, quamvis scientia naturalis divina sit, ejus tamen propagatores non possunt vocari Prophetæ. Nam quæ illi docent, reliqui homines aquâli certitudine, & dignitate, ac ipsi, percipere possunt, atque amplecti, idque non ex fide sola.

Cum itaque mens nostra ex hoc solo, quod Dei Naturam objective in se continet, & de eadem participat, potentiam habeat ad formandas quasdam notiones rerum naturam explicantes, & viæ usum docentes; meritò mentis naturam, qua-

te-

tensus talis concipitur, primam divinæ revelationis causam statuere possumus; ea enim omnia, quæ clare, & distincte intelligimus, Dei idea (ut modo indicavimus) & natura nobis dictat, non quidem verbis, sed modo longe excellente, & qui cum natura mentis optime convenit, ut unusquisque, qui certitudinem intellectus gustavit, apud se, sine dubio expertus est. Verum quoniam meum institutum præcipue est, de iis tantum loqui, quæ solam Scripturam spectant; sufficit de Lumine naturali hæc pauca dixisse. Quare ad alias causas, & media, quibus Deus ea hominibus revelat, quæ limites naturalis cognitionis excedunt, & etiam quæ non excedunt (nihil enim impedit, quominus Deus ea ipsa, quæ nos lumine naturæ cognoscimus, aliis modis hominibus communicet) pergo, ut de iis prolixius agam.

Verum enim vero quicquid de iis dici potest ex Scriptura sola peti debet. Nam quid de rebus, limites nostri intellectus excedentibus dicere possumus, præter id, quod ex ipsis Prophetis ore, vel scripto nobis traditur? Et quia hodie nullos, quod sciam habemus Prophetas, nihil nobis relinquitur, nisi sacra volumina nobis a Prophetis relicta evolvere. Hac quidem cautione, ut nihil de similibus rebus statuamus, aut ipsis Prophetis aliquid tribuamus, quod ipsis non clare dixerunt. Sed hic apprime notandum quod Iudei nunquam causarum mediarum, sive particularium faciunt mentionem, nec eas currant, sed religionis ac pietatis, sive (ut vulgo dici solet) de-votionis causâ ad Deum semper recurrent; si enim

ex.gr. pecuniam mercaturâ lucratî sunt, eam a Deo
ubi oblatam ajunt, si aliquid, ut sit, cupiant, di-
cant, Deum eorum cor disposeruisse, & si quidetiam
cogitant, Deum id eis dixisse ajunt. Quare non
omne id, quod Scriptura ait Deum alicui dixisse,
pro Prophetia, & cognitione supranaturali ha-
bendum, sed tantum id, quod Scriptura expressè
dicit, vel quod ex circumstantiis narrationis se-
quitur, Prophetiam, sive revelationem fuisse.

Si igitur Sacra Volumina percurramus, vide-
bimus, quod omnia, quæ Deus Prophetis reve-
lavit, iis revelata fuerunt, vel verbis, vel figu-
ris, vel utroque hoc modò, verbis scil., & fi-
guris. Verba vero, & etiam figuræ vel veræ
fuerunt, & extra imaginationem Prophetæ au-
dientis, seu videntis; vel imaginariæ, quia ni-
mirum Prophetæ imaginatio, etiam vigilando,
ita disponebatur, ut sibi clare videretur verba
audire, aut aliquid videre.

Voce enim verâ revelavit Deus Moysi Leges,
quas Hebræis præscribi volebat, ut constat ex
Exodo xxv. 22, ubi ait שְׁמָךְ לֹא תַּנִּعֵר
וְרֹבֶרֶת אֶת־יְדֵךְ מִלְּעָלָה כְּפֹרָת מִתְּנִין שְׁנִי הַכְּרוּבִים
& paratus ero tibi ibi, & loquar tecum ex illa parte te-
gminis, quæ est inter duos Cherubines. Quod quidem
ostendit, Deum usum fuisse voce aliquâ verâ,
quandoquidem Moses, ubicunque volebat, Deum
ibi ad loquendum sibi paratum inveniebat. Et
hæc sola, quâ scilicet lex prolatâ fuit, vera fuit
vox, ut mox ostendam.

Vocem, quâ Deus Shamuëlem vocavit, veram.
suspiceret fuisse, quia 1. Shamuëlis III. vers. ul-
timo

etimō dicitur. להראה בשרה כי נגלה וְזֹהַא אֶל שְׁמוֹאֵל כִּי לְבָדְכָר יְהוָה
rurus apparet Deus Shamuëli in Shilo, quia manifestans fuit Deus Shamuëli in Shilo verbo Dei; quasi diceret, apparitio Dei Shamuëli nihil aliud fuit, quam quod Deus se verbo ipsi manifestavit, vel nihil aliud fuit, quam quod Shamuël Deum audiverit loquentem. Attamen, quia cognitius distinguere inter Prophetiam Mosis, & reliquarum Prophetarum; necessarium dicendum hanc vocem a Shamuële auditam, imaginariam fuisse; quod inde etiam colligi potest, quod ipsa vocem Heli, quam Shamuël maxime audire solebat, adeoque promptius etiam imaginari poterat, referebat: ter enim à Deo vocatus, iuspicatus est se ab Heli vocari. Vox, quam Abimelech audivit, imaginaria fuit; Nam dicitur Gen. xx. vers. 6. *Et dixit ipsi Deus in somni &c.* Quare hic non vigilando, sed tantum in somnis (tempore scilicet, quo imaginatio maxime naturaliter apta est, ad res, quae non sunt, imaginandum) Dei voluntatem imaginari potuit.

Verba Decalogi ex opinione quorundam Juðæorum non fuerunt à Deo prolatæ, sed putant, quod Israëlitæ strepitum tantum audiverunt, nulla quidem verba profetentem atque eis durante Leges Decalogi purâ mente percepérunt. Quod ego etiam aliquando suspicatus sum, quia videbam verba Decalogi Exodi variare ab iis Decalogi Deut.; ex quo videtur sequi (quandoquidem Deus sennel tantum locutus est,) Decalogum non ipsa Dei verba, sed tantum sententias docere velle. Attamen nisi Scripturæ vim inferre velimus omnino concedendum est, Israëlitæ veram vo-

cem

cem audivisse. Nam Scriptura Deut. v. 4. expresse dicit פָנִים בְפָנֵים דָבָר יְהוָה עַמּכֶם וּנְגַדֵּל De facie ad faciem locutus est Deus vobiscum &c. hoc est, ut duo homines suos conceptus invicem, mediantibus suis duobus corporibus, communicare solent. Quapropter magis cum Scriptura convenire videtur, quod Deus aliquam vocem verè creavit, qua ipse Decalogum revelavit. Causa autem cur verba, & rationes unius à verbis & rationibus alterius variant, de ea vide cap. VIII. Verum enim vero nec hoc modo omnis tollitur difficultas. Nam non parum à ratione alienum videtur, statuere, quod res creata, à Deo eodem modo, ac reliquæ, dependens, essentiam, aut existentiam Dei re, aut verbis, exprimere, aut explicare per suam personam posset. Nempe dicendo in prima persona ego sum Jehovah Deus tuus &c.; Et quamvis, ubi aliquis ore dicit, ego intellexi, nemo putet, os sed tantum mentem hominis id dicentis intellexisse, quia tamen os ad naturam hominis id dicentis refertur, & etiam is, cui id dicitur, naturam intellectus perceperat, mentem hominis loquentis per comparationem sui facile intelligit. At qui Dei nihil præter nomen antea noverant, & ipsum alloqui cupiebant, ut de ejus Existentiâ certi fierent; non video quomodo eorum petitioni satisfactum fuit per creaturam (quæ ad Deum non magis, quam reliqua creata, refertur, & ad Dei natu-ram non pertinet) quæ diceret, ego sum Deus. Quæso quid si Deus labia Mosis, sed quid Mosis? imo alicujus bestiæ contorsisset ad eadem pronun-tiandum, & dicendum, ego sum Deus, an inde Dei

Dei existentiam intelligerent? Deinde Scriptura omnino indieare videtur Deum ipsum locutum fuisse, (quem ad finem è cælo supra montem Sinai descenderit,) & Judæos non tantum eum loquentem audivisse, sed Magnates eum etiam vidisse (vide Exod. xxiv.) nec Lex, Mosi revelata, cui nihil addere, nihil adimere licet, & quæ tanquam jus Patriæ instituta fuit, unquam præcepit, ut credamus, Deum esse incorporeum, nec etiam eum nullam habere imaginem, sive figuram, sed tantum Deum esse, eique credere, eumque solum adorare, à cuius cultu ne discederent, præcepit, ne ei aliquam imaginem affingerent, nec ullam facerent; Nam, quandoquidem Dei imaginem non viderant, nullam facere potuerant, quæ Deum, sed quæ necessario rem aliam creatam, quam viderant, referret, adeoque ubi Deum per illam imaginem adorent, non de Deo, sed de re, quam illa imago referret, cogitarent, & sic tandem honorem Dei, ejusque cultum illi rei tribuerent. Quinimo Scriptura clare indicat Deum habere figuram, & Mosi, ubi Deum loquentem audiebat, eam aspexisse, nec tamen videre contigisse, nisi Dei posteriora. Quare non dubito, quin hic aliquod lateat mysterium, de quo infra fusius loquemur. Hic ostendere pergam loca Scripturæ, quæ media indicant, quibus Deus sua decreta hominibus revelavit.

Quod Revelatio per solas imagines contigit, patet ex primo Paralip. xxii. ubi Deus Davidi iram suam ostendit per Angelum, gladium manus prehendentem. Sic etiam Balamo. Et quamvis

vix Maimonides, & alii hanc historiam & itidem omnes, quæ Angeli alicujus apparitionem narrant, ut illa Manoæ, Abrahami, ubi filium immolare putabat, &c. in somnis contigisse volunt; non verò, quod aliquis oculis apertis Angelum videre potuerit: illi sane gariunt; nam nihil aliud curaverunt, quam nugas Aristotelicas, & sua propria figmenta ex Scriptura extorquere; quo mihi quidem nihil magis ridiculum videtur.

Imaginibus vero non realibus, sed à sola imaginatione Prophetae dependentibus revelavit Deus Josepho Dominium sibi futurum.

Per imagines & verba revelavit Deus Josuæ, se pro iis pugnaturum, nimirum ostendens ei Angelum cum gladio, quasi Ducem exercitus, quod etiam verbis ei revelaverat, & Josua ab Angelo audiverat. Esaiæ etiam (ut cap. VI narratur) representatum fuit per figuræ Dei providentiam populum deserere, nempe imaginando Deum rex Sanctum in throno altissimo, & Israëlitas illuvie peccatorum inquinatos, & sterquiliniis quasi immersos, adeoque à Deo maxime distantes. Quibus presentem populi miserrimum statum intellexit, ejusdem vero futuræ calamitates, verbis, tanquam à Deo prolatis, ei revelatae fuerunt. Et ad hujus exemplar multa possem adderre exempla ex Sacris Literis, nisi putarem ea omnibus esse satis nota.

Sed hæc omnia clarius confirmantur ex textus Numer. 6. 7. sic sonante; אִם יְהִי בְּמַרְאָה כְּמַרְאָה אֶלְיוֹן אֲתֹודָע בְּחַלוּם אֲדָבֵר בּוֹ לֹא כִּنְעַדְתִּי כִּשְׁה וְנוּ פָה אֶל פָה אֲדָבֵר בּוֹ Si aliquis מַרְאָה וְלֹא בְּחִידּוֹת וְתָמוֹנָת יְהֹוָה יִבְּשֶׂת vestri

vestiti Propheta Dei erit, in visione ei revelabor (id est per figuras, & hieroglyphica; nam de Prophe-tia Mosis ait esse visionem sine hieroglyphicis.) *in somni loquer ipsi*, (id est non verbis realibus, & verâ voce.) *Verum Moysi non sic (revelor) ore ad os loquer ipsi, & visione, sed non enigmatis, & imaginem Dei aspicit*, hoc est, me aspiciens, ut socius, non verò perterritus tecum loquitur; ut habetur in Exodo xxxi i i 17. Quare non dubitandum est, reliquos Prophetas, vocem veram non audiisse, quod magis adhuc confirmatur ex Deut. xxxiv v. 10. ubi dicitur **וְלֹא כִּי נָכַר אֲשֶׁר** בְּיִשְׂרָאֵל כִּמְשָׁה אֲשֶׁר יְדֻשֵּׁ יְהוָה פְנֵים **אֶל** פְנֵים & non constat, (propriè surrexit,) *unquam Israëli propheta sicut Moses, quem Deus noverit de facie ad faciem*; quod quidem intelligendum est per solam vocem; nam nec Moses ipse Dei faciem nunquam viderat; (Exodi xxxii i)

Præter hæc media, nulla alia, quibus Deus se hominibus communicaverit, in Sacris Litteris reperio, adeoque ut supra ostendimus, nulla alia fingenda, neque admittenda. Et quamvis clare intelligamus, Deum posse immediate se hominibus communicare; nam nullis mediis corporeis exhibitis, menti nostræ suam essentiam communicat; attamen ut homo aliquis sola mente aliqua perciperet, quæ in primis nostræ cognitionis fundamentis non continentur, nec ab iis deduci possunt, ejus mens præstantior necessario, atque humanâ longe excellentior esse deberet. Quare non credo ullum alium ad tantam perfectionem supra alios pervenisse, præter Christum, cui Dei placita, quæ homines ad salutem

Intem ducunt, sine verbis, aut visionibus, sed immediate revelata sunt: adeo ut Deus per mentem Christi sese Apostolis manifestaverit, ut olim Mosi mediante voce aërea. Et ideo vox Christi, sicuti illa, quam Moses audiebat, Vox Dei vocari potest. Et hoc sensu etiam dicere possumus, Sapientiam Dei, hoc est, Sapientiam, quæ supra humanam est, naturam humanam in Christo assumptissimam. Et Christum viam salutis fuisse.

Verum monere hic necesse est, me de iis, quæ quædam Ecclesiæ de Christo statuunt, prorsus non loqui, neque ea negare; nam libenter fateor me ea non capere. Quæ modo affirmavi, ex ipsa Scriptura conjicio. Nam nullibi legi, Deum Christo apparuisse, aut locutum fuisse, sed Deum per Christum Apostoli s revelatum fuisse, eumque viam salutis esse, & denique veterem legem per Angelum, non verò à Deo immediate traditam fuisse &c. Quare, si Moses cum Deo de facie ad faciem, ut vir cum socio solet (hoc est mediantibus duobus corporibus) loquebatur; Christus quidem de mente ad mentem cum Deo communicavit.

Afferimus itaque Præter Christum, neminem nisi imaginationis ope, videlicet ope verborum, aut imaginum, Dei revelata accepisse, atque adeo ad prophetizandum, non esse opus perfectiore mente, sed vividiore imaginatione, ut clarius in sequenti capite ostendam. Hic jam quærendum est quidnam Sacrae Literæ intelligent per Spiritum Dei Prophetis infusum, vel quod Prophetæ ex Dei Spiritu loquebantur; ad quod investigandum, quærendum prius quid significat

vox

Vox Hebræa רוח ruagh, quam vulgus Spiritum interpretatur.

Vox **רוח ruagh**, genuino sensu significat ventum, ut notum, sed ad plura alia significandum sæpiissime usurpatur, quæ tamen hinc derivantur. Sumitur enim 1. ad significandum halitum, ut Psal. cxxxv. 17. **אָפֶן יְשִׁיחַ בְּפִיהֶם etiam non est Spiritus in ore suo.** 2. animum, sive respirationem, ut 1. Shamuëlis xxx. 12. **וְחַשְׁבֵּרֹוחַ אַלְלָג** & rediit ei *Spiritus*, id est, respiravit. Hinc sumitur 3. pro animositate, & viribus, ut Jo-suæ 11. 11. **וְלَا כַּמָּה עָזָר רֹוח בְּאִישׁ neo constitit postea *Spiritus* in ullo viro.** Item Ezechieliſ 11. 2. **וְחַבְאַבְיַרְוחַ וְתַעֲמִידֵנִי עַל רְגֵלִי** & *venis in me Spiritus* (seu vis) qui *me fecit instare pedibus meis*. Hinc sumitur 4. pro virtute, & aptitudine, ut Job. xxxxi. 8. **אֲכִינְרוֹחַ הַיְאָבָנוֹשׁ certe ipsa** *Spiritus est in hominē*, hoc est, scientia non præcise apud senes est quærenda, nam illam à singulari hominis virtute, & capacitate penderè jam reperio. Sic Numeri xxvii. 18. **אֲשֶׁר רֹוח בּוֹ** *vir, in quo est Spiritus*. Sumitur diende 5. pro animi sententia, ut Numer. xiv. 24. **עַקְבָּה** *hitha roch achorat um* **quoniam ipsa ius fuit Spiritus**, hoc est, alia animi sententia, sive alia mens. Item Proverb. 1. 23. **אַבְיוּה לְכָמְרוֹחַ elo-quar vobis Spiritum** (hoc est mentem) *meum*. Et hoc sensu usurpatur ad significandam voluntatem, sive decretum, appetitum, & impetum animi; ut Ezechieliſ 1. 12. **אֲלֹא יְהֹה שְׁמַה הַרוֹחַ לְלַכְתַּיְלָכְנוּ** *quod erat Spiritus* (seu voluntas) *eundi ibant*. Item Esaiæ xxix. 1. **וְלֹגְסֻקְמָסְבָה וְלֹאַרוֹחַ** & *ad fundendam fusionem non*



כ' נסח. *& non ex meo Spiritu.* Et xxix. 10. עליים יהוה רוח תרדמה *quia fudit super ipsos Deus Spiritum* (hoc est appetitum) dormienti. Et Judic. viii. 3. אָזְרַפְתָּה רוחם מֵעַלְיוֹ *tunc mitigatus est eorum Spiritus, sive impetus.* Item Prov. xv. 33. וְמוֹשֵׁל בְּרוֹחוֹ מִלּוּכֵד שָׂרֵךְ *qui dominatur Spiritui (sive appetitui) suo, quem qui caput civitatem.* Idem xxv. 27. אִישׁ אֲנָן מַעֲצָר *vir, qui non cohibet Spiritum suam.* Et Esaiæ xxxiv. 11. רוחכם אשחאכלכם *Spiritus vester est ignis, qui vos consumit.* Porro hæc vox רוח *ruagh*, quatenus animum significat, inseruit ad exprimendum omnes animi passiones, & etiam dotes ut רוח גבואה *Spiritus altius*, ad significandum superbiam, רוח שפה *Spiritus demissus*, ad humilitatem, רוח רעה *Spiritus malus*, ad odium & melancholiam, רוח טובה *Spiritus bonus*, ad benignitatem, רוח קנאה *Spiritus Zelotypie* רוח זנונים *Spiritus (sive appetitus) fornicationum*, רוח חכמה *Spiritus sapientiae*: עזה נבורה: *conflui: fortitudinis: id est, (nam Hebraicè frequenter substantivis, quam adjectivis utimur) animus sapiens, prudens, fortis, vel virtus sapientiae, consilii, fortitudinis,* רוח חן *Spiritus benevolentie* &c. 6. Significat ipsam mentem sive animam, ut Eccles. iii. 19. וְרוֹחַ אֶחָר לְפָלֵל *Spiritus (sive anima) eadem est omnibus* אל האלים *& Spiritus ad Deum reperiatur.* 7. Denique significat mundi plagas (propter ventos, qui inde flant) & etiam latera cujuscunque rei, quæ illas mundi plagas respiciunt. Vide Ezechiel xxxvii. 9. & xlii. 16. 17. 18. 19. &c.

Jam ritorandum, quod res aliqua ad Deum referatur, & Dei dicitur esse. 1. Quia ad Dei naturam pertinet, & quasi pars est Dei, ut cum dicitur כח יהוה potentia Dei. עין יהוה oculus Dei. 2. Quia in Dei potestate est, & ex Dei motu agit, sic in Sacris cœli vocantur שמי יהוה names of God, quia Dei quadriga, & dominis sunt: Assyria flagellum Dei vocatur, & Nabucodonosor servus Dei, &c. 3. Quia Deo dicata est, ut hoc היכל יהוה templum Dei: רזיר אלחים Nazarenus. panis Dei &c. 4. Quia per Prophetas tradita est, at non Lumine naturali revelata; ideo Lex Moses, Lex Dei vocatur. 5. Ad rem in superlativo gradu exprimendum, ut הררי אל montes Dei, hoc est, montes altissimi: תרדמת יהוה somnus Dei, id est, profundissimus, & hoc sensu Amos iv. 11. explicandus est, ubi Deus ipse sic loquitur אחכם כמהפכת אלחים את פדרום ואת עמורה subvertit vos, sicuti subversio Dei (subvertit) Sodomiam & Gomorrām, id est, sicuti memorabilis illa subversio: Nam, cum Deus ipse loquatur, aliter proprie explicari non potest. Scientia naturalis Salomonis, Dei scientia vocatur, id est, divina, siue supra communem. In Psalmis etiam vocantur ארץ אַל cedar Dei, ad exprimendam earum insolitam magnitudinem. Et i Shamuēlis xi. 7. ad significandum metum admodum magnum, dicitur ויכל דם פחד יהוה על העד cecidit metas Dei supra populum. Et hoc sensu omnia, quæ captum Judæorum superabant, & quorum causas naturales tum temporis ignorabant, ad Deum referri solebant. Ideo tempestas גערת יהוה incipatio Dei, tonitrua

trua autem, & fulmina, Dei sagittæ vocabantur; putabant enim, Deum ventos in cavernis, quas Dei æraria vocabant, inclusos habere, in qua opinione ab Ethnicis in hoc differebant, quod non Æolum, sed Deum eorum restorem credebant. Hac etiam de caußâ miracula opera Dei vocantur, hoc est, opera stupenda. Nam sane omnia naturalia Dei opera sunt, & per solam divinam potentiam sunt, & agunt. Hoc ergo sensu Psaltes vocat Ægypti miracula Dei potentias, quia Hebræis nihil simile expectantibus viam ad salutem in extremis periculis aperuerunt, atque ideo ipsi eadem maxime admirabantur.

Cum igitur opera naturæ insolita, opera Dei vocentur, & arbores insolitæ magnitudinis arbores Dei, minime mirandum, quod in Genesi homines fortissimi, & magnæ staturæ, quamvis impii raptiores, & scortatores, filii Dei vocantur. Quare id absolutè omne, quo aliquis reliquos excellebat, ad Deum referre solebant antiqui, non tantum Judæi, sed etiam ethnici; Pharao enim ubi somnii interpretationem audivit, dixit, Josepho mentem Deorum inesse, & Nabucadonosor etiam Daniëli dixit, eum mentem Deorum Sanctorum habere. Quin etiam apud Latinos nihil frequentius; nam quæ affabre facta sunt, dicunt ea divinâ manu fuisse fabricata, quod si quis Hebraice transferre vellet, dicere deberet, *Manu Dei fabricata*, ut Hebraizantibus notum.

His itaque Loca Scripturæ, in quibus de Dei Spiritu fit mentio, facile intelligi, & explicari possunt; Nempe רוח אלהים *Spiritus Dei* & רוח יהוה *Spiritus Iehova* quibusdam in locis nihil aliud

significat, quam ventum vehementissimum, sic-
cissimum, & fatalem, ut in Esaiæ x l. 7.
רוּחַ יְהוָה נוֹשֶׁבָה בְּנוֹ *ventus Iehova flavit in eum,*
hoc est, ventus siccissimus, & fatalis. Et Gene-
ses i. 2. & *ventus Dei*, (sive ventus for-
tissimus) *movebatur super aquam*. Deinde significat
animum magnum, Gideonis enim, & Samsonis
animus vocatur in Sacris Literis **רוּחַ יְהוָה Spir-
itus Dei**, hoc est, animus audacissimus, & ad
quævis paratus. Sic etiam quæcumque virtus, si-
ve vis supra communem, vocatur **רוּחַ יְהוָה Spir-
itus**, seu *virtus Dei*, ut in Exodo x x x i. 3.
וְאַמְלָא אֹתָו רוח אֱלֹהִים & *ad implebo ipsum* (nem-
pe Betzaleëlem) *Spiritus Dei*, hoc est, (ut, ipsa
Scriptura explicat) ingenio, & arte supra com-
munem hominum sortem. Sic Esaiæ x i. 2.
וְנַחַת עַלְיוֹ רוח יְהוָה & *quiesceret supra ipsum*
Spiritus Dei, hoc est, ut ipse Propheta, more
in Sacris Litteris usitatissimo, particulatim postea
id explicando declarat, virtus sapientiæ, consi-
lii, fortitudinis &c., sic etiam melancholia Sau-
lis vocatur **רוּחַ אֱלֹהִים רעָה** *Dei Spiritus malus*, id
est, melancholia profundissima; servi enim Sau-
lis, qui ejus melancholiæ Dei melancholiæ vo-
cabant, ei fuerunt authores, ut aliquem ad se mu-
sicum vocaret, qui fidibus canendo ipsum recrea-
ret, quod ostendit eos per *Dei melancholiæ*, na-
turalem melancholiæ intellectuisse. Significatur
deinde per **רוּחַ יְהוָה Dei Spiritum**, ipsa hominis
mens, sicuti in Jobo xxvii. 3. **רוּחַ אֱלֹהִים** & *Spiritus Dei in naso meo*, alludens ad id,
quod habetur in Genesi, nempe, quod Deus fla-
vit animam vitæ in naso hominis. Sic Ezechiël,

mortuis prophetizans, ait **xxvii. 14.** וְנַחֲתִי רוח בְּכֶם וְחַיְתֶם & dabo vobis meum Spiritum vobis, & vivos; id est, vitam vobis restituam. Et hoc sensu dicitur Jobi **xxxiv. 14.** אֵם יִשָּׁם אֱלֹהִים רֹוחוֹ וְנַשְּׂמַחוֹ אֱלֹהִים אָסָוף si velit (nempe Deus) *Spiritum suum*, (hoc est, mentem, quam nobis dedit) & animam suam sibi recolliger. Sic etiam intelligendus est Genes. vi. 3. לא יְדוֹן non *ratiocinabili-*
רֹוחַ בְּאֶדֶם לְעוֹלָם בְּשׁוֹמֶךְ הָאָבָשׁ
רֹוחַ (aut non decernet) *Spiritus meus in hamine unquam*, quoniam caro est, hoc est, homo posthac ex decretis carnis & non mentis, quam ipsi, ut de bono discerneret, dedi, ager. Sic etiam Psalmi **li. 12. 13.** לְבָטָהָרְבָּרָא לְאֱלֹהִיטָוָרָחַ

ונכו חזرش בקרבי: אל תשליךני מלפניך ורות קדשך אל תקח ממני *cor purum crea mibi Deus*, Spiritum (id est appetitum) deidentem (sive moderatum) in me renova, non me rejice è tuo conspectu, nec mentem tuæ sanctitatis ex me cape. Quia peccata in sola carne oriri credebantur, mens autem non nisi bonum suadere, ideo contra carnis appetitum Dei auxilium invocat, mentem autem, quam Deus Sanctus ipsi dedit, a Deo conservari tantum precatur. Iam, quoniam Scriptura Deum instar hominis depingere, Deoque mentem, animum, animique affectus, ut & etiam corpus, & halitum tribuere, propter vulgi imbecillitatem, solet; ideo רוח יהוה *Spiritus Dei* in Sacris saepe usurpatur pro mente, scilicet animo, affectu, vi, & halitu oris Dei. Sic Esaias **xl. 13.** ait, מִתְכַּן quis disposuit Dei Spiritum? (sive mentem) hoc est, quis Dei mentem præter Deum ipsum ad aliquid volendum determinavit? &

וְהַמֶּה מִרְאֵו וְעָצֵבֹ אֶת רֹוחֵ קָדְשׁוֹ
et mirata est amaritudine, & instaurare effecerunt spiritum sue sanctitatis, & hinc sic ut pro Legi Mosis usurpari soleat, quia Dei quasi mentem explicat, ut ipse Esaias in eodem cap. vers. 11. אֵיתָ הַשָּׁם בְּקָרְבָו אֶת רֹוחַ קָדְשׁוֹ ubi (ille) est, qui posuit in medio ejus spiritum sue sanctitatis, nempe Legem Mosis, ut clare ex toto contextu orationis colligitur; & Nehemias ix. 20. וּרֹוחַ הַטוֹּבָה נִתְחַלֵּת לְשָׁבִילָם & spiritum, sive mentem tuam bonam eis dedisti, ut eos intelligentes faceres, de tempore enim Legis loquitur, & etiam ad id Deut. 14. v. 6. alludit, ubi Moses ait, quandoam ipsa (nempe Lex) est vestra scientia, et prudens &c. Sic etiam in Psalmo CXLIII. II. רֹוחַ טֻובָה תַּנְחַנֵּי בָּאָרֶץ מִשּׁוֹר terram planam: hoc est, mens tua bona me ducet in rectam viam ducet. Significat etiam, ut diximus Spiritus Dei, Dei halitum, qui etiam inoproprie, sicuti mens, animus & corpus, Deo in Scriptura tribuitur, ut Psal. xxxii. 6 Deinde Dei potentiam, vim, sive virtutem, ut Job. xxxiii. 4. רֹוחַ אֶל עֲשָׂנִי Spiritus Dei me fecit, hoc est, virtus, sive potentia Dei, vel si mavis, Dei decretum, nam Psaltes poëtice loquendo, etiam ait, jussu Dei cœli facti sunt, & Spiritu, sive flatu oris sui (hoc est, decreto suo, uno quasi flatu pronuntiato) omnis eorum exercitus. Iteni Psalmo cxxxix. 7. אֲנָה אֶלְךָ מְרוֹחָךְ וְאֲנָה מְפִנְךָ quo ibo (ut sim) extra spiritum tuum, aut quo fugiam, (ut sim) extra tuum conspectum, hoc est (ut ex iis, quibus Psaltes ipse hoc pergit amplificare, patet) quo ire possum, ut sim extra tuam potentiam, & præsentiam? Denique רֹוח יְהוָה Spiritus Dei

Dei usurpatur in Sacris ad animi Dei affectus exprimendum, nempe Dei benignitatem, & misericordiam, ut in Michæ 1. 7. **הַכָּרְרוֹת יְהוָה** ז. **אֲנָשׁוּןָמָה** אֲנָשׁוּןָמָה *angustatus est Spiritus Dei?* (hoc est Dei misericordia) sunt ne *bac* (scæva scilicet) *eius opera?* Item **לَا בְּחִיל וְלَا בְּבָחֵם בְּרוּחֵי** Zachar. 1. 6. *non exercitu, nec ri, sed solo meo Spiritu, id est, sola mea misericordia.* Et hoc sensu puto etiam intelligendum esse. *eiusdem Prophetæ 2. 12.* **וְלֹכֶם שְׁמוֹ שְׁמֵירָם** שְׁמֹועָת הַתּוֹרָה וְאַתְּ חֶרְבִּים אֲשֶׁר שְׁלַחְתָּה בָּרָךְ הַנְּבִיאִים הַרְאָשׁוֹנִים *& cor suum constituerunt cautum, ne obedirent Legi, & mandatis, qua Deus misit ex suo Spiritu (hoc est, ex sua misericordia) per primos Prophetas.* Hoc etiam sensu ait Hagæus 1. 5. **וְרוּחֵי עָמָרָת בְּתוֹכְכֶם** **אֶל תִּרְאִוְתִּי** *& Spiritus meus (sive mea gratia) permanet inter vos, nolite timere.* Quod autem Esaias 40. 16. ait **וְעַתָּה יְהוָה אֱלֹהִים שְׁלַחְנִי וּרוֹחָה** *at nunc Dominus Deus me misit, ejusque Spiritus, potest quidem intelligi per Dei animum, & misericordiam, vel etiam per ejus mentem in Lege revelatam; nam ait a principio (hoc est, cum primum ad vos veni, ut vobis Dei iram, ejusque sententiam contra vos prolatam prædicarem) non occulteratus sum, ex tempore, quo ipsa (prolata) fuit, ego adfui, (ut ipse cap. vi 1. testatus est) at nunc laetus nuncius sum, & Dei misericordiæ missus, ut vestram restorationem canam: Potest etiam, uti dixi, per Dei mentem in Lege revelatam intelligi, hoc est, quod ille jam etiam ex mandato Legis, nempe Levit. 19. 17. ad eos monendum venit. Quare eos iisdem conditionibus, & eodem modo, quo Moses solebat, monet.* Et tandem

dem, ut etiam Moses fecit, eorum restauratioem prædicendo definit. Attamen prima explicatio mihi magis consona videtur.

Ex his omnibus, ut tandem ad id, quod intendimus, revertamur, hæ Scripturæ phrasæ perspicuæ fiunt, nempe *Prophetæ Spiritus Dei fuit, Deus Spiritum suum hominibus insudit, homines Spiritu Dei, & Spiritu Sancto pleni sunt. etc.* Nihil enim aliud significant, quam quod Prophetæ virtutem singularem & supra communem habebant, quodque pietatem eximia animi constantiâ colebant. Deinde quod Dei mentem, sive sententiani percipiebant; ostendimus enim, Spiritum Hebraice significare tam mentem, quam mentis sententiam & hac de causa, ipsam Legem, quia Dei mentem explicat, Spiritum sive mentem Dei vocari; quare æquali jure imaginatio Prophetarum, quatenus per eam Dei decreta revelabantur, mens Dei etiam vocari poterat, Prophetæque mentem Dei habuisse dici poterant. Et quamvis menti etiam nostræ, mens Dei, ejusque æternæ sententiae inscriptæ sint, & consequenter mentem etiam Dei (ut cum Scriptura loquar) percipiamus; tamen quia cognitio naturalis omnibus communis est, non tanti ab hominibus, ut jam diximus, aestimatur; & præcipue ab Hebræis, qui se supra omnes esse jactabant, imo qui omnes, & consequenter scientiam omnibus communem, contemnere solebant. Denique Prophetæ Dei Spiritum habere dicebantur, quia homines causas Propheticæ cognitionis ignorabant, eandemque admirabantur; & propterea, ut reliqua portenta, ipsam ad Deum referre, Deique cognitionem vocare solebant.

Possimus jam igitur sine scrupulo affirmare, Prophetae, non nisi ope imaginationis, Dei revelata percepisse, hoc est, medianibus verbis, vel imaginibus, siue veris, atque imaginariis. Nam, cum nulla alia media in Scripturā præter hæc reperiamus, nulla etiam alia, ut jam ostendimus, nobis fingere licet. Quibus autem naturæ legibus id factum fuerit, fateor me ignorare. Potuisse quidem, ut alii, dicere, per Dei potentiam factum fuisse; attamen garrire viderer. Nam idem esset, ac si termino aliquo transcendentali formam alicujus rei singularis velim explicare. Omnia enim per Dei potentiam facta sunt: Imo quia Naturæ potentia nulla est nisi ipsa Dei potentia, certum est nos etenim Dei potentiam non intelligere, quatenus causas naturales ignoramus; adeoque stulte ad eandem Dei potentiam recurritur, quando rei alicujus causam naturalem, hoc est, ipsam Dei potentiam ignoramus. Verum nec nobis jam opus est, Propheticæ cognitionis causam scire: Nam ut jam monui, hic tantum Scripturæ documenta investigare conantur, ut ex iis, tanquam ex datis naturæ, nostra concludamus; documentorum autem causas nihil curramus.

Cum itaque Prophætæ imaginationis ope Dei revelata percepint, non dubium est, eos multa extra intellectus limites percipere potuisse; nam ex verbis, & imaginibus longe plures ideæ componi possunt, quam ex solis iis principiis & notionibus, quibus tota nostra naturalis cognitio superstruitur.

Patet deinde, cur Prophætæ omnia fere parabolice,

bolice, & enigmatisce perceperint, & docuerint;
 & omnia spiritualia corporaliter expresserint:
 haec enim omnia cum natura imaginationis magis
 conveniunt. Nec jam mirabimur, cur Scriptura,
 vel Prophetæ adeo improprie, & obscure de Dei
 Spiritu, sive mente loquuntur, ut Numeri xii.
 17. & Primi Regum xxii. 2. &c. Deinde
 quod Michæas Deum sedentem, Daniël autem aet
 senem vestibus albis induitum, Ezechiel vero ve
 luti ignem, & qui Christo aderant, Spiritum
 Sanctum, ut columbam descendenter, Apostoli
 vero ut linguas igneas, & Paulus denique, cum
 prius converteretur, lucem magnam viderit.
 Haec enim omnia cum vulgaribus de Deo & Spi
 ritibus imaginationibus, plane conveniunt. Deni
 que quoniam imaginatio vaga est, & inconsans
 ideo Prophetia Prophetis non diu hærebat, nec e
 tiam frequens, sed admodum rara erat, in pau
 cissimis scilicet hominibus, & in iis etiam admo
 dum raro. Cum hoc ita sit, cogimur jam inqui
 rere, unde Prophetis oriri potuit certitudo co
 rum, quæ tantum per imaginationem, & non
 ex certis mentis principiis percipiebant. Verum
 quicquid & circa hoc dici potest, ex Scriptura
 peti debet, quandoquidem hujus rei (ut jam dixi
 mus) veram scientiam non habemus, sive eam per
 primas suas causas explicare non possumus. Quid
 autem Scriptura de certitudine Prophetarum do
 ceat, in sequente capite ostendam, ubi de Pro
 pheticis agere constitui.

C A P U T I I.

De Prophetis.

EX superiori capite, ut jam indicavimus, sequitur Prophetas non fuisse perfectiore mente præditos, sed quidem potentia vividius imaginandi, quod Scripturæ narrationes abunde etiam docent. De Salomone enim constat, eum quidem sapientiam, sed non dono Prophetico cæteros excelluisse. Prudentissimi etiam illi Heman, Darda, Kalchol, Prophetæ non fuerunt, & contra homines rustici, & extra omnem disciplinam; imo mulierculæ etiam, ut Hagar ancilla Abrahami, dono Prophetico fuerunt præditæ. Quod etiam cum experientia, & ratione convenit: Nam qui maxime imaginatione possent, minus apti sunt ad res pure intelligendum, & contra, qui intellectu magis possent, cumque maxime colunt, potentiam imaginandi magis temperatam, magisque sub potestatem habent, & quasi freno tenent, ne cum intellectu confundatur. Qui igitur sapientiam & rerum naturalium, & spiritualium cognitionem ex Prophetarum libris investigare student, totâ errant viâ: quod, quoniam tempus, Philosophia & denique res ipsa postularat, hic fuse ostendere decrevi, parum curans, quid superstitione ogganiat, quæ nullos magis odit, quam qui veram scientiam, veramque vitam colunt. Et proh dolor! res eo jam pervenit, ut, qui aperte fatentur, se Dei ideam non habere, & Deum non nisi per res creatas

tas (quarum causas ignorant) cognoscere; non erubescant Philosophos Atheismi accusare.

Ut autem rem ordine deducam, ostendam, Prophetias variavisse, non tantum pro ratione imaginationis, & temperamenti corporis cuiusque Prophetæ, sed etiam pro ratione opinionum, quibus fuerant imbuti, atque adeo Prophetiam nunquam Prophetas doctiores reddidisse; ut statim fusius explicabo, sed prius de certitudine Prophetarum hic agendum, tum quia hujus capitatis argumentum spectat, tum etiam quia ad id, quod demonstrare intendimus, aliquantum inservit.

Cum simplex imaginatio non involvat ex sua natura certitudinem, sicuti omnis clara & distincta idea, sed imaginationi, ut de rebus, quas imaginamur, certi possimus esse, aliquid necessario accedere debeat, nempe ratiocinium, hinc sequitur Prophetiam per se non posse involvere certitudinem, quia, ut jam ostendimus, à sola imaginatione pendebat; & ideo Prophetæ non certi erant de Dei revelatione per ipsam revelationem, sed per aliquod signum, ut patet ex Abraham (vide Genes. xv. 8.) qui auditâ Dei promissione signum rogavit, ille quidem Deo credebat, nec signum petiit, ut Deo fidem haberet, sed ut sciret id à Deo ei promitti. Idem etiam clarius ex Gideone constat, sic enim Deo ait וְעֹשֵׂה לִי אֶת־זֶה שָׁאַתָּה מִדְבָּר עַמִּי & fac mihi signum (ut sciām) quod tu mecum loqueris. Vide Judicium vi. 17. Mosi etiam dicit Deus כִּי הָאֹתָה לִי זוֹן. And I will send thee a sign (sic) tibi signum, quod ego te mis

mis. Ezechias, qui dudum neverat Esaiam esse Prophetam, signum Prophetiae ejus valetudinem prædicentis rogavit. Quod quidem ostendit Prophetas semper signum aliquod habuisse, quo certificabant de rebus, quas Prophetice imaginabantur, & ideo Moses monet (vide Deut. xvii. 1. vers. ult.) ut signum ex Propheta petant, nempe eventu alicujus rei futuræ. Prophetia igitur hac in re naturali cedit cognitioni, quæ nullo indiget signo, sed ex sua natura certitudinem involvit. Etenim hæc certitudo Prophetica mathematica quidem non erat, sed tantum moralis: Quod etiam ex ipsa Scriptura constat; nam Deut. xiv. monet Moses, quod si quis Propheta novos Deos docere velit, is, quamvis suam confirmet doctrinam signis, & miraculis, mortis tamen damnetur; nam, ut ipse Moses pergit, Deus signa etiam, & miracula facit ad tentandum populum, atque hoc Christus etiam Discipulos suos monuit, ut constat Matth. xxiv. 24. Quinimo Ezechiël xiv. 8. clare docet, Deum homines aliquando falsis revelationibus decipere: nam ait וְהַנְבֵּא בְּיַפְתָּחָה

וזכר רבר אני יהוה פתיתך את הנביא וה הווא
& quando Propheta (falsus scil.) inducitur, & verbum locutus fuerit, ego Deus induxi illum Prophetam, quod etiam Michæas (vide Lib. 1. Regum xxii. 21) de Prophetis Achabi testatur.

Et quamvis hoc ostendere videatur Prophetiam & revelationem rem esse plane dubiam, habebat tamen, ut idiximus, multum certitudinis: Nam Deus pios & electos nunquam decipit, sed juxta illud antiquum proverbium (vide 1. Shamuëlis

xxiv. 13.) & ut ex historia Abigaëlis, ejusque oratione constat, Deus utitur piis, tanquam suæ pietatis instrumentis, & impiis tanquam suæ iræ executoribus, & mediis: quod etiam clarissime constat ex illo casu Michææ, quem modo citavimus; nam, quanquam Deus decreverat Achabum decipere per Prophetas, falsis tamen tantum Prophetis usus fuit, pio autem rem, ut erat, revelavit, & vera prædicere non prohibuit. Attamen, uti dixi, certitudo Prophetæ moralis tantum erat, quia nemo se justificare eoram Deo potest, nec jactare, quod sit Dei pietatis instrumentum, ut ipsa Scriptura docet, & re ipsâ indicat; nam Dei ira Davidem seduxit ad numerandum populum, cuius tamen pietatem Scriptura abunde testatur: Tota igitur certitudo prophetica his tribus fundabatur. 1. Quod res revelatas vividissime, ut nos vigilando ab objectis affecti solemus, imaginabantur. 2. Signo. 3. Denique & præcipuò, quod animum ad solum æquum, & bonum inclinatum habebant. Et quamvis Scriptura non semper Signi mentionem faciat, credendum tamen est, Prophetas semper Signum habuisse; nam Scriptura non semper solet omnes conditiones, & circumstantias enarrare (ut multi jam notaverunt) sed res potius ut notas supponere. Præterea concedere possumus, Prophetas, qui nihil novi, nisi quod in Lege Mosis continetur, prophetabant, non indiguisse signo, quia ex Lege confirmabantur. E. gr. Prophetia Jeremiæ de vastatione Hierosolymæ confirmabatur Prophetiis reliquorum Prophetarum, & minis Legis, ideoque signo non indigebat, sed Chananiæ, qui contra omnes

ties Propheta citam civitatis restorationem Prophetabat, signo necessario indigebat, alias de sua Prophetia dubitare deberet, donec even-tus rei ab ipso prædictæ sijam Prophetiam confir-maret. Vide Jerem xxviii. 8.

Cum itaque certitudo, quæ ex signis in Pro-pheticis oriebatur, non mathematica (hoc est, quæ ex necessitate perceptionis rei perceptæ, aut visæ sequitur) sed tantum moralis erat, & signa non nisi ad Prophetæ persuadendum dabantur; hinc sequitur, Signa pro opinionibus, & capacitate Prophetæ data fuisse: ita ut signum, quod unum Prophetam certum redderet de sua Prophetiâ, alium, qui aliis esset imbutus opinionibus, mini-me convincere posset; & ideo signa in unoquoque Propheta variabant. Sic etiam ipsa revela-tio variabat, ut jam diximus, in unoquoque Propheta pro dispositione temperamenti corpo-ris, imaginationis, & pro ratione opinionum, quas antea amplexus fuerat. Pro ratione enim temperamenti variabat hoc modo, nempe; si Propheta erat hilaris, ei revelabantur victoriæ, pax, & quæ porro homines ad lætitiam movent. Tales enim similia sæpius imaginari solent. Si contra tristis erat, bella, supplicia, & omnia mala ei revelabantur; & sic prout Propheta erat misericors, blandus, iracundus, severus &c. eatenus magis aptus erat ad has, quam ad illas re-velationes. Pro dispositione imaginationis au-tem sic etiam variabat, nempe; si Propheta erat elegans, stylo etiam eleganti Dei mentem perci-piebat, sin autem confusus, confuse; & sic porro circa revelationes, quæ per imagines repræsen-taban-

tabantur, nempe; si Propheta erat rusticus, boves, & vaccæ &c. si vero miles, duces, exercitus; si denique aulicus, solium regium, & similia ipsi repræsentabantur. Denique variabat prophetia pro diversitate opinionum Prophetarum: nempe Magis, (vide Matthæi 11.) qui nugis astrologiæ credebant, revelata fuit Christi nativitas, per imaginationem stellæ in oriente orræ. Auguribus Nabucadonosoris (vide Ezechiëlis xxii. 26.) in extis revelata fuit vastatio Hierosolymæ, quam etiam idem Rex ex oraculis intellexit, & ex directione sagittarum, quas sursum in ærem projecit. Prophetis deinde, qui credebant homines ex liberâ electione, & propriâ potentia agere, Deus ut indifferens revelebatur, & ut futurarum humanarum actionum inscius. Quæ omnia ex ipsa Scriptura singulatim jam demonstrabimus.

Primum igitur constat ex illo casu Elise, (vide 2. Regum 111. 15.) qui, ut Johoramo prophetaret, organum petiit, nec Dei mentem percipere potuit, nisi postquam musica organi delectatus fuit, tum demum Jehoramo cum sociis læta prædictit, quod antea contingere nequirit, quia Regi iratus erat; & qui in aliquem irati sunt, apti quidem sunt ad mala, non vero bona de iisdem imaginandum. Quod autem alii dicere volunt, Deum iratis, & tristibus non revelari, ii quidem somniant; nam Deus Mosi in Pharao-nem irato revelavit miseram illam primogenitorum stragem, (vide Exodi xi. 8.) idque nullo adhibito organo. Kaino etiam furenti Deus revelatus est. Ezechieli præ irâ impatienti miseriæ,

& contumacia Iudæorum revelata fuit. (vide Ezechiëlis 111. 14) & Jeremias mœstissimus, & magno vitæ tædio captus calamitates Iudæorum prophetavit: adeo ut Josias eum consulere noluerit, sed fœminam ei contemporaneam, utpote quæ ex ingenio muliebri magis apta erat, ut ei Dei misericordia revelaretur. (vide Lib. 2, Paralip. xxxv.) Michæas etiam nunquam Achabo aliquid boni, quod tamen alii veri Prophetæ fecerunt, (ut patet ex primo Regum xx.) sed tota ejus vitâ mala prophetavit (vide 1. Reg. xxii. 7. & clarius in 2. Paralip. xvii. 7) Prophetæ itaque pro vario corporis temperamento magis ad *bas*, quam ad *illas* revelationes erant apti. Stylus deinde prophetiæ pro eloquentiâ cujusque Prophetæ variabat; Prophetiæ enim Ezechiëlis, & Amosis non sunt, ut illæ Esaiæ, Nachumi eleganti, sed rudiore stylo scriptæ. Et si quis, qui linguam Hebraicam callet, hæc curiosius inspicere velit, conserat diversorum Prophetarum quædam ad invicem capita, quæ ejusdem sunt argumenti, & magnam reperiet in stylo discrepantiam. Conferat scil. cap. 1. aulici Esaiæ ex vers. 11. usque ad 20. cum cap. v. rustici Amosis ex vers. 21. usque ad 24. Conferat deinde ordinem & rationes Prophetiæ Jeremiæ, quam cap. xl ix. Edomææ scripsit, cum ordine, & rationibus Hobadiæ. Conferat porro etiam Esaiæ xl. 19. 20. & cap. xli v. ex vers. 8. cum cap. viii. 6. & cap. xiii. 2. Hoseæ. Et sic de cæteris: quæ si omnia recte perpendantur, facile ostendent, Deum nullum habere stylum peculiarem dicendi, sed tantum pro eruditione, & capacitate Prophetæ

phetæ catenæ esse elegantem, compendiosum, severum, rudem, prolixum, & obscurum.

Repræsentationes propheticæ, & hieroglyphica, quamvis idem significant, variabant tamen; nam Esaiæ aliter Dei gloria templum relinquens repræsentata fuit, quam Ezechiëli: Rabini autem volunt utramque repræsentationem eandem prorsus fuisse, at Ezechiëlem ut rusticum eam supra modum miratum fuisse, & ideo ipsam omnibus circumstantiis enarravisse. Attamen, nisi ejus rei certam habuerunt traditionem, quod minime credo, rem plane fingunt: Nam Esaias Seraphines senis alis, Ezechiël vero bestias querentis alis vidit. Esaias vidit Deum vestitum & in solio regio sedentem, Ezechiël autem instar ignis; uterque sine dubio Deum vidit, prout ipsum imaginari solebat. Variabant præterea repræsentationes non modo tantum, sed etiam perspicuitate; nam repræsentationes Zachariæ obscuriores erant, quam ut ab ipso absque explicatione possent intelligi, ut ex ipsarum narratione constat; Daniëlis aurem etiam explicatæ nec ab ipso Prophetæ potuerunt intelligi. Quod quidem non contigit propter rei revelandæ difficultatem (de rebus enim humanis tantum agebatur, quæ quidem limites humanæ capacitatris non excedunt, nisi quia futuræ sunt) sed tantum quia Daniëlis imaginatio non æque valebat ad Prophetandum vigilando, ac insomnis, quod quidem inde apparet, quod statim in initio revelationis ita perterritus fuit, ut fere de suis viribus desperaret. Quare propter imaginacionis, & virium imbecillitatem res ipsi admodum obscuræ repræsentatae fuerunt, neque eas etiam

explicatas intelligere potuit. Et hic notandum
 verba a Danièle audita (ut supra ostendimus) ima-
 ginaria tantum fuisse, quare non mirum, illum
 tum temporis perturbatum omnia illa verba adeo
 confuse, & obscure imaginatum fuisse, ut nihil
 ex iis postea intelligere puerit. Qui autem di-
 cunt, Deum noluisse Danieli rem clare revelare,
 videntur non legisse verba Angeli, qui expresse
 dixit (vide cap. x. 14.) *se venisse, ut Daniëlem in-*
tellegere faseret, quid suo populo in posteritate dierum
contingeret. Quare res illæ obscuræ manserunt,
 quia nullus tum temporis reperiebatur, qui tan-
 tum imaginationis virtute polliceret, ut ipsi clarius
 revelari possent. Denique Prophetæ, quibus
 revelatum fuit, Deum Eliam abreptum, per-
 suadere volebant Elisæ, eum alibi locorum dela-
 tum, ubi adhuc inveniri ab ipsis posset; quod sa-
 te clare ostendit, eos Dei revelationem non recte
 intellexisse. Hæc fusius ostendere non est opus;
 nam nihil ex Scriptura clarius constat, quam quod
 Deus unum Prophetam longe majore gratiâ ad
 Prophetizandum donavit, quam alium. At quod
 Prophetiæ sive repræsentationes pro opinionibus
 Prophetarum, quas amplexi fuerint, etiam vari-
 àrent, & quod Prophetæ varias, imo contrarias
 habuerint opiniones, & varia præjudicia (loquit
 circa res mere speculativas, nam circa eas, qua
 probitatem, & bonos mores spectant, longe ali-
 ter sentiendum) curiosius, & prolixius ostendam;
 nam hanc rem majoris momenti esse puto; inde
 enim tandem concludam, Prophetiam nunquam
 Prophetas doctiores reddidisse, sed eos in suis
 præconceptis opinionibus reliquisse, ac propter-

ea

ea nos iis circa res mēre speculativas minime tene-
ni credere.

Mirā quadam præcipitantiā omnes sibi persua-
serunt, prophetas omnia, quæ humanus intelle-
ctus assequi potest, scivisse: Et quamvis loca
quædam Scripturæ nobis quam clarissime dicent,
Prophetas quædam ignoravisse, dicere potius vo-
lunt, se Scripturam iis in locis non intelligere,
quam concedere Prophetas rem aliquam ignora-
visse, aut verba Scripturæ ita torquere conantur,
ut id, quod plane non vult, dicat. Sane si ho-
ram utrumvis licet, actum est cum tota Scriptu-
ra; frustra enim conabimur aliquid ex Scriptura
ostendere, si ea, quæ maxime clara sunt, inter
obscura, & impenetrabilia ponere licet, aut ad
libitum interpretari. E. G. nihil in Scriptura cla-
rius, quam quod Josua, & forte etiam autor, qui
eius historiam scripsit, putaverunt, solem cir-
cum terram moveri, terram autem quiescere, &
quod sol per aliquid tempus immotus stetit. At-
tamen multi, quia nolunt concedere in cœlis ali-
quam posse dari mutationem, illum locum ita
explicant, ut nihil simile dicere videatur; alii
autem qui rectius philosophari didicerunt, quo-
niam intelligunt terram moveri, solem contra
quiescere, sive circum terram non moveri, sum-
mis viribus idem ex Scriptura, quamvis aperte
reclamante, extorquere conantur: quos sane
miror. An, quæso, tenemur credere, quod
miles Josua Astronomiam callebat? & quod mi-
raculum ei revelari non potuit, & quod lux so-
lis non potuit diuturnior solito supra horizontem
esse; nisi Josua ejus causam intelligeret? mihi sa-

ne utrumque ridiculum videtur; malo igitur aperte dicere Josuam diuturnioris illius lucis causam veram ignoravisse, eumque, omnemque turbam, quæ aderat simul putavisse solem motu diurno circa terram moveri, & illo die aliquamdiu stetisse, idque causam diuturnioris illius lucis credidisse, nec ad id attendisse, quod ex nimiâ glacie, quæ tum temporis in regione aëris erat (vide Josuæ x. 11.) refractio solito major oriri potuerit, vel aliud quid simile, quod jam non inquirimus. Sic etiam Esaïæ signum umbræ retrogradæ ad ipsius captum revelatum fuit, nempe per retrogradationem solis: nam etiam putabat solem moveri, & terram quiescere. Et de parheliis forte nunquam nec per somnium cogitavit. Quod nobis sine ullo scrupulo statuere licet; nam signum revera contingere poterat, & Regi ab Esaïâ prædicti, quamvis Propheta veram ejus causam ignoraret. De fabrica Salomonis, siquidem illa à Deo revelata fuit, idem etiam dicendum: nempe quod omnes ejus mensuræ pro captu, & opinionibus Salomonis ei revelatae fuerunt: quia eam non tenemur credere Salomonem Mathematicum fuisse, licet nobis affirmare, eum rationem inter peripheriam, & circuli diametrum ignoravisse, & cum vulgo operariorum putavisse, eam esse, ut 3. ad 1. Quod si licet dicere nos textum illum Lib. i. Reg. viii. 23. non intelligere, ne scio hercule, quid ex Scriptura intelligere possumus; cum ibi fabrica simpliciter narretur, & merè historice; sed si licet fingere scripturam aliter sensisse, sed propter aliquam rationem nobis incognitam, ita scribere voluisse, tum nihil aliud fit.

fit, quam totius Scripturæ omnimoda eversio: nam unusquisque æquali jure de omnibus Scripturæ locis idem dicere poterit; atque adeo quicquid absurdum, & malum humana malitia excogitare potest, id, salvâ Scripturæ autoritate, & defendere & patrare licebit. At id, quod nos statuimus, nihil impietatis continet; nam Salomon, Esaias, Josua &c. quamvis Prophetæ, homines tamen fuerunt, & nihil humani ab ipsis alienum existimandum. Ad captum Noachi etiam revealatum ei fuit Deum humanum genus delere, quia putabat mundum extra Palæstinam non inhabitari. Nec tantum hujusmodi res, sed etiam alias majoris momenti Prophetæ salvâ pietate ignorare potuerunt, & revera ignoraverunt; nihil enim singulare de divinis attributis docuerunt, sed admodum vulgares de Deo habuerunt opiniones: ad quas etiam eorum revelationes accommodatae sunt, ut jam multis Scripturæ testimoniosis ostendam: ita ut facile videas, eos non tam ob ingenii sublimitatem, & præstantiam quam ob pietatem, & animi constantiam laudari, & tantopere commendari:

Adamus, primus cui Deus revelatus fuit, ignoravit, Deum esse omnipræsentem, & omniscium, se enim à Deo abscondidit, & suum peccatum coram Deo, quasi hominem coram haberet, conatus est excusare: quare Deus etiam ei ad ipsius captum revelatus fuit, nempe ut qui non ubique est, & ut inscius loci, & peccati Adami: audivit enim, aut visus est audire Deum per horum ambulantem, eumque vocantem, & querentem ubi esset; deinde ex occasione ejus vere-

cundic ipsum rogantem, num de arbore prohibita comederit. Adamus itaque nullum aliud Dei attributum noverat, quam quod Deus omnium rerum fuit opifex. Kaino etiam Deus revelatus fuit ad ipsius captum, nempe ut rerum humanarum inscius, nec ipsi, ut sui peccati pæniteret, opus erat sublimiorem Dei cognitionem habere. Labano Deus sese revelavit, tanquam Deus Abrahami, quia credebat, unamquamque nationem suum habere Deum peculiarem. Vide Gen. xxxi. 29. Abrahamus etiam ignoravit Deum esse ubique, resque omnes præcognoscere: ubi enim sententiam in Sodomitas audivit, oravit, ut Deus eam non exqueretur, antequam sciret, num omnes illo supplicio essent digni; ait enim (vide Gen. xxi. 11. 24.

אָוֶלְיִ יש חמשים צדיקים בתוכה העיר *forte reperiuntur quinquaginta justi in illa civitate:* nec Deus ipsi alter revelatus fuit; sic enim in Abrahami imaginatione loquitur. **אַרְדָּה נָא וְאֶרְאָה הַכְּצַעַקְתָּה** *nunc descendam ut videam, num juxta summam querelam, que ad me venit, fecerunt, sin autem minus (rem) sciad.* Divinum etiam de Abrahamo testimonium (de quo vide Gen. xviii. 19,) nihil continet præter solam obedientiam, & quod domesticos suos ad æquum, & bonum moneret, non autem quod sublimes de Deo habuerit cogitationes. Moses non satis etiam percepit, Deum esse omniscium, humanasque actiones ex solo decreto dirigi: Nam, quanquam Deus ipsi dixerat (vide Exod. xi. 18.) Israëlitas ei obtemperaturos, rem tamen in dubium revocat, regeritque (vide Exod. v. 1.) **וְהַנְּלֹא אִמְנָנוּ לְיוֹלָא** (*I.*) **ישׁם שׁ**

ישמע לך ל' quid si mibi non credant, nec mibi obtemperent: Et ideo Deus etiam ipsi ut indifferens, & inscius futurarum humanarum actionum revelatus fuit. Dedit enim ei duo signa, dixitque; (Exod. x v. 8,) si contigerit, ut primo signo non credant, credent tamen ultimo, quod si etiam nec ultimo credent, caperum aliquantulum aquæ fluvii &c. Et sane si quis sine præjudicio Mosis sententias perpendere velit, clare inveniet, ejus de Deo opinionem fuisse, quod sit ens, quod semper extitit, existit & semper existet; & hac de causa ipsum vocat יהוה Iehova nomine, quod Hebraice hæc tria tempora existendi exprimit: de ejus autem naturâ nihil aliud docuit, quam quod sit misericors, benignus, &c. & summe zelotypus, ut ex plurimis locis Pentateuchi constat. Deinde credidit, & docuit, hoc ens ab omnibus aliis entibus ita differente, ut nulla imagine alicujus rei visæ posset exprimi, nec etiam videri, non tam propter rei repugnantiam, quam propter humanam imbecillitatem: & præterea ratione potentia, singulare, vel unicum esse: concessit quidem dari entia, quæ (sine dubio ex ordine & mandato Dei) vicem Dei gerabant, hoc est, entia quibus Deus autoritatem, jus & potentiam dedit ad dirigendas nationes, & iis providendum & curandum; at hoc ens, quod colere tenebantur, summum & supremum Deum, sive (ut Hebræorum phraſi utar) Deum Deorum esse docuit, & ideo in cantico Exodi (x v. 11.) dixit מִכְפֹּבָה בָּאָלִים יְהוָה quis inter Deos tui similis, Iehova? & Jetro (xviii. 11.) עֲתַה יִדְעָתִי בְּגַדּוֹל יְהוָה מִכָּל הָאֱלֹהִים nunc novi, quod Iehova major est omnibus Diis, hoc est, tandem cogor

Mosi concedere , quod Jehova major est omnibus Diis , & potentia singulari : an vero Moses hæc entia , quæ vicem Dei gerebant , a Deo creata esse crediderit , dubitari potest : quandoquidem de eorum creatione , & principio nihil , quod scimus , dixerit : docuit præterea , hoc ens mundum hunc visibilem ex Chao (vide Gene. i. 2.) in ordinem redegisse , seminaque naturæ indidisse , adeoque in omnia summum jus & summam potentiam habere , & (vide Deut. x. 14. 15.) pro hoc summo suo jure , & potentiam sibi soli Hebræam nationem elegisse , certamque mundi plagam , (vide Deut. iv. 19. & xxxi. 8. 9.) reliquas autem nationes , & regiones curis reliquorum Deorum a se substitutorum reliquisse ; & ideo Deus Israëlis , & Deus (vide Libri 2. Paral. xxxii. 19.) Hierosolymæ , reliqui autem Dii reliquarum nationum Dii vocabantur . Et hac etiam de causa credebant Judæi regionem illam , quam Deus sibi elegerat cultum Dei singularem , & ab aliarum regionum cultu prorsus diversam requirere , imo nec posse pati cultum aliorum Deorum , aliisque regionibus proprium : nam gentes illæ , quas Rex Assyria in Judæorum terras duxit , credebantur a leonibus dilaniari , quia cultum Deorum illius terræ ignorabant . (vide Lib. 2. Reg. xvi i. 25. 26. &c.) Et Jacobus , ex Aben Hezræ opinione , dixit propterea filiis , ubi patriam petere voluit , ut se novo cultui præparent , & Deos alienos , hoc est , cultum Deorum illius terræ , in quantum erant , deponerent . (vide Gen. xxxv. 2. 3.) David etiam , ut Saulo diceret , se propter ejus per-

persecutionem coactum esse, extra patriam vive-
 te, dixit, se ab hereditate Dei expelli, & ad
 alios Deos colendos mitti, (vide Lib. I. Sham.
 xxvii. 19.) Denique credidit hoc ens, sive
 Deum, suum domicilium in cœlis habere. (vide
 Deut. xxxxi. 27.) quæ opinio inter ethnicos
 frequentissima fuit. Si jam ad Mosis revelationes
 attendamus, eas hisce opinionibus accomodatas
 fuisse reperiemus; nam quia credebat Dei natu-
 ram illas, quas diximus. pati conditiones, nem-
 pe, misericordiam, benignitatem &c. ideo Deus,
 ad hanc ejus opinionem, & sub hisce attributis
 ipse revelatus fuit. (vide Exodi xxxiv. 6. 7. ubi
 narratur qua ratione Deus Mōsi apparuit; & de-
 calogi. vers. 4. 5.) Deinde capite xxxiii. 18.
 narratur, Mōsen a Deo petiisse, ut sibi liceret,
 eum videre; sed quoniam Moses, ut jam dictum
 est, nullam Dei imaginem in cerebro formave-
 rat, & Deus (ut jam ostendi) non revelatur Pro-
 phetis, nisi pro dispositione eorum imaginatio-
 nis, ideo Deus nulla ipsi imagini apparuit: at-
 que hoc contigisse inquam, quia Mōsis imagina-
 tioni repugnabat, nam alii Prophetæ, Deum se
 vidisse testantur; Nempe Efaias, Ezechiēl, Da-
 niel, &c. & hac de causa Deus Mōsi respondit,
 לֹא תָכַל לְרֹאֹת אֶת פָנֵי *non poteris meam faciem
 videre*, & quia Moses credebat, Deum esse visi-
 bilem, hoc est, ex parte divinæ naturæ nullam id
 implicare contradictionem, alias enim nihil simi-
 le petiisset; ideo addit רְאֵנִי הָאָדָם וְזֹה
quoniam nemo me videbit, & vivet; reddit igitur ra-
 tionem opinioni Mōsis consentaneam; non enim
 dicit

dicit, id ex parte Divinæ naturæ implicare contradictionem, ut res revera se habet, sed id contingere non posse, propter humanam imbecillitatem. Porro ut Deus Mōsi revelaret, Isrāelitas, quia vitulum adoraverant, reliquis gentibus similis factos esse, ait cap. x x x i i i. 2. 3. se misericordum angelum, hoc est ens, quod vice supremi entis Isrāelitarum curam haberet, se autem nolle inter ipsos esse; hoc enim modo nihil Mōsi relinquebatur, ex quo ipsi constaret Isrāelitas Deo reliquis nationibus, quas Deus etiam curæ aliorum entium, sive angelorum tradiderat, dilectiores esse, ut constat ex vers. 16. ejusdem capituli. Denique, quia Deus in cœlis habitare credebatur, ideo Deus, tanquam è cœlo supra montem descendens, revelabatur, & Moses etiam montem, ut Deum alloqueretur, ascendebat, quod minime opus ei esset, si æque facile Deum ubique imaginari posset. Isrāelitæ de Deo nihil fere norunt, tametsi ipsis revelatus est, quod quidem plusquam satis ostenderunt cum ejus honorem, & cultum paucis post diebus vitulo tradiderunt, credideruntque illum esse eos Deos, qui eos ex Aegypto eduxerant. Nec sane credendum est, quod homines superstitionibus Aegyptiorum assueti, rudes, & miserrimâ servitute confecti, aliquid sani de Deo intellexerint, aut quod Moses eos aliquid docuerit, quam modum vivendi, non quidem tanquam Philosophus, ut tandem ex animi libertate, sed tanquam Legislator, ut ex imperio Legis coacti essent bene vivere. Quare ratio bene vivendi, sive vera vita, Deique cultus, & amor iis magis servitus, quam vera libertas, Deique gra-

gratia, & donum fuit; Deum enim amare, ejusque legem servare jussit, ut Deo præterita bona (ex *Ægyptiaca* scilicet servitute libertatem &c.) accepta ferrent, & porro minis eos perterrefacit, si illorum præceptorum fuissent transgressores, & contra, si ea observaverint, multa promittit bona. Eos itaque eodem modo docuit, ac parentes pueros, omni ratione carentes, solent. Quare certum est, eos virtutis excellentiam, veramque beatitudinem ignoravisse. Jonas conspectum Dei fugere putavit, quod videtur ostendere, cum etiam credidisse, Deum curam cæterarum regionum, extrâ Judæam, aliis potentiis, a se tamen substitutis, tradidisse. Nec ullus in veteri testamentoq; habetur, qui magis secundum rationem de Deo locutus est, quam Salomon, qui lumine naturali omnes sui seculi superavit; & ideo etiam se supra Legem (nam ea iis tantum tradita est, qui ratione, & naturalis intellectus documentis carent) existimavit, legesque omnes, quæ Regem spectant, & quæ tribus potissimum constabant (vide Deut. xvi. 1. 16. 17.) parvi pependit, imo eas plane violavit (in quo tamen erravit, nec quod Philosopho dignum egit, nempe, quod voluptatibus indulserit) omnia fortunæ bona mortalibus vanæ esse docuit (vide Eccl.) & nihil homines intellectu præstantius habere, nec majori supplicio, quam stulticiâ, puniri. (vide Proverb. xvi. 23) Sed ad Prophetas revertamur, quorum discrepantes opiniones etiam notare suscepimus. Ezechieli sententias adeo sententiis Mosis repugnantes invenerunt Rabini, qui nobis illos (qui jam tantum extant) libros Prophetarum reliquerunt, (ut tra-

tractatu Sabbati cap. I. fol. 13. pag. 2. narratur) ut fere deliberaverint, ejus librum inter canonicos non admittere, atque eundem plane abicon-didissent, nisi quidam Chanania in se suscepisset ipsum explicare, quod tandem magno cum labo-re, & studio (ut ibi narratur) ajunt ipsum fecisse, qua ratione autem, non satis constat, nempe, an quod commentarium, qui forte periiit, scripserit, vel quod ipsa Ezechelis verba, & orationes (ut fuit audacia) mutaverit, & ex suo ingenio orna-verit; quidquid sit, cap. saltet xviii. non vi-detur convenire cum Exodi, xxxiv. 7. nec cum Jerem. xxxii. 18. &c. Shamuël credebat Deum, ubi aliquid decreverat, numquam decreti pœnitere (vide lib. I. Shamuëlis xv. 29.) nam Saulo, sui peccati pœnitenti, & Deum ado-rare, veniamque ab ipso petere volenti, dixit, Deum suum contra eum decretum non mutatum: Jöremiae autem contra revelatum fuit (vide cap. xvii. 8. 10.) nempe Deum, sive aliquid damni, sive aliquid boni alicui nationi decreverit, sui decreti pœnitere, modo homines etiam a tem-pore sententiae, vel in melius, vel in pejus mu-tentur. At Joël Deum damni pœnitere tantum docuit (vide ejus II. 13.) Denique ex Gen. iv. 7. clarissime constat, hominem posse peccati tentationes domare, & bene agere id enim Kaino dicitur, qui tamen ut ex ipsa Scripturâ, & Josepho constat. eas nunquam domavit; idem etiam ex modo allato cap. Jöremiae evidentissime colligitur; nam ait Deum sui decreti in damnum, aut bonum hominum prolati, pœ-nitere, prout homines mores, & modum vivendi mut-

mutare volunt; at Paulus contra nihil apertius docet, quam quod homines nullum imperium, nisi ex Dei singulari vocatione, & gratiâ in carnis tentationes habent. Vide Epist. ad Romanos i. x. ex vers. 10. &c. & quod III, 5. & v. 19. ubi Dei justitiam tribuit, se corrigit, quod humano more sic loquatur, & propter carnis imbecillitatem.

Ex his itaque satis superque constat, id, quod ostendere proponebamus, nempe Deum revelationes captui & opinionibus prophetaruni accommodavisse, Prophetasque res, quæ solam speculationem, & quæ non charitatem, & usum vitæ spectant, ignorare potuisse, & revera ignoravisse, contrariaisque habuisse opiniones. Quare longe abest, ut ab iis cognitio rerum naturalium, & spiritualium sit petenda. Concludimus itaque nos Prophetis nihil aliud teneri credere præter id, quod finis & substantia est revelationis, in reliquis, prout unicuique libet, liberum est credere, exempli gratia, revelatio Kaini, nos tantum docet, Deum Kainum monuisse ad veram vitam; id enim tantum intentum, & substantia revelationis est, non vero libertatem voluntatis, aut res Philosophicas docere; quare, tametsi in verbis illius monitionis, & rationibus libertas voluntatis clarissime continetur, nobis tamen licitum est, contrarium sentire, quandoquidem verba illa, & rationes ad captum tantum Kaini accommodatae sunt. Sic etiam Michææ revelatio tantum docere vult, quod Deus Michææ verum exitum pugnas Achabi contra Aram revelavit, quare hoc etiam tantum tenemur credere; quicquid igitur præter hoc

hoc in illa revelatione continetur, nempe de Dei Spiritu vero, & falso, & de exercitu cæli, ab utroque Dei latere stante, & reliquæ illius revelationis circumstantiæ, nos minime tangunt: adeoque de iis unusquisque, prout suæ rationi magis consentaneum videbitur, credat. De rationibus, quibus Deus Jobo ostendit suam in omnia potentiam, si quidem verum est quod Jobo revelatione fuerint, & quod author historiam narrare, non autem (ut quidam credunt) suos conceptus ornare studuerit; idem etiam dicendum, nempe eas ad captum Jobi, & ad ipsum tantum convincendum allatas fuisse, non vero quod sint rationes universales ad omnes convincendum. Nec aliter de Christi rationibus, quibus Phariseos contumaciæ, & ignorantiae convincit discipulosque ad veram vitam hortatur, statuendum; quod nempe suas rationes opinionibus & principiis uniuscujusque accommodavit. Ex. gra. cum Phariseis dixit, (vide Matth. x. 26.) *& si Satanas Satanam ejicit, adversus se ipsum divisus est; quomodo igitur stare regnum ejus;* nihil nisi Phariseos ex suis principiis convincere voluit, non autem docere, dari Dæmones, aut aliquod Dæmonum regnum: Sic etiam, cum discipulis dixit (Matth. xviii. 10.) *videte ne contemnatis unum ex parvis istis, dico enim Angelos eorum in celis &c.* Nihil aliud docere vult, quam ne sint superbi, & ne aliquem contemnant, non vero reliqua, quæ in ipsius rationibus, quas tantum adfert ad rem discipulis melius persuadendum, continentur. Idem denique de rationibus, & signis Apostolorum absolute dicendum, nec de his opus est fusius loqui: nam si mihi enumera-

randa

randa essent omnia Scripturæ loca, quæ tantum ad hominem, sive ad captum alicujus scripta sunt, & quæ non sine magno Philosophiæ præjudicio, tanquam divina doctrina defenduntur, a brevitate, cui studio, longe discederem: sufficiat igitur, quædam pauca, & universalia attigisse, reliqua curiosus lector apud se perpendat. Verum enimvero quamvis hæc tantum, quæ de Prophetis, & Prophetia egimus, ad scopum, ad quem intendo, præcipue pertineant, nempe ad separandam Philosophiam a Theologia, attamen, quia hanc quæstionem universaliter attigi, lubet adhuc inquirere, num donum Propheticum Hebreis tantum peculiare fuerit, an vero omnibus nationibus commune; tum etiam quid de vocacione Hebræorum statuendum, de quibus vide caput sequens

C A P U T I I I.

De Hebraeorum vocatione. Et an donum Propheticum Hebreis peculiare fuerit.

VEra fœlicitas, & Beatitudo uniuscujusque in sola boni fruitione consistit, non vero in ea gloria, quod solus scilicet, & reliquis exclusis, bono fruatur; qui enim se propterea beatiorem æstimat, quod ipsi soli, cæteris non item bene sit, aut quod reliquis sit beatior, & magis fortunatus, is veram fœlicitatem, & beatitudinem ignorat, & Iztitia, quam inde concipit, nisi puerilis sit, ex nulla alia re oritur, quam ex invidia, & malo animo. Ex.

E

Gr.

Gr. vera hominis fœlicitas, & beatitudo in sola sapientia, & veri cognitione consistit, at minimè in eo, quod sapientior reliquis fit, vel quoque reliqui vera cognitione cateant; hoc enim ejus sapientiam, hoc est, veram ejus fœlicitatem nihil profus auget. Qui itaque propter hoc gaudet, is malo alterius gaudet, adeoque invidus est, & malus, nec veram novit sapientiam, neque veræ vitæ tranquillitatem. Cum igitur Scriptura, ut Hebræos ad obedientiam legis hortetur, dicit Deum eos præ cæteris nationibus sibi elegisse (vide Deut. x. 15.) ipsis propinquum esse, aliis non item, (Deut. i v. 4. 7.) iis tantum leges justas præscriptæ, ejusdem cap. vers. 8, ipsis denique tantum, cæteris posthabitatis, intotuisse, vide ejusdem cap. vers. 32. &c. ad eorum captum tantum loquitur, qui, ut in superiori capite ostendimus, & Moses etiam testatur (vide Deut. ix, 6. 7.) veram beatitudinem non noverant; nam sane ipsi non minus beati fuissent, si Deus omnes æque ad salutem vocavisset: nec ipsis Deus minus foret propitius, quamvis reliquis æque prope adesset, nec leges minus justæ, nec ipsi minus sapientes, et si omnibus præscriptæ fuissent, nec miracula Dei potentiam minus ostendissent, si etiam propter alias nationes facta fuissent; nec denique Hebræi minus tenetentur Deum colere, si Deus hæc omnia dona omnibus æqualiter largitus fuisset. Quod autem Deus Salomonis dicit, (vide Lib. i. Reg. 111. 12.) neminem post eum æque sapientem ac ipsum futurum, modus tantum loquendi viderit esse ad significandam eximiam sapientiam: quicquid sit,

mi-

minime credendum est, quod Deus Salomonis ad maiorem ejus felicitatem, promiserit, se tamen postea tantam sapientiam largiturum fore; hoc enim Salomonis intellectum nihil augeret, nec prudens Rex, et si Deus se eadem sapientia omnes donatum dixisset, minores pro tanto munere Deo ageret gratias.

Verum enimvero, et si dicamus Mosen in locis Pentateuchi modò citatis ad Hebræorum captum locatum fuisse, nolumus tamen negare, quod Deus ipsis solis leges illas Pentateuchi prescripsit, neque quod tantum iis locutus fuerit, nec denique quod Hebrei tot miranda viderint, qualia nulli alii nationi contigerunt; sed id tantum volumus, Mosen tali modo, iisque præcipue rationibus Hebreos monere voluisse, ut eos ex ipsorum puerili captu ad Dei cultum magis devinciret; deinde ostendere volumus Hebreos non scientiam, neque pietate sed plane alia re cæteras nationes extelluisse; sive (ut cum Scripturam ad eorum captum loquar) Hebreos non ad veram vitam, & sublimes speculationes, qiranquam saepe monitos, sed ad aliam plane rem electos a Deo præ reliquis fuisse; quænani autem ea fuerit, ordine hic ostendam.

Verum antequam incipiam, explicare paucis volo, quid per Dei directionem, perque Dei auxilium externum & internum, & quid per Dei electionem, quidque denique per fortunam in sequentibus intelligam. Per Dei directionem intelligo fixum illum & immutabilem naturæ ordinem sive rerum naturalium concatenationem: diximus enim supra & in alio loco jam ostendi-

mus, leges naturæ universales, secundum quas omnia fiunt & determinantur, nihil esse nisi Dei æterna decreta, quæ semper æternam veritatem & necessitatem involvunt. Sive igitur dicamus omnia secundum leges naturæ fieri, sive ex Dei decreto & directione ordinari, idem dicimus. Deinde quia rerum omnium naturalium potentia, nihil est nisi ipsa Dei potentia, per quam solam omnia fiunt & determinantur; hinc sequitur, quicquid homo, quietiam pars est naturæ, sibi in auxilium, ad suum esse conservandum parat, vel quicquid natura ipso nihil operante, ipsi offert, id omne sibi à sola divina potentia oblatum esse, vel quatenus per humanam naturam agit, vel per res extra humanam naturam. Quicquid itaque natura humana ex sola sua potentia præstare potest ad suum esse conservandum id Dei auxilium internum, & quicquid præterea potentia causarum externarum in ipsis utile cedit, id Dei auxilium externum merito vocare possumus. Atque ex his etiam facile colligitur, quid per Dei electionem sit intelligendum: Nam cum nemo aliquid agat, nisi ex prædeterminato naturæ ordine, hoc est, ex Dei æterna directione & decreto, hinc sequitur, neminem sibi aliquam vivendi rationem eligere, neque aliquid efficere, nisi ex singulari Dei vocatione, qui hunc ad hoc opus, vel ad hanc vivendi rationem præ aliis elegit. Denique per fortunam nihil aliud intelligo, quam Dei directionem, quatenus per causas externas & inopinatas res humanas dirigit. His prælibatis ad nostrum intentum revertamur, ut videamus quid id fuit, propter quod Hebreæ natio dicta fuerit à Deo

Duo præ reliquis eleæta. Ad quod ostendendum,
sic procedo.

Omnia, quæ honeste cupimus, ad hæc tria potissimum referuntur, nempe res per primas suas causas intelligere. Passiones domare, sive virtutis habitum acquirere. Et denique secure, & sano corpore vivere. Media, quæ ad primum & secundum directe inserviunt, & quæ tanquam causæ proximæ, & efficientes considerari possunt, in ipsa humana natura continentur; ita ut eorum acquisitione a sola nostra potentia, sive a solis hunianæ naturæ legibus præcipue pendeat: & hac de causa omnino statuendum est, hæc dona nulli nationi peculiaria sed toti humano generi communia semper fuisse; nisi somniare velimus, naturam olim diversa hominum genera procreavisse. At media, quæ ad secure vivendum, & corpus conservandum inserviunt, in rebus externis præcipue sita sunt; atque ideo dona fortunæ vocantur, quia nimis nra maxime a directione causarum externalium, quam ignoramus, pendent: ita ut hac in re stultus fere æque felix & infelix, ac prudens sit. Attamen ad secure vivendum, & injurias aliorum hominum, & etiam brutorum, evitandum, humana directio, & vigilantia multum juvare potest. Ad quod nullum certius medium ratio, & experientia docuit, quam societatem certis legibus formare, certamque mundi plagam occupare & omnium vires ad unum quasi corpus, nempe societatis, redigere: Verum enim vero ad societatem formandam, & conservandam ingenium & vigilantia non mediocris requiritur; & idcirco illa societas securior erit, & magis constans,

minusque fortunæ obnoxia, quæ maxime ab hominibus prudentibus & vigilantibus fundatur, & dirigitur; & contra, quæ ex hominibus ruditis ingenuo constat, maximâ ex parte a fortunâ pendet, & minus est constans. Quod si tamen diu permapserit, id alterius directioni, non suæ debetur; imo si magna pericula exsuperaverit, & res ipsi prospere successerint, non poterit ipsa Dei directionem, (nempe quatenus Deus per causas latentes externas, at non quatenus per humanam naturam, & mentem agit) non admirari, & adorare: quandoquidem ipsi nihil nisi admodum inexpectatum, & præter opinionem contigit; quod revera etiam pro miraculo haberipotest.

Per hoc igitur tantum nationes ab invicem distinguuntur, nempe ratione societatis, & legum, sub quibus vivunt, & diriguntur; adeoque Hebræa natio, non ratione intellectus, neque animi tranquillitatis a Deo præ cæteris electa fuit, sed ratione societatis, & fortunæ, quâ imperium adeptâ est, quâque id ipsum tot annos retinuit. Quod etiam ex ipsa Scripturâ quam clarissime constat: si quis enim ipsam vel leviter percurrit, clare videt Hebræos in hoc solo cæteras nationes excelluisse, quod res suas, quæ ad vitæ securitatem pertinent, feliciter gesserint, magnaque pericula exsuperaverint, idque maxime solo Dei externo auxilio, in reliquis autem cæteris æquales fuisse, & Deum omnibus æque propitium. Nam ratione intellectus constat, (ut in superiori capite ostendimus) eos de Deo & natura vulgares admodum cogitationes habuisse; quare ratione intellectus non fuerunt a Deo præ cæteris electi; at nec etiam ratione virtutis

tutis, & veræ vitæ; hac enim in re etiam reliquis
 Gentibus æquales fuerunt, & non nisi paucissimi
 electi; eorum igitur electio, & vocatio in sola
 imperii temporaneâ fælicitate, & commodis con-
 stitit; nec videmus, quod Deus Patriarchis, aut
 eorum successoribus aliud præter hoc promiserit;
 imo in Lege pro obedientiâ nihil aliud promitti-
 tur, quam imperii continua fælicitas, & reliqua
 hujus vitæ commoda, & contra pro contumacia,
 pauciique ruptione, imperii ruina, maximaque
 incommoda. Nec mirum; nam finis universæ
 societatis, & imperii est (ut ex modo dictis patet,
 & in sequentibus tuis ostendemus) secure & com-
 mode vivere; imperium autem non nisi Legibus,
 quibus unusquisque teneatur, subsistere potest:
 quod si omnia unius societatis membra legibus va-
 ledicere velint, eo ipso societatem dissolvent, &
 imperium destruunt. Hebræorum igitur societati
 nihil aliud, pro constanti legum observatione,
 promitti potuit, quam vitæ securitas, ejusque
 commoda, & contra pro contumacia nullum cer-
 tius supplicium prædici, quam imperii ruina, &
 mala, quæ inde communiter sequuntur, & præ-
 terea alia, quæ ex eorum singularis imperii ruina
 ipsis peculiariter suborirentur, sed de his non est
 opus impræsentiarum prolixius agere. Hoc tan-
 tum addo, Leges etiam veteris testamenti Judæis
 tantum revelatas, & præscriptas fuisse; nam,
 cum Deus ipsos ad singularem societatem, & im-
 perium constituendum tantum elegerit, necessa-
 rio singulares etiam leges habere debebant: an
 vero aliis etiam nationibus Deus leges peculiares
 præscriperit, & earum Legislatoribus, sese pro-

phetice revelaverit, nempe sub iis attributis, quibus Deum imaginari solebant, mihi non satis constat; hoc saltem ex ipsa Scriptura patet, alias etiam nationes ex Dei directione externâ imperium, legesque singulares habuisse: ad quod ostendendum duo tantum Scripturæ loca adferam.

Genes. xiv. 18. 19. 20. narratur, quod Malkitsedek rex fuit Hierosolymæ, & Dei altissimi pontifex; & quod Abrahamo, ut jus erat Pontificis (vide Numeri v. 23.) benedixit, & denique quod Abrahamus Dei dilectus decimam partem totius prædæ huic Dei pontifici dedit. Quæ omnia satis ostendunt, Deum, antequam Gentem Israeliticam condiderit, reges, & pontifices, in Hierosolyma constituisse, iisque ritus, & leges præscripsisse: an vero prophetice, id, uti diximus, non satis constat, hoc mihi saltem persuadeo, Abrahamum, dum ibi vixit, religiose secundum illas leges vixisse; nam Abrahamus nullos titus particulariter a Deo accepit, & nihilominus dicitur Gen. xxvi. 5. Abrahamum observavisse cultum, præcepta, instituta, & Leges Dei, quod sine dubio intelligendum est de cultu, præceptis, institutis, & legibus regis Malkitsedeki. Mala chias I. 10. 11. Judæos his verbis increpat.

מִנְבָּכֶסְוִינְדֵר רַלְתִּים וְלֹא תָּירְדוּ מִזְבֵּחַ חַנְסֵט
אַיִן לִיחְפֹּצֵכְסָנוּ כִּי מִזְוֹרָה שְׁמֵשׁ וְעַד מְבוֹאוֹ
גְּרוֹל שְׁמֵי בְּגָנִים וּבְכָל מִקּוֹם מְוקָטֵר מְונַשׁ לְשָׁמֵי
וּמְנַחַת טְהוֹרָה כִּי גְּרוֹל שְׁמֵי בְּגָנִים אָמַר יְהוָה
qui si nam est inter vos, qui claudat ostia (scil: templi) ne meæ aræ frustra ignis imponatur in vobis non delector &c. Nam ex ortu solis usque in ejus occasum meum

nomen meum magnum est inter gentes, & ubique sufficiens
 mihi adfertur, & munus purum, meum enim nomen
 magnum est inter gentes, ait Deus exercitum: Quibus
 sane verbis, quandoquidem nullum aliud tempus
 quam praesens, nisi iis vim inferre velimus, pati
 possunt, satis superque testatur, Iudeos illo tem-
 pore Deo non magis dilectos fuisse quam alias
 Nationes; imo Deum aliis Nationibus miraculis
 magis innotuisse, quam tum temporis Judæos,
 qui tum sine miraculis imperium iterum ex parte
 adepti fuerant: deinde Nationes ritus, & cære-
 monias, quibus Deo acceptæ erant, habuisse.
 Sed hæc missa facio, nam ad meum intentum suffi-
 cit ostendisse electionem Judæorum nihil aliud
 spectavisse, quam temporaneam corporis fœlici-
 tatem, & libertatem, siue imperium, & modum,
 & media, quibus ipsum adepti sunt, & consequen-
 ter etiam Leges, quatenus ad illud singulare im-
 perium stabiliendum necessariæ erant, & deni-
 que modum, quo ipsæ revelatae fuerunt; in cæ-
 teris autem, & in quibus vera hominis fœlicitas
 consistit, eos reliquis æquales fuisse. Cum ita-
 que in Scriptura (vide Deut. 1 v. 7.) dicitur,
 nullam Nationem Deos sibi æque propinquos,
 ac Judæos Deum habere; id tantum ratione
 imperii, & de illo solo tempore, quo iis tot
 miracula contigerunt, intelligendum &c. rati-
 one enim intellectus, & virtutis, hoc est,
 ratione beatitudinis Deus, uti jam dixi-
 mus, & ipsa ratione ostendimus, om-
 nibus æque propitius est, quod quidem ex
 ipsa Scriptura satis etiam constat, ait enim
 Psaltes Psal. cxlv. 18. קָרְבָּן יְהוָה לְכָל

הַמְּלָאֵן לְבִל אֲשֶׁר יִקְרָאָנוּ בָּאָמֶת
*propinquum est
Deus omnibus, qui cunctacate, amicibus, qui cum bene re-
con. Item in cedera Ps. y. 9.
כֹּוב יְהוָה לְכָל וּרְחַמֵּן*
בְּנִי יְהוָה כָּל טָעֵן *Benignus est Deus omnibus, & si quis mis-
sericordia (est) erga omnia que fecerit In Psal. xxxi. 15.*
*clare dicitur Deum omnibus eundem intel-
lectum dedisse, his scilicet verbis* *לְפָנָים* *qui format eodem modo eorum cor.* Cor enim ab He-
braeis sedes animae, & intellectus credebatur, quod
omnibus satis esse notum existimo. Deinde ex
Jobi xxvii. 28. constat, Deum toti humano
generi hanc Legem prescrivisse; Deum revereri,
& a malis operibus abstinere, sive bene agere, &
ideo Jobus, quamvis gentilis, Deo omnium ac-
ceptissimus fuit, quoniam omnes pietate, &
religione superavit. Denique ex Iona x. v. 2, clá-
rissime constat, Deum non solum Judæis, sed
omnibus propitium, misericordem, longanimes,
& amplum benignitatem, ac pénitentem mali esse;
ait enim Jonas, *Ideo antea statui fugere Tharsum,*
quia novam (nempe ex verbis Mosis, quæ ha-
bentur Exodi xxxiv. 6.) *te Deum propitium, mi-
sericordem &c. esse;* adeoque gentilibus Ninivitis
condonaturum. Concludimus ergo (quandoqui-
dem Deus omnibus æque propitius est, & Hebrei,
non nisi ratione societatis, & imperii a Deo electi
fuerunt.) unumquemque Judæum extra societa-
tem, & imperium solum consideratum nullum
Dei donum supra alios habere, nec ullum discri-
mē inter ipsum, & gentilem esse. Cum itaque
verum sit quod Deus omnibus æque bēnignus,
misericors &c. sit, & Prophetæ officium non tam
fuerit

fuerit leges patriæ peculiares, quam veram virtutem docere, hominesque de ea moxere; non dubium est, quin omnes nationes Prophetas habuerint, & quod donum propheticum Iudeis peculiare non fuerit. Quod revera etiam tanta p̄fianæ, quam sacre historiæ testantur; & quamvis ex sacris historiis Veteris Testamenti non constet alias Nationes tot Prophetas, ac Hebræos, habuisse, imo nullum prophetam gentilem a Deo nationibus expresse missum, id nihil refert, nam Hebræi res suas tantum, non autem aliarum gentium scribere curaverunt. Sufficit itaque, quod in Veneri Testamento reperiamus, homines gentiles, & incircumcisos; ut Noach, Chanoch, Abramilech, Bilham, &c. prophetavisse; deinde Hebræos Prophetas non tantum suæ, sed etiam multis aliis nationibus a Deo missos fuisse. Ezechiel enim omnibus gentibus tum notis yaticinatus est. Imo Hobadias nullis quod scimus, nisi Idumæis: & Jonas Ninivitis præcipue vates fuit. Esajas non tantum Judæorum calamitates lamentatur, & prædictit, eorumque restorationem canit, sed etiam aliarum gentium; ait enim x v. 1.

9. *על בן אבכה בכב' יעור.* ideo stetu deplorabo Iacobem.. & cap. xix. prius Ægyptiorum calamitates, & postea eorum restorationem prædictis; (vide ejusdem cap. vers. 19.20.21.25.) nempe quod Deus iis Salvatorem mittet, qui eos liberabit, & quod Deus iis innotescet, & quod denique Ægyptii Deum sacrificiis. & muneribus colent, & tandem vocat hanc nationem *Benedictum Ægyptum Dei populum*: quæ omnia profecto valde digna sunt, ut notentur. Jeremias denique non Hebrææ gentis

sis tantum, sed absolute gentium Propheta vocatur. (vide ejusd. cap. I. 5.) hic etiam nationum calamitates prædicendo deflet, & eorum restorationem prædictit; ait enim cap. xxi. 31. **עַל כֵּן עַל מוֹאָב אֲלִיל וְלִמוֹאָב בְּלָה**
רַעַנָּן idcirco proper Moabum ejuslabo, & proper totum Moabum clamor &c. & vers. 36. **עַל כֵּן לְבִי לִמוֹאָב.** **כְּחֶלְמִים יְהוָה idcirco cor meum proper Moabum,**
scut tympana, obstrepit; & tandem eorum restorationem prædictit; ut & etiam restorationem Ægyptiorum, Hamonitarum, & Helamitarum. Quare non dubium est cæteras gentes suos etiam Prophetas ut Judæos habuisse, qui iis & judæis prophetaverunt. Quamvis tamen Scriptura non nisi de uno Bilhamo, cui res futuræ Judæorum & caliarum nationum revelatae fuerint, mentionem faciat, non tamen credendum est, Bilhamum sola illa occasione prophetavisse, ex ipsa enim historia clarissime constat eum dudum antea prophetiâ, & caliis divinis dotibus claruisse. Nam, cum Balak eum ad se accersere juberet, ait (Num. xxii. 6.) **כִּי יְדֻעַת אֶת אָשָׁר תַּבְרֹךְ** **מִבּוֹרָךְ וְאֶת תַּאֲוֵיר יוֹאָל** quoniam scio enim, cui benedictus, benedictum, & cui maledictus, maledictum esse. Quare is eandem illam virtutem, quam Deus Abrahamo (vide Gen. xii. 3.) largitus est, habebat. Balamus deinde, ut assuetus prophetiis, legatis respondet, ut ipsum manerent, donec ei Dei voluntas revelaretur. Cum prophetabat, hoc est, cum veram Dei mentem interpretabatur, hæc de se dicere solebat **נָאָם שׁוֹמֵעַ אָמְרִי אֶל יְהוָה דָּעַת** **עַל יְהוָה מִחְזָה שְׁרֵי יְחֹזָה נָוֶל וְגָלוֹ עַנְיִם** ejus, qui audit dicta Dei, & qui norit scientiam (vel mentem

mentem, & præscientiam) *Excelsi, visionem omnipotentis vides, excidens, sed reiectus oculis.* Denique postquam Hebrais ex mandato Dei benedixit, (nimis ut solebat) aliis gentibus prophetare, resque eorum futuras prædicere incipit. Quæ omnia satis superque indicant eum semper Prophetam fuisse, aut saepius prophetavisse, & (quod adhuc hic notandum) id quod præcipue Prophetas de prophetiæ veritate certos reddebat, habuisse, nempe animum ad solum æquum, & bonum inclinatum, non enim cui ipse volebat, benedicebat, nec, cui volebat maledicebat, ut Balak putabat, sed tantum iis, quibus Deus benedici, aut maledici volebat; ideo Balak respondit, *quamvis Balakus mihi daret tantum argenti, & aurii, quantum ejus domum adimplere posset, non potero transgredi edictum Dei, ad faciendum ex meo arbitrio bonum aut malum; quod Deus loqueretur, loquar;* quod autem Deus ei, dum erat in itinere, iratus fuerit, id etiam Mosi, dum in Ægyptum ex Dei mandato proficiscebatur, constigit. (vide Exodi i. v. 24.) & quod argentum ad prophetandum accipiebat, idem Shamuël faciebat (vide lib. i. Shamuël i. x. 2. 8.) & si in aliqua re peccavit, (de eo vide 2. Epist. Petr. II. 15. 16. & Judæ vers. 11.) *nemo adeo equus, qui bene semper agas, & nunquam peccet.* (vide Eccl. vii. 20.) Et sane ejus orationes multum semper apud Deum valere debuerunt, & ejus vis ad maledicendum cerre magna admodum fuit, quandoquidem toties in Scriptura reperiatur, ad Dei magnam misericordiam erga Israëlitas testandum, quod Deus noluerit Bilhamum audire, & quod maledictionem in benedictionem converteret (vide

(vide Deut. xxxii. 6. Jos. xxiv. 10. Nehem. xi. 2.) quare sine dubio Deo acceptissimus erat; nam impiorum orationes, & maledicta Deum minime mouent. Cum itaque hic verus Propheta fuerit, & tamen ab Josua (xlii. 22.) vocetur קָרְבָּן *divinus*, sive *augur*, certum est, hoc nomen etiam in bonam partem sumi, & quos gentiles solebant vocare *augures*, & *divinos*, veros fuisse Prophetas, & eos, quos Scriptura saepe accusat, & condemnat, Pseudo-divinos fuisse, qui gentes sicut Pseudo-prophetæ Judæos, decipiebant, quod etiam ex aliis Scripturæ locis satis clare constat; quare concludimus, donum Propheticum Iudæis peculiare non fuisse, sed omnibus nationibus commune. Pharisei tamen contra, acriter contendunt, hoc donum divinum suæ tantum nationi peculiare fuisse, reliquas autem nationes ex virtute nefcio quam diabolica (quid tandem non finget superstitione) res futuras predixisse: præciputum, quod ex veteri testamento adferunt, ad hanc opinionem ejus auctoritate confirmandum, est illud (Exod. xxxii. 16.) ubi Moses Deo ait כִּי־מֵצָאתִי חַדְבָּנֶךָ אָנִי וְעַמְךָ הַלֹּא בְּלֹכְדָךָ עַמְנוּ וְנַפְלִצְנוּ אָנִי וְעַמְךָ מִכָּל הָעֵט אֲשֶׁר עַל־פְנֵי הַאֲדֹמָה quānam enim re cognoscetur, me, & populum tuum invenisse gratiam in oculis tuis? certe quando cum nobis ibis, & separabimur ego, & populus tuus ab omni populo, qui est in superficie terra: hinc inquam inferre volunt, Mosen a Deo petiisse, ut Judæis esset præsens, iisque propheticæ se se revelaret, deinde ut hanc gratiam nulli alii nationi concederet. Ridiculum

sane

sane, quod Moses præsentiam Dei gentibus invideret, aut quod tale quid a Deo ausus esset petere. Sed res est, postquam Moses novit ingenium, & animum suas nationis contumacem, clare vidit, eos non sine maximis miraculis, & singulari Dei auxilio externo, res incepit asperficere posse; ito eos necessario sine tali auxilio perituraos; adeoque ut constaret, Deum eos conservatos velle, hoc Dei singulare auxilium externum petit. Sic enim (cap. xxxi. v. 9.) ait si inveti gracie in occultu tuis, Domine, eat, precor, Dominus noster noster, quoniam hic populus contumax est &c. Ratio itaque, cum Dei singulare auxilium externum petat, est quia populus erat contumax, & quod adhuc clarus ostendit, Moses nihil præter hoc singulare Dei auxilium exterritum petivisse, est ipsa Dei responsio; respondit enim statim (vers. 10. eiusdem cap.) ecce ego parco fidelis, coram isto populo tu me facilius misericordia, qua non fuerum facile in tua terra, neq; in omnibus gentibus &c. Quare Moses hic de sola Hebraeorum electione, ut eam explicui, agit, nec aliud a Deo petiit. Attamen in Epistola Pauli ad Rom. aliunctum textum repetio, qui me magis moveret, nitempe (11. 12.) ubi Paulus aliud, quam nos hic, docere videtur; ait enim, qua est igitur præstans Iudas? aut qua utilitas circumcisio, multa per omnia modum; primarium enim est, quod ei coneredita sunt eloquia Dei. Sed si ad Pauli doctritam, quam præcipue docere vult attendimus, nihil invenietur, quod nostræ huic doctrinæ repugnet, sed contraria eadem, quæ nos hic, docere: ait enim vers. 29. ejusdem capitis, Deum, & Judæorum, & gentium Deum esse, & cap. II. vers. 25. 26.

Si circumcisum refiliat a lege, circumcisionem factam fore preputium, & contra, si preputium obseruer mandatum legis, ejus preputium reputari circumcisionem. Deinde vers. 9. cap. iv. ait omnes æque Judæos scilicet, & gentes sub peccato fuisse; peccatum autem sine mandato, & lege non dari. Quare hinc evidentissime constat, legem omnibus absolute (quod supra etiam ex Job. x x v i i i. 28 ostendimus) revelatam fuisse, sub quâ omnes vixerunt, nempe legem, quæ solam veram virtutem spectat, non autem illam, quæ pro ratione, & constitutione singularis cuiusdam imperii stabilitur, & ad ingenium unius nationis accommodatur. Denique concludit Paulus, quoniam Deus omnium nationum Deus est, hoc est, omnibus æque propitijs, & omnes æque sub lege, & peccato fuerant, ideo Deus omnibus nationibus Christum suum misit, qui omnes æque a servitute legis liberaret, ne amplius ex mandato Legis, sed ex constanti animi decreto, bene agerent. Paulus itaque id, quod volumus ad amulsum docet. Cum ergo ait, *Iudeis tantum Dei elequia credita fuisse*, vel intelligendum est, quod iis tantum Leges scripto, reliquis autem gentibus sola tantum revelatione, & conceptu, concredite fuerunt, vel, dicendum, (quandoquidem id, quod soli Judæi objectare poterant, propulsare studet) Paulum exceptu & secundum opiniones Judæorum, tum temporis receptas, respondere; nam ad ea, quæ partim viderat, partim audiverat, edocendum, cum Græcis erat Græcus, & cum Judæis Judæus. Superest jam tantum ut quorundam rationibus respondeamus, quibus sibi persuadere volunt. He-

bræorum electionem non temporaneam , & ratio-
ne solius imperii , sed æternam fuisse : nam , ajunt ,
videmus Judæos post imperii amissionem , tot an-
nos ubique sparzos , separatosque ab omnibus na-
tionibus , superstites esse , quod nulli alii Nationi
contigit , deinde quod Sacræ Literæ multis in lo-
cis docere videntur , Deum Judæos in æternum si-
bi elegisse , adeoque , tametsi imperium perdide-
runt , nihilominus tamen Dei electos manere.
Loca quæ hanc æternam electionem quam clarissi-
me docere putant , sunt præcipue . I. Jeremiæ
xxx . 36. ubi Propheta semen Israëlis in æter-
num gentem Dei mansuram testatur , comparan-
do nimirum eos cum fixo cœlorum & nature ordi-
ne . II. Ezechiëlis xx . 32. &c. ubi videtur
velle , quod , quamvis Judæi data opera Dei cultui
valedicere velint , Deus tamen eos ex omnibus re-
gionibus , in quibus dispersi erant , recolliget , du-
cetque ad desertum populorum , sicuti eorum pa-
tentes ad Ægypti deserta duxit , & tandem inde ,
postquam eos a rebellibus & difficilibus selege-
rit , ad montem ejus sanctitatis ; ubi tota Israëlis
familia ipsum colet . Alia præter hæc adserri so-
lent , præcipue a Phariseis , sed omnibus me satis-
facturum puto , ubi hisce duobus respondero :
quod levi negotio faciam , postquam ex ipsa Scrip-
tura ostendero , Deum Hebræos in æternum non
elegisse , sed tantum eadem conditione , quâ ante
Canahanitas elegerit , qui etiam , ut supra ostendimus ,
pontifices habuerunt , qui Deum religi-
ose colebant , & quos tamen Deus propter eorum
luxuri , & socordiam , & malum cultum rejicit .
Moses enim in Levitico xviii . 27. 28. monet

Israëlitas, ne incestis polluantur, veluti Canahænitæ, ne ipsos terra evomat, sicuti evomuit illas gentes, quæ illa loca inhabitabant. Et Deus. **¶ 111. 19. 20.** ipsi expressissimis verbis totalem ruinam minatur. Sic enim ait. **הָעֲרֹתִי בְּכֶס הַיּוֹם** כִּי אָפָר תָּאַבְרוֹן כְּנוֹים אֲשֶׁר יְהוָה מֵאַבֵּיד מִפְנִיכֶם **בָּן תָּאַבְרוֹן** *testor vobis hodie; quod absolute peribitis,* sicuti gentes quas Deus ex vestrâ praesentiâ perire facie, sic peribitis. Et ad hunc modum alia in Lege reperiuntur, quæ expresse indicant, Deum non absolute, neque in æternum Hebræam nationem elegisse. Si itaque Prophetæ iis novum, & æternum fœdus Dei cognitionis, amoris, & gratiarum prædixerunt, id piis tantum promitti facile convincitur; nam in eodem Ezechiëlis capite, quod modo citavimus, expresse dicitur, quod Deus ab iis separabit rebelles, & deficientes: & Tsephaniæ **¶ 111. 12. 13.** quod Deus superbos auferet e medio, & pauperes superstites faciet, & quia hæc electio veram virtutem spectat, non putandum est, quod piis Judæorum tantum, cæteris exclusis, promissa fuerit, sed plane credendum gentiles veros Prophetas, quos omnes nationes habuisse, ostendimus, eandem etiam fidelibus suarum Nationum promisisse, eosque eadem solatos fuisse. Quare hoc æternum fœdus Dei cognitionis, & amoris universale est, ut etiam ex Tsephaniæ **¶ 111. 10. 11.** evidentissime constat, adeoque hac in re nulla est admittenda differentia inter Judæos, & gentes, neque igitur etiam alia electio iis peculiaris præter illam, quam jam ostendimus. Et quod Prophetæ, dum de hac electione,

ne, quæ solam veram virtutem spectat, multæ de sacrificiis, & aliis ceremoniis, Templi, & Urbis rededicatione miscent, pro more, & naturæ prophetæs spirituales sub talibus figuris explicare voluerunt, ut Judæis, quorum erant Prophetæ, imperii, & Templi restorationem, tempore Ciri expectandam, simul indicarent. Quare hodie Judæi nihil prorsus habent, quod sibi supra omnes Nationes tribuere possint. Quod autem tot annos dispersi absque imperio perstiterint, id minime mirum, postquam se ab omnibus nationibus ita separaverunt, ut omnium odium in se converterint, idque non tantum ritibus externis, ritibus ceterarum nationum contrariis, sed etiam signo circumcisionis, quod religiosissime servant. Quod autem Nationum odium eos admodum conservet, id jam experientia docuit. Cum rex Hispanias olim Judæos coëgit Regni Religionem admittere, vel in exilium ire, perplurimi Judæi Pontificiorum Religionem admisserunt; sed quia iis, qui religionem admisserunt, omnia Hispanorum naturalium privilegia concessa sunt, iisque omnibus honoribus digni existimati sunt, statim ita se Hispanis impunisuerunt, ut patet post tempore nullæ eorum reliquæ manserint, neque ulla memoria. At plane contra iis contigit, quos Rex Lusitanorum religionem sui imperii admittere coëgit, qui semper, quamvis ad religionem conversi ab omnibus separati vixerunt, nimirum quia eos omnibus honoribus indignos declaravit. Signum circumcisionis etiam hac in re tantum posse existimo, ut mihi persuadeam, hoc unum hanc Nationem in æternum conservaturum, imo

nisi fundamenta suæ religionis eorum animos effeminarent, absolute crederem, eos aliquando, data occasione, ut sunt res humanæ mutabiles, suum imperium iterum erecturos, Deumque eos de novo electurum. Cujus etiam rei exemplum præclarum habemus in Chinensibus, qui etiam commnia aliquod in capite religiosissime servant, quo se ab omnibus aliis separant, & ita separati tot annorum millia se conservaverunt, ut antiquitate reliquas omnes nationes longe superent; nec semper imperium obtinuerunt, attamen illud amissum recuperaverunt, & sine dubio iterum recuperabunt, ubi Tartarorum animi præ luxu divitiarum, & socordia languescere incipient. Denique si quis vellet defendere, Judæos hac, vel alia de causa a Deo in æternum electos fuisse, non ipsi repugnabo, modo statuat, hanc electionem, vel temporaneam, vel æternam, quatenus ea tantum Judæis peculiaris est, non respicere, nisi imperium, & corporis commoditates, (quandoquidem hoc solum unam Nationem ab alia distinguere potest) at ratione intellectus, & veræ virtutis nullam nationem ab alia distingui, adeoque his in rebus nec a Deo unam præ alia eligi.

C A P U T IV.

De Legis Divina:

LEgis nomen absolute sumptum significat id, secundum quod unumquodque individuum, vel omnia vel aliquot ejusdem speciei una, eademque certa ac determinata ratione agunt; ea vero vel a necessitate naturae, vel ab hominum placito dependet: Lex, quae a necessitate naturae dependet, illa est, quae ex ipsa rei natura sive definitione necessario sequitur; ab hominum placito autem, & quae magis proprius ius appellatur, est ea, quam homines ad tutius, & commodius vivendum, vel ob alias causas, sibi & aliis prescribunt. Ex. gr. quod omnia corpora, ubi in alia minora impingunt, tantum de suo motu amittunt, quantum aliis communicant, lex est universalis omnium corporum, quae ex necessitate naturae sequitur. Sic etiam, quod homo, cum unius rei recordetur, statim recordetur alterius similis, vel quam simul cum ipsa percepérat; lex est, quae ex natura humana necessario sequitur. At quod homines de suo jure, quod ex natura habent, cedant, vel cedere cogantur, & certae rationi vivendi fese adstringant, ex humano placito pendet. Et quamvis absolute concedam omnia ex legibus universalibus naturae determinati, ad existendum, & operandum, certa, ac determinata ratione, dico tamen has leges ex placito hominum pendere. I. Quia homo, quantum pars est naturae, etenus partem potentiae

naturæ constituit; quæ igitur ex necessitate naturæ humanæ sequuntur, hoc est, ex natura ipsa, quatenus eam per naturam humanam determinatam concipimus, ea, etiam si necessario, sequuntur tamen ab humana potentia, quare sanctionem istarum legum ex hominum placito pendere optimè dici potest, quia præcipue a potentia humana mentis ita pendet, ut nihilominus humana mens, quatenus res sub ratione veri, & falsi percipit, sine hisce legibus clarissime concipi possit, at non sine lege necessaria, ut modo ipsam definivimus.

II. Has leges ex placito hominum pendere etiam dixi, quia res per proximas suas causas definire, & explicare debemus, & illa universalis consideratio de fato, & concatenatione causarum, minime nobis inservire potest ad nostras cogitationes, circa res particulares, formandas, atque ordinandas. Adde, quod nos ipsam rerum coordinationem, & concatenationem, hoc est, quomodo res revera ordinatae, & concatenatedae sunt, plane ignoremus, adeoque ad usum vitae melius, imo necesse est, res ut possibiles considerare. Hæc de lege absolute consideratâ.

Verum enimvero quoniam nomen legis per translationem ad res naturales applicatum videntur, & communiter per legem nihil aliud intelligitur, quam mandatum, quod homines, & perficere, & negligere possunt, utsi, quia potentiam humanam sub certis limitibus, ultra quos se extendit, constringit, nec aliquid supra vires imperat; ideo Lex particularius definienda videntur, nempe, quod sit ratio vivendi, quam homo sibi, vel aliis ob aliquem finem præscribit.

Atta-

Artaten, quoniam verus finis legum paucis tantum patere solet, & per plurimum homines ad eum iniqua petendi fere inepti sunt, & nihil minus ex ratione vivunt, ideo legislatores, ut omnes aequaliter constringerent, alium finem, longe diversum ab eo, qui ex legum natura necessario sequitur, sancipienter statuerunt, nempe legum propugnatoribus promittendo id, quod vulgus maxime amat, & contenta iis, qui eas violarent, minitando id, quod maxime timet; si que conati sunt vulgum, tanquam equum freno, quoad ejus fieri potest, cohibere; unde factum est, ut pro lege maxime haberetur, ratio vivendi, quae hominibus ex aliquorum imperio prescribitur: & consequenter ut ii, qui legibus obtemperant, sub lege vivere dicantur, & servire videantur. Et revera qui unicuique suum tribuit, quia patibulum timet, is ex alterius imperio & malo coactus agit, nec justus vocari potest; at is, qui unicuique suum tribuit, ex eo quod veram legum rationem, & eorum necessitatem novit, is animo constanti agit, & ex proprio, non vero alieno decreto; adeoque justus merito vocatur: quod etiam Paulum docere voluisse puto, cum dixit, eos, qui sub lege vivebant, per legem justificari non potuisse; justitia enim, ut communiter definitur, est constans & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi; & ideo Salomon Prov. xxx. 12. ait, justum lætari, cum sit Judicium, iniquos autem pavere. Cum itaque Lex nihil aliud sit, quam ratio vivendi quam homines, ob aliquam finem sibi, vel aliis prescribunt, ideo Lex distinguenda videtur in humanam, & divinam; per humanam intelligo

rationem vivendi, quæ ad tutandam vitam, & rempublicam tantum inservit; per divinam autem, quæ solum summum bonum, hoc est, Leiveram cognitionem, & amorem spectat. Ratio, cur hanc legem voco divinam, est, propter summi boni naturam, quam hic paucis, & quam clare potero, jam ostendam.

Cum melior pars nostri sit intellectus, certum est, si nostrum utile revera querere velimus, nos supra omnia debere conari, ut eum quantum fieri potest, perficiamus, in ejus enim perfectione summum nostrum bonum consistere debet. Porro quoniam omnis nostra cognitio, & certitudo, quæ revera omne dubium tollit, a sola Dei cognitione dependet; tum quia sine Deo nihil esse, neque concipi potest, tum etiam, quia de omnibus dubitare possumus, quam diu Dei nullam claram, & distinctam habemus ideam; hinc sequitur, summum nostrum bonum, & perfectionem a sola Dei cognitione pendere &c. Deinde cum nihil sine Deo nec esse nec concipi possit; certum est, omnia, quæ in natura sunt, Dei conceptum, pro ratione suæ essentiæ suæque perfectionis involvere, atque exprimere, ac proinde nos, quo magis res naturales cognoscimus, eo majorem, & perfectiorem Dei cognitionem acquirere; vel (quoniam cognitio effectus per causam nihil aliud est, quam causæ proprietatem aliquam cognoscere) quo magis res naturales cognoscimus, eo Dei essentiam (quæ omnium rerum causa est) perfectius cognoscere; atque adeo tota nostra cognitio, hoc est, summum nostrum bonum, non tantum a Dei cognitione dependet, sed in

in eadem omnino consistit: quod etiam ex hoc sequitur, quod homo pro natura, & perfectione rei, quam præ reliquis amat, eo etiam perfectior est, & contra: adeoque ille necessario perfectissimus est & de summa beatitudine maxime participat, qui Dei, entis nimirum perfectissimi, intellectualem cognitionem supra omnia amat, eademque maxime, delectatur. Huc itaque nostrum summum bonum, nostraque beatitudo redit, in cognitionem, scil: & amorem Dei. Media igitur, quæ hic finis omnium humanarum actionum, nempe ipse Deus, quatenus ejus idea in nobis est, exigit, iussa Dei vocari possunt, quia quasi ab ipso Deo, quatenus in nostra mente existit, nobis prescribuntur: atque adeo ratio vivendi, quæ hunc finem spectat, Lex divina optime vocatur. Quænam autem hæc media sint, & quænam ratio vivendi, quam hic finis exigit, & quomodo hunc optimæ reipublicæ fundamenta sequantur, & ratio vivendi inter homines, ad universalem Ethicam pertinet. Hic non nisi de Lege divina in genere pergam agere.

Cum itaque amor Dei summa hominis felicitas sit, & beatitudo, & finis ultimus, & scopus omnium humanarum actionum; sequitur eum tantum Legem divinam sequi, qui Deum amare curat, non ex timore supplicii, neque præ amore alterius rei, ut deliciarum, famæ &c. sed ex eo solo, quod Deum novit, sive quod novit, Dei cognitionem, & amorem, summum esse bonum. Legis igitur divinæ summa, ejusque summum præceptum est, Deum ut summum bonum amare, nempe ut jam diximus, non ex metu alicujus supplicii, & pœnæ, nec præ amore alterius rei, quâ delectari cupimus: hoc

enim idea Dei dicitur, Deum summam esse nostrum bonum, sive Dei cognitionem, & amorem, finem esse ultimum, ad quem omnes actiones nostre sunt dirigendae. Homo tamen carnalis haec intelligere nequit, & ipsi vana videntur, quia nimis jejunam Dei habet cognitionem, & etiam quia in hoc summo bono nihil repperit, quod palpet, comedat, aut denique quod carnem, quam maxime delectatur, afficiat, utpote, quod in sola speculatione, & pura mente consistit. At ii qui norunt se nihil intellectu, & sancta mente prestantius habere, haec, sine dubio, solidissima judicabant. Explicuimus itaque in quo potissimum lex divina consistit, & quantum sint leges humanæ, nempe omnes illæ, quæ alium scopum collinant, nisi ex revelatione sanctitæ fuerint; nam hac etiam consideratione res ad Deum referuntur, (ut supra ostendimus) & hoc sensu Lex Mosis, quavis non universalis, sed maxime ad ingenium & singularem conservationem unius populi accommodata fuerit, vocati tamen potest Lex Dei, sive Lex divina; quandoquidem credimus, eam lumine propheticō sanctitatem fuisse. Si jam ad Naturam Legis divinitate naturalis, ut eam modo explicuimus, attendamus, videbimus.

I. Eam esse universalem, sive omnibus hominibus communem; eam enim ex universali humanæ naturæ deduximus.

II. Eam non exigere fidem historiarum, quæcumque demum ex fuerint, nam quandoquidem haec Lex divina naturalis ex sola consideratione humanæ naturæ intelligatur; certum est, nos eam æque concipere posse in Adamo, ac alio quocunque homine, æque in homine qui

inter

Inter homines vivit, ac in homine, qui solitariam vitam agit. Nec fides historiarum, quantumvis certa, Dei cognitionem, & consequenter nec etiam Dei amorem nobis dare potest; amor enim Dei ab ejus cognitione oritur; ejus autem cognitio ex communibus notionibus per se certis, & notis hauriri debet, quare longe abest, ut fides historiarum requisitum sit necessarium, ut ad summum nostrum bonum perveniamus. Attamen, quamvis fides historiarum Dei cognitionem & amorem nobis dare nequeat, earum tamen lectio-
nem, ratione vita civilis, perutilem esse, non negamus; quo enim hominum mores, & condi-
tiones, que ex nulla re melius, quam ex eorum actionibus nosci possunt, observaverimus, & melius noverimus, eo inter ipsos cautius vivere, no-
strisque actiones, & vitam eorum ingenio, quan-
tum tatio fert, melius accommodare poterimus.
Videmus III. hanc Legem divinam naturalem non exigere ceremonias, hoc est, actiones, que in se indifferentes sunt, & solo instituto bona vo-
cantur, vel, que aliquod bonum ad salutem ne-
cessarium representant, vel, si mavis actiones,
quarum ratio captum humanum superat; nihil enim lumen naturale exigit, quod ipsum lumen non attingit, sed id tantum, quod nobis clarissime in-
dicare potest, bonum, sive medium ad nostram beatitudinem esse: Quae autem ex solo mandato,
& instituto bona sunt, vel ex eo, quod alicuius boni sint repræsentamina, ea nostrum intellectum perficere nequeunt, nec aliud, nisi meræ umbras sunt, nec inter actiones, que quasi proles, aut fructus intellectus, & sanæ mentis sunt, nume-
rari

rari possunt. Quod hic non opus est, prolixius ostendere. IV. Denique videmus summum legis Divinæ præmium esse, ipsam Legem, nempe Deum cognoscere, eumque ex vera libertate, & animo integro & constante amare; pœnam autem, horum privationem, & carnis servitutem, sive animalium inconstantem, & fluctuantem. His sic notatis inquirendum jam est, I. num lumine naturali concipere possumus, Deum veluti legislatorem, aut principem leges hominibus praescribentem. II. quid Sacra Scriptura de lumine, & lege hac naturali doceat. III. quem ad finem cæremoniæ olim institutæ fuerunt. IV. denique quid referat sacras historias scire, & eis credere? de primis duobus in hoc capite; de duobus autem ultimis in sequente agam. Quid circa primum statuendum sit facile deducitur ex natura voluntatis Dei, quæ a Dei intellectu non nisi respectu nostræ rationis distinguitur, hoc est, Dei voluntas, & Dei intellectus in se revera unum & idem sunt; nec distinguuntur, nisi respectu nostrarum cogitationum, quas de Dei intellectu formamus, exempli gratia, cum ad hoc tantum attendimus, quod natura Trianguli in natura Divina ab æterno continetur, tanquam æterna veritas, tum dicimus Deum trianguli ideam habere, sive naturam trianguli intelligere; sed cum postea ad hoc attendimus, quod natura trianguli sic in natura divina continetur, ex sola necessitate divinæ naturæ, & non ex necessitate essentiæ & naturæ trianguli, imo, quod necessitas essentiæ & proprietatum trianguli, quatenus etiam ut æternæ veritates concipiuntur, a sola necessitate divinæ naturæ & intellectus pendeat, & non

non ex natura trianguli, cum id ipsum, quod Dei intellectum vocavimus, Dei voluntatem si-
ve decretum appellamus. Quare respectu Dei
unam & idem affirmamus, cum dicimus Deum
ab æterno decreuisse, & voluisse tres angulos tri-
anguli æquales esse duobus rectis, vel Deum hoc
ipsum intellexisse. Unde sequitur Dei affirma-
tiones & negationes æternam semper necessitatem
sive veritatem involvere. Si ictaque, exempli
gratia, Deus Adamo dixit, se nolle ut de arbore
cognitionis boni & mali comedere, contradic-
tionem implicaret, Adamum de illa arbore posse
comedere, adeoque impossibile fore, ut Adamus
de ea comedere; nam divinum illud decretum
æternam necessitatem & veritatem debuisse in-
volvere. Veram quoniam Scriptura tamen nar-
rat Deum id Adamo præcepisse, & nihilominus
Adamum de eadē cōmedisse, necessario dicen-
dum est, Deum Adamo malum tantum revelavisse,
quod eum necessario sequeretur, si de illa arbore
comedederet, at non necessitatem consecutionis il-
lius mali: Unde factum est, ut Adamus illam
revelationem non ut æternam & necessariam ve-
ritatem percepit, sed ut legem, hoc est, ut
institutum, quod lucrum aut damnum sequitur,
non ex necessitate & natura actionis patratæ, sed
ex solo libitu & absoluto imperio alicujus Princi-
pis.... Quare illa revelatio respectu solius Adami,
& propter solum defectum ejus cognitionis Lex
fuit, Deusque quasi legislator aut Princeps. Et
hac etiam de causa nempe ob defectum cogniti-
onis, Decalogus, respectu Hebræorum tantum,
Lex fuit; nam quoniam Dei existentiam ut
æter-

eternam veritatem non noverant, ideo id, quod ipsi in Decalogo revelatum fuit, nempe Deum existere, Deumque solum adorandum esse, tanquam Legem percipere debuerunt: quod si Deus nullis modis corporeis exhibitis sed immediate iis loquutus fuisset, hoc ipsum non tanquam legem, sed tanquam eternam veritatem percepissent. Atque hoc, quod de Israëlitis & Adamo dicimus, de omnibus etiā Prophetis, qui nomine Dei leges scripserunt, dicendum, videlicet, quod Dei decreta non adquaserat, ut eternas veritates percepissent. Ex. gr. de ipso Moše etiam dicendum est, cum ex revelatione relatax fundamenteis ei revelatis percepisse modum, quo populus Israëliticus in certa mundi plaga optime uniri posset, & integrum societatem formare sine imperium exigere; deinde etiā modum, quo ille populus optime posset cogi ad obediēndum, sed non percepisse, nec ipse revelationem fuisse, modum illud optimū esse, neque etiam, quod ex populi consuetudini obedientiā in tali mundi plaga necessario se querebat scopus, ad quem collimabant. Quapropter hanc omnia non ut eternas veritates, sed ut precepta & instituta percepit, & tanquam Dei Leges prescripsit; & hinc factum est, ut Deum rectorem, legislatorem, regem, misericordem, justum &c. imaginarentur; cum tamen haec omnia solius humanæ naturæ sint attributa, & a natura divina prorsus removenda: atque hæc, inquam, de solis Prophetis dicendum, qui nomine Dei leges scripserunt, non autem de Christo; de Christo enim, quamvis etiam videatur leges Dei nomine scripsisse, sentendum tamen est cum res vere & adæ-

& adæquate percepisse: nam Christus non tam Propheta, quam os Dei fuit. Deus enim per mentem Christi, (ut in cap. I. ostendimus) sicut & ante per Angelos, nempe per vocem creatam, visiones &c. quadam humano generi revelavit. Quapropter æque a ratione alienum esset statuere Deum suas revelationes opinionibus Christi accommodavisse, ac, quod, Deus autem suas revelationes opinionibus angelorum, hoc est, vocis creatæ, & visionum accommodaverit, ut res revelandas Prophetis communicaret, que quidem nihil absurdius statui posset; præscriptum cum non ad scelos Judæos, sed totum humaanum genus descendum missus fuerit, adeoque non faciles erat, ut mentem opinionibus Judæorum tacitum accommodatam haberet, sed opinionibus & documentis humano generi universalibus, hoc est, notioribus communibus, & veris. Et sane ex hoc, quod Deus Christo, sive ejus menti sese immediate revelaverit & non ut Prophetia, per verba, & imagines, nihil aliud intelligere possumus, quam quod Christus res revelatas vere percepit. Sive intellexit; tum enim res intelligitur, cum ipsa pax mente extra verba & imagines percipiatur; Christus itaque res revelatas vero & adæquate percepit, si igitur eas tanquam leges unquam præscripsit, id propter populi ignorantiam & pertinaciam fecit; quare hac in re vicera Dei gesit, quod sese ingenio populi accommodavit, & ideo, quamvis aliquantulum clarius, quam ceteri Prophetæ locutus sit, obscurè tamen, & sibi plus per parabolæ res revelatas docuit, præferens quando iis loquebatur, quibus nondum datus erat

erat, intelligere regnum cœlorum (vide Matth. xiiii. 10. &c.) & sine dubio, eos, quibus datum erat mysteria cœlorum noscere, res ut æternas veritates docuit, non vero ut leges præscripsit, & hac ratione eos a servitute legis liberavit, & nihilo minus legem hanc magis confirmavit & stabilivit, eorumque cordibus penitus inscripsit. Quod etiam Paulus quibusdam in locis indicare videtur: nempe Epistol. ad Rom. vii. 6. & iiii. 28. Attamen nec ille etiam aperte loqui vult, sed, ut ipse ait cap. iiii. 5. & vi. 19. ejusdem Epist. humano more loquitur, quod expresse dicit, cum Deum justum vocat, & sine dubio etiam propter carnis imbecillitatem Deo misericordiam, gratiam, iram, &c. affingit, & ingenio plebis, siue (ut ipse etiam ait Epist. i. ad Corinth. iiii. 1. 2.) hominum carnalium sua verba accommodat: nam Epist. ad Rom. cap. ix. 18. absolute docet, Dei iram, ejusque misericordiam non ab humanis operibus, sed a sola Dei vocazione, hoc est, voluntate pendere; deinde quod ex operibus legis nemo fiat justus, sed ex sola fide (vide Epist. ad Rom. iiii. 28) per quam sane nihil aliud intelligit, quam plenum animi consensum, & denique, quod nemo fiat beatus, nisi mentem Christi in se habeat, (vide Epist. ad Rom. vii. 9.) quâ scilicet leges Dei, ut æternas veritates percipiat. Concludimus itaque Deum non nisi ex captu vulgi, & ex solo defectu cogitationis tanquam legislatorem aut principem describi, & justum, misericordem, &c. vocari, Deumque revera ex solius suæ naturæ, & perfectionis necessitate agere, & omnia dirigere, & ejus.

ejus denique decreta, & volitiones aeternas esse veritates, semperque necessitatem involvere: idque est, quod primo in loco explicare, & ostendere constitueram. Ad secundum igitur transeamus, & Sacram Paginam percurramus, & quid ipsa de lumine naturali & Lege hac divina docet, videamus. Primum quod nobis occurrit, est ipsa primi hominis historia, ubi narratur, Deum Adamo praecepsisse, ne comedederet de fructu arboris cognitionis boni & mali, quod significare videtur, Deum Adamo pracepisse bonum agere, & quererere sub ratione boni, & non quantum contrarium est malo, hoc est, ut bonum ex amore boni quereret, non autem ex timore mali: qui enim, ut jam ostendimus, bonum agit ex vera boni cognitione & amore, libere & constanti animo agit, qui autem ex timore mali, is malo coactus, & serviliter agit, & sub imperio alterius vivit, atque adeo hoc unicum, quod Deus Adamo præcipit, totam Legem divinam naturalem comprehendit, & cum dictamine luminis naturalis absolute convenit, nec difficile esset, totam istam primi hominis historiam, sive parabolam ex hoc fundamento explicare, sed male id missum facere; cum quia non possum absolute esse certus, num mea explicatio cum scriptoris mente conveniat; tum quia plerique non concedunt, hanc historiam esse parabolam, sed plane statuunt, eam simplicem narrationem esse. Præstabilius erit igitur, alia Scripturæ loca in medium adferre, illa præsertim, quæ ab eo dictata sunt, qui ex vi luminis naturalis, quo omnes sui & vi sapientes superavit, loquitur, & cujus senten-

tas æque sancte, ac Prophetarum amplexus est populus; Salomonem puto, cuius non tam Propheta & pietas, quam prudentia & sapientia in sacris commendatur. Is in suis Proverbiis vocat humatum intellectum veræ vitae fontem, & infortunium in sola stultitia constituit. Sic enim ait cap.

מקור חיים שכל בעליך ומוסר אoil'ם אולת

*fons vita (est) intellectus sui domini**, & *suplicium stultorum est stultitia*; ubi notandum, quod per vitam absolute Hebraice vera vita intelligatur, ut patet ex Deut. xxx. 19. fructum igitur intellectus in solâ verâ vitâ constituit, & supplicium in sola ejus privatione, quod quidem absolute convenit cum eo, quod IV loco notavimus circa legem divinam naturalem; quod autem hic fons vitae, sive, quod solus intellectus, ut etiam ostendimus, leges sapientibus præscribit, aperte ab eodem hoc sapiente docetur, ait enim cap.

תורת חכמת מקור חיים *Lex prudentia*

(est) *fons vite*; id est, ut ex modo allato textu patet, intellectus. Porro cap. iii. 13. expressissimis verbis docet, intellectum hominem beatum & fœlicem reddere, veramque animi tranquillitatem dare. Sic enim ait **אדם מצא חכמה ובן אדם יפיק תבונתנו וגנו ארך ימים בימינה בשמאלת עשר וכבוד דרכיה דרכי נעם וכל נתיכותיה שלום** *beatus homo, qui invenit scientiam*

* *Hebraismus. qui rem aliquam habet vel in sua natura continet, ejus rei Dominus vocatur: Sic ergo Dominus aliarum Hebraice vocatur, quia alias habet. Dominus intellectus, intelligens, quia intellectum habet.*

entiam, & filius hominis, qui intelligentiam eruit. Ratio est, (ut vers. 16. 17. pergit) quia directe das dierum longitudinem*, indirecta divitias & bonorem; ejus via, (quas nimirum scientia indicat) amae sunt, & omnes ejus semita pax. Soli igitur sapientes ex sententia etiam Salomonis animo pacato & constante vivunt, non ut impii, quorum animus contrariis affectibus fluctuat, adeoque (ut Esaias etiam ait cap. LVII. 20) pacem, neque quietem habent. Denique in his Salomonis Proverbiis maxime nobis notanda sunt, quæ habentur in secundo cap. utpote quæ nostram sententiam quam clarissime confirmant; sic enim vers. 3. ejusd. cap. incipit בְּ אָם לִבְנָה תְּקַרֵּא לְתִבְונָה חֲתֹן קָוֶלֶךְ וְנוּ אוֹ תְּבִין יְרָאת יְהוָה וְרֹעַת אֱלֹהִים תִּמְצֵא בְּ יְהוָה יְהוָן חֲכָמָה מִפְּנֵי רָעָת וְתִבְונָה nam si prudenter inclamabis, & intelligentia dederis rocem tuam, &c. tunc timorem Dei intelliges, & Dei scientiam (vel potius amorem; nam hæc duo verbum γένος. Iadab significat) inveniens; nam (NB) Deus dat sapientiam: ex ore suo (manat) scientia & prudens. Quibus sane verbis clarissime indicat, I. quod sola sapientia, sive intellectus nos doceat, Deum sapienter timere, hoc est, verâ religione colere. Deinde docet, sapientiam, & scientiam ex Dei ore fluere, Deumque illam dare, quod quidem nos etiam supra ostendimus, nempe, quod noster intellectus nostraque scientia a sola Dei idea sive cognitione pendeat, oriatur, & perficiatur. Pergit deinde vers. 9. expressissi-

* *Hebraismus, nihil aliud significans quam vitam.*

mis verbis docere hanc scientiam veram Ethicam,
 & Politicam continere, & ex ea deduci. אֶזְרָחִין
 צַדָּק וּמִשְׁפָט וּמִשְׁרִיט כֹּל מַעֲנֵל טוֹב
tunc intelli-
ges Iustitiam, & Iudicium, & redditudines (&) om-
nem bonam semitam; nec his contentus pergit,
כִּי תָבָא חֲכָמָה בְּלִבְךָ וְרוּת לְנֶפֶשׁ יִגְעַם מַזְמָה
תְּשֻׂמָּר עַלְיךָ תְּבוֹנוֹת תְּנִצְרָכָה
quando intrabit sci-
entia in cor tuum, & sapientia tibi erit suavis; ium tua
** providentia tibi vigilabit, & prudentia te custodiet.*
 Quæ omnia cum scientia naturali plane conveni-
 unt; hæc enim Ethicam docet; & veram virtu-
 tem, postquam rerum cognitionem acquisivimus,
 & scientiæ præstantiam gustavimus. Quare fœ-
 licitas, & tranquillitas ejus, qui naturalem intel-
 lectum colit, ex mente Salomonis etiam, non
 ab imperio fortunæ, (hoc est Dei auxilio externo)
 sed a sua interna virtute (sive Dei auxilio interno)
 maxime pendet, nempe, quia vigilando, agen-
 do, & bene consulendo se maxime conservat.
 Denique nequaquam hic prætereundus est locus
 Pauli, qui habetur Epist. ad Rom. 1. 20, ubi (ut
 Tremellius vertit ex Syriaco textu) sic ait; *occulta*
enim Dei, a fundamento mundi, in creaturis suis per
intellectum conspicuntur, & virtus & divinitas ejus, que
est in aeternum, adeo ut sint sine effugio. Quibus satis
 clare indicat unumquemque lumine naturali clare
 intelligere Dei virtutem, & æternam divinitatem
 ex qua scire & deducere possunt, quid iis quæ-
 rendum quidve fugiendum sit, adeoque conclu-
 dit

מַזְמָה mezima proprie cogitationem, deliberationem, &
 vigilanciam significat.

dit; omnes sine effugio esse, nec ignorantia excusari posse, quod profecto possent, si de lumine supra-naturali loqueretur, & de carnali Christi passione, & resurrectione &c. Et ideo paulo infra vers. 24. sic pergit: propter hoc tradidit eos Deus in concupiscentias immundas cordis eorum &c. usque ad finem capitii, quibus vitia ignorantiae describit, eaque tanquam ignorantiae supplicia enarrat, quod plane convenit cum Proverbio illo Salomonis cap. xvi. 22. quod jam citavimus, nempe, וּמָסֵר אֹוְיִלִים אֹוְלָת & supplicium stultorum est stultitia, quare non mirum, quod dicat Paulus maleficos esse inexcusabiles: Nam prout unusquisque seminat, ita metet, ex malis mala necessario sequuntur, nisi sapienter corrigantur. Scriptura itaque lumen, & Legem divinam naturalem absolute commendat; atque his, quae in hoc capite agere proposueram, absolvvi.

C A P U T V.

De Ratione, cur ceremonia instituta fuerint, & de fide historiarum, nempe, qua ratione, & quibus ea necessaria sit.

IN superiore capite ostendimus Legem divinam, quæ homines vere beatos reddit & veram vitam docet, omnibus esse hominibus universalem; imo eam ex humana natura ita deduximus, ut ipsa humanæ menti innata, & quasi inscripta existimanda sit. Cum autem cæremoniæ, ex saltem, quæ habentur in Veteri Testamento Hebreis tantum institutæ, & eorum

imperio ita accommodatae fuerint, ut maxima ex parte ab universa societate; non autem ab uno quoque exerceri potuerint, certum est eas ad Legem divinam non pertinere, adeoque nec etiam ad beatitudinem & virtutem aliquid facere; sed eas solam Hebræorum electionem, hoc est, (per ea, quæ in tertio cap. ostendimus) solam corporis temporaneam fœlicitatem & imperii tranquillitatem respicere, propterea que non nisi stante eorum imperio, ullius usus esse potuisse. Si ex igitur in Veterे Testamento ad legem Dei referantur, id propterea tantum fuit, quia ex revelatione vel ex fundamentis revelatis institutæ furerunt. Verum quia ratio tametsi solidissima apud communes Theologos non multum valet, libet hinc hæc, quæ modo ostendimus Scripturæ etiam autoritate confirmare; & deinde ad majorem perspicuitatem ostendere, quæ ratione, & quomodo cæremonię ad imperium Judæorum stabiliendum & conservandum inserviebant. Elias nihil clarius docet quam quod Lex divina absoluta sumpta significet illam legem universalem, quæ in verâ vivendi ratione consistit, non autem cæremonias; Capite enim i. vers. 10. Prophet a gentem suam vocat ad Legem divinam ex se audiendam, ex qua prius omnia sacrificiorum genera secludit, & omnia festa, & tandem legem ipsam docet (vide vers. 16. 17.) atque his paucis comprehendit, nempe in purificatione animi, & virtutis sive bonarum actionem usū seu habitu, & denique in opere auxilium ferendo. Nec minus luculentum testimonium est illud Psalmi x i. 7. 9. hic enim Psaltes Deum alloquitur זבח ומנחה לא חפצת אונם

אונם ברית לי עליה וחטאך לא שאלת לעשות
רצונך אלهي חפצתי ותורתך בתוכך מע
*sacrificium & munus non voluisti, * aures mihi perfodisti, holocaustum, & peccati oblationem non petuisti; tuam voluntatem exequi, mi Deus, volui; nam Lex tua est in meis visceribus.* Vocat igitur illam tantum legem Dei, quæ visceribus, vel menti inscripta est, & ab ea cæremonias secludit; nam eæ ex solo instituto, & non ex natura sunt bonæ, adeoque neque mentibus inscriptæ. Præter hæc alia adhuc in Scriptura reperiuntur, quæ idem testantur, sed hæc duo attulisse sufficit. Quod autem cæremoniæ nihil ad beatitudinem juvent, sed quod tantum imperii temporaneam fœlicitatem respiciant, etiam ex ipsa Scriptura constat, quæ pro cæremoniis nihil nisi corporis commoda, & delicias promittit, & pro sola Lege divina universaliter beatitudinem. In quinque enim libris, qui Mosis vulgo dicuntur, nihil aliud, ut supra diximus, promittitur, quam hæc temporanea fœlicitas, nempe honores, sive fama, victoriæ, divitiæ, deliciæ, & valetudo. Et quamvis quinque illi libri præter cæremonias, multa moralia continent, hec tamen in iis non continentur, tanquam documenta moralia, omnibus hominibus universalia, sed tanquam mandata ad captum, & ingenium solius Hebrææ nationis maxime accommodata, & quæ adeo etiam solius imperii utilitatem spectant. Ex. Gr. Moses non tanquam doctor aut Propheta Judæos docet, ne occidant neque furen-

* Est phrasis ad significandum perceptionem.

tur, sed hæc tanquam legislator & princeps iubet; non enim documenta ratione comprobat, sed ius-
sibus pœnam addit, quæ pro ingenio uniuscujusque nationis variare potest & debet, ut experien-
tia satis docuit. Sic etiam iussum, de non com-
mittendo adulterio, solius reipublicæ & imperii
utilitatem respicit; nam si documentum morale
docere voluisse, quod non solam reipublicæ uti-
litas, sed animi tranquillitatem, & veram
uniuersalijusque beatitudinem respiceret, tum non
tantum actionem externam, sed & ipsum animi
consensum damnaret, ut Christus fecit, qui do-
cumenta universalia tantum docuit (vide Matth.
v. 28.) & hac de causa Christus præmium spiri-
tuale, non autem ut Moses, corporeum promit-
tit; nam Christus, uti dixi, non ad imperium
conservandum, & leges instituendum, sed ad
solam Legem universalem docendum missus fuit;
& hinc facile intelligimus, Christum legem Mosis
minime abrogavisse, quandoquidem Christus
nullas novas leges in rempublicam introducere
voluerit, nec aliud magis curaverit, quam do-
cumenta moralia docere, eaque a legibus Reipu-
blicæ distinguere, idque maxime propter Phari-
siorum ignorantiam, qui putabant, illum beate
vivere, qui jura Reipublicæ sive legem Mosis de-
fendebat; cum tamen ipsa, uti diximus, nullam
nisi Reipublicæ rationem habuerit, nec tam ad
Hebræos docendum, quam cogendum inservire-
rit; sed ad nostrum propositum revertamur, &
alia Scripturæ loca, quæ pro cæremoniis nihil præ-
ter corporis commoda, & pro solâ Legè divina uni-
versali beatitudinem promittunt, in medium
pro-

proferamus. Inter Prophetas nemo clarius quam Esaias hoc docuit, hic enim cap. LXXXI. postquam hypocrisin damnavit, libertatem, & charitatem erga se, & proximum commendat, & pro his hæc promittit אָנוּ בְּקֻבָּשָׂה֙ר אֹורֶךְ וְאַרְוֹכָתְךָ פְּהָרָה תִּצְמַח וְהַלְךְ לְפָנֶיךָ צְדָקָה כְּבוֹד יְהוָה אַסְפֵּךְ *tunc erumpet sicut aurora lux tua, & tua sanitas protinus effloresceret, & ibi ante te justitia tua, & gloria Dei te aggregabit &c.* Post hæc Sabbatum etiam commendat, pro cuius in observando diligentia, hoc promittit עַל יְהוָה תִּתְעַנָּג וְהַרְכְּבָתִיךְ עַל בְּמָותֵי אָרֶץ וְהַאֲכָלָתִיךְ נָחָת *יעַבְדֵךְ אֱבִיךְ בַּיּוֹם יְהוָה רָבָר, & te equitare faciam super excelsa terra, & faciam, ut comedas hereditatem Iacobi tui patris, ut os Ichova locutum est.* Videmus itaque Prophetam pro libertate, & charitate mentem sanam in corpore sano, Deique gloriam etiam post mortem promittere: pro cæremoniis autem nihil nisi imperii securitatem, prosperitatem, & corporis fœlicitatem. In Psalmis x v. & xxi v. nulla fit cæremoniarum mentio, sed tantum documentorum moralium, nimirum, quia in iis de sola beatitudine agitur, eaque sola proponitur, quamvis tamen parabolice; nam certum est id per

G 5

mon-

* *Hebraismus, quo tempus mortis significatur aggregari ad populos suos, mori significat, vide Genes. cap. 49. vers. 29. 33. (a) significat honeste delectari sicuti etiam belga dicuntur, met Godt/ en niet eere. (b) Significat imperium, tanquam equum freno tenere.*

montem Dei, ejusque tentoria, & horum inhabitationem, beatitudinem, & animi tranquillitatem, non vero montem Hierosolymæ, neque Mosis tabernaculum intelligi; hæc enim loca a nemine inhabitabantur, nec nisi ab iis, qui ex sola tribu Levi erant, administrabantur. Porro omnes etiam illæ Salomonis sententiaz, quas in superiore capite attuli, pro solo cultu intellectus & sapientiaz, veram promittunt beatitudinem, nempe, quod ex ea tandem timor Dei intelligetur, & Dei scientia invenietur. Quod autem Hebræi post destructum eorum imperium non tenentur cæremonias exercere, patet ex Jeremia, qui ubi urbis vastationem prope instare vidit, & prædictis, ait Deum eos tantum diligere, qui sciunt & intelligunt, quod ipse exercet misericordiam, judicium, & justitiam in mundo; adeoque in posterum non nisi eos, qui haec nuntiunt, laude dignos affirmandos esse. (vide cap. ix. 23.) quasi diceret Deum post urbis vastationem nihil singulare a Judæis exigere nec aliud ab iisdem in posterum petere præter legem naturalem, quam omnes mortales tenentur. Novum præterea Testamentum hoc ipsum plane confirmat, in eo enim, uti diximus, documenta tantum moralia docentur, & pro iis regnum cœlestè promittitur, cæremonias autem, postquam Euangeliū aliis etiam gentibus, qui alterius Reipublicæ jure tenebantur, prædicari incepit, missas fecerunt Apostoli; quod autem Pharisæi post amissum imperium eas, aut saltem magnam earum partem retinuerint, id magis animo Christianis adversandi, quam Deo placendi fecerunt. Nam post primam urbis vastationem, cum Babylonem captivi ducti fuerunt,

fuerunt, quia tum in sectas non erant, quod sci-
am, divisi, statim cæremonias neglexerunt, imo
toti legi Mosis valedixerunt, patriæque jura ob-
livioni, ut plane superflua, tradiderunt, & se
cum cæteris nationibus immiscere inceperunt, ut
ex Hezdra, & Nehemia satis superque constat;
quare non dubium est, quin Judæi, jam post dis-
solutum imperium, lege Mosis non magis tene-
antur, quam antequam eorum societas, & Respu-
blica inceperit; dum enim inter alias Nationes, ante
exitum ex Ægypto vixerunt, nullas leges pecu-
liares habuerunt, nec ullo, nisi naturali jure, &
sine dubio, etiam jure Reipublicæ in qua vive-
bant, quatenus Legi divinæ naturali non repugna-
bat, tenebantur. Quod autem Patriarchæ Deo
sacrificaverunt, id fecisse puto, ut suum animum
quem a pueritia sacrificiis assuetum habebant, ma-
gis ad devotionem incitarent; omnes enim homi-
nes a tempore Enos sacrificiis plane consueverant,
ita ut iis solis maxime ad devotionem incitaren-
tur. Patriarchæ igitur non ex jure aliquo divino
imperante, vel ex universalibus fundamentis le-
gis divinæ edocti, sed ex sola illius temporis con-
suetudine, Deo sacrificaverunt, & si ex alicujus
mandato id fecerunt, mandatum illud nullum
aliud fuit, quam jus Reipublicæ, in quâ vive-
bant, quo etiam (ut jam hic, & etiam capite
tertio, cum de Malkitsedek loquuti sumus, ne-
tavimus) tenebantur.

His puto me meam sententiam Scripturæ au-
thoritate confirmavisse; superest jam ostendere,
quomodo & qua ratione cæremoniæ inserviebant
ad imperium Hebræorum conservandum, & stabi-
lien-

liendum; quod quam paucissimis potero, ex universalibus fundamentis ostendam. Societas non tantum ad secure ab hostibus vivendum, sed etiam ad multarum rerum compendium faciendum, per-utilis est, & maxime etiam necessaria; nam, nisi homines invicem operam mutuam dare velint, ipsis & ars & tempus deficeret, ad se, quoad ejus fieri potest, sustentandum, & conservandum. Non enim omnes ad omnia æque apti sunt, nec unusquisque potis esset, ad ea comparandum, quibus solus maxime indiget. Vires, & tempus, inquam, unicuique deficerent, si solus deberet arare, seminare, metere, molere, coquere, texere, suere, & alia perplurima, ad vitam sustentandum efficere, ut jam taceant artes, & scientias, quæ etiam ad perfectionem humanæ naturæ, ejusque beatitudinem sunt summe necessariæ. Videamus enim eos, qui barbare sine politiâ vivunt, vitam miseram, & pæne brutalem agere, nec tamen paucâ illa, misera & impolita, quæ habent, sine enutua opera, qualis qualis ea sit, sibi comparant. Jam si homines a natura ita essent constituti, ut nihil nisi id, quod vera ratio indicat, cuperent, nullis sane legibus indigeret societas, sed absolute sufficeret, homines vera documenta moralia docere, ut sponte integro & liberali animo id, quod vere utile est, agerent. Verum longe aliter cum humana natura constitutum est; omnes quidem suum utile querunt, at minime ex sanæ rationis dictamine, sed perplurimum ex sola libidine, & animi affectibus abrepti (qui nullam temporis futuri, aliarumque rerum rationem habent) res appetunt, utilesque judicant. Hinc sit, ut nulla socie-

societas possit subsistere absque imperio, & vi,
& consequenter legibus, quæ hominum libidi-
nem, atque effrenatum impetum moderentur;
& cohibeant: non tamen humana natura patitur
absolute se cogi, & ut Seneca Tragicus ait, vio-
lenta imperia nemo continuit diu; moderata du-
rant: quamdu enim homines ex solo metu agunt,
tamdiu id, quod maxime nolunt, faciunt, nec
rationem utilitatis & necessitatis rei agendæ te-
nent, sed id tantum curant, ne capitis, aut sup-
plicii rei sint scilicet. Imo non possunt malo, aut
damno imperatoris, quamvis cum suo magno eti-
am malo non tamen lætari, ipsique omnia mala
non cupere, & ubi poterunt adferre. Homines
deinde nihil minus pati possunt, quam suis aqua-
libus servire, & ab iis regi. Denique nihil difficili-
lius, quam libertatem hominibus semel conces-
sam iterum adimere. Ex his sequitur Primo quod
vel tota societas, si fieri potest, collegialiter im-
perium tenere debet, ut sic omnes sibi, & nemo
suo æquali servire teneatur, vel, si pauci, aut unas
solus imperium teneat, is aliquid supra commu-
nem humanam naturam habere, vel saltem sum-
mis viribus conari debet, vulgo id persuadere.
Deinde leges in quocunque imperio ita institui-
debent, ut homines non tam metu, quam spe ali-
cujus boni, quod maxime cupiunt, retineantur,
hoc enim modo unusquisque cupide suum offici-
um faciet. Denique quoniam obedientia in eo con-
sistit, quod aliquis mandata ex sola imperantis au-
thoritate exequatur, hinc sequitur eandem, in so-
ciate, cuius imperium penes omnes est, & le-
ges ex communi consensu sanciuntur, nullum
locum

locum habere, &c, sive in tali societate leges atque
geantur, vel minuantur, populum nihilominus
seque liberum manere, quia non ex authoritate
alterius, sed ex proprio suo consensu agit. At
contra accidit ubi unus solus imperium absolute
tenet, nam omnes ex sola authoritate unius man-
data imperii exequuntur, adeoque, nisi ita ab
initio educati fuerint, ut ab ore imperantis pen-
deant, difficile is poterit, ubi opus erit, novas
leges instituere, & libertatem semel concessam
populo adimere.

His sic universaliter consideratis, ad Hebræ-
orum rempublicam descendamus. Hicum pri-
mum ex Ægypto exiverunt, nullo alterius nationis
jure amplius tenebantur, adeoque iis licebat, no-
vas leges ad libitum sancire, sive nova jura con-
stituere. Et imperium ubicunque locorum vellent,
tenere & quas terras vellent, occupare. Attamen ad
nihil minus erant apti quam ad jura sapienter con-
stituendum, & imperium penes se collegialiter
retinendum; rudis fere ingenii omnes erant, &
misera servitute confecti. Imperium igitur penes
unum tantum manere debuit, qui cæteris impe-
raret, eosque vi cogeret, & qui denique leges
præscriberet, & impostorum eas interpretaretur.
Hoc autem imperium Moses facile retinere potuit,
quia divina virtute supra cæteros excellebat, &
se eam habere populo persuasit, multisque testi-
moniis ostendit; (vide Exodi x iv. vers. ultimo,
& cap. x i x. 9.) is itaque virtute, qua polle-
bat, divinâ jura constituit, & populo præscrip-
tit: at in iis summam curam gessit, ut populus,
non tam metu, quam sponte suum officium face-
ret;

set; ad quod hæc duo cum maxime cogebant, populi scilicet ingenium contumax, (quod sola vi cogi non patitur,) & instans bellum; ubi, ut res prospere cedant, milites magis hortari, quam pœnis, & minis territare necesse est: sic enim unusquisque magis studet virtute, & magnanimitate animi clarere, quam supplicium tantum vitare. Hac igitur de causa Moës virtute, & jussu divino religionem in Rempublicam introduxit, ut populus non tam ex metu, quam devotione suum officium faceret. Deinde eos beneficiis obligavit, & divinitus multa in futurum promisit, nec leges admodum severas sancivit, quod unusquisque, qui iis studuit, facile nobis concedet, præcipue si ad circumstantias, quæ ad aliquem reum damnandum requirebantur, attenderit. Denique, ut populus, qui sui juris esse non poterat, ab ore imperantis penderet, nihil hominibus scilicet servituti assuetis ad libitum agere concessit, nihil enim populus agere poterat, quin simul teneretur legis recordari, & mandata exequi, quæ a solo imperantis arbitrio pendebant, non enim ad libitum, sed secundum certum, & determinatum jussum legis licebat arare, seminare, metere, item nec aliquid comedere, induere, neque caput, & barbam radere, neque lætari, nec absolute aliquid agere licebat, nisi secundum jussa, & mandata in legibus præscripta, nec hoc tantum, etiam in postibus, manibus, & inter oculos signa quædam habere tenebantur, quæ eos semper obedientiam monerent. Hic igitur scopus cærimoniarum fuit, ut homines nihil ex proprio decreto, sed omnia ex mandato alterius agerent, & con-

continuis actionibus, & meditationibus faterentur, se nihil protus sui, sed omnino alterius juris esse: ex quibus omnibus luce clarus constat, cætermonias ad beatitudinem nihil facere, & illas Veteris Testamenti, imo totam legem Mosis nihil aliud, quam Hebreorum imperium, & consequenter nihil præter corporis commoda spectavisse. Quod autem ad Christianorum cætermonias attinet, nempe Baptismum, Cœnam dominicam, festa, orationes externas, & si quæ adhuc aliæ, quæ toti Christianismo communes sunt, semperque fuerunt, sive unquam a Christo, aut ab Apostolis institutæ sunt (quod adhuc mihi non satè constat) eæ nonnisi ut universalis Ecclesiæ signa externa institutæ sunt, non autem ut res, quæ ad beatitudinem aliquid faciunt, vel quæ aliquid Sanctorum in se habeant; quare, quamvis hæ cætermoniaæ non ratione imperii, ratione tamen integræ Societatis tantum institutæ sunt; adeoque ille, qui solus vivit, iis minime tenetur, imo, qui in imperio, ubi Christiana religio interdicta est, vivit, is ab his cætermoniis abstinere tenetur, & nihilominus poterit beate vivere. Hujus rei exemplum in regno Japonensium habetur, ubi Christiana religio interdicta est, & Belgæ, qui ibi habitant, ex mandato Societatis Indiae Orientalis ab omni externo cultu abstinere tenentur; nec hoc alia autoritate jam confirmare puto; & quamvis non difficile foret hoc ipsam etiam ex fundamentis Novi Testamenti deducere, & forte claris insuper testimoniis ostendere, hæc tamen libentius missa facio, quia ad alia festinat animus. Pergo itaque ad id, de quo secundo loco in hoc capite

pote agere constitui; scilicet Quibus, & qua ratione fides historiarum in sacris contentarum necessaria sit: Ut autem hoc lumine naturali investigetur, sic procedendum videtur.

Si quis hominibus aliquid suadere, vel dissuaderet vult, quod per se notum non est, is, ut id iidem amplectantur, rem suam ex concessis deducere, eosque experientia vel ratione convincere debet, nempe ex rebus, quas per sensus experti sunt in natura contingere, vel ex axiomatis intellectualibus per se notis: at nisi experientia talis sit, ut elate, & distincte intelligatur, quamvis hominem convincat, non tamen poterit ipsa intellectum eaque afficere, ejusque nebulas dissipare, ac cum res docenda ex solis axiomaticis intellectualibus, hoc est, ex sola virtute intellectus, ejusque in percipiendo ordine, deducitur, praesertim si quæstio sit de re spirituali, & quæ sub sensu nullo modo cadit. Verum quia ad res ex solis notionibus intellectualibus deducendum, longa perceptionum concatenatio sapientiae requiritur, & præterea etiam præcautio, ingenii perspicacitas, & summa continentia, quæ omnia raro in hominibus reperiuntur; ideo homines ab experientia doceri malunt, quam omnes suas perceptiones ex paucis axiomatibus deducere, & invicem concatenare; unde sequitur, quod si quis doctrinam aliquam integrum nationem, ne dicam, universum humanum genus doceat, & ab omnibus in omnibus intelligi vult; is rem suam sola experientia confirmare tenetur, rationesque suas, & rerum docendarum definitiones ad captum plebis, quæ maximam humani generis partem componit, maxime accommodare, non autem

tas concatenare, neque definitiones, prout ad rationes melius concatenandum inserviunt, tradere; alias doctis tantum scribet, hoc est, ut à paucissimis tantum hominibus, si cum reliquis comparentur, poterit intelligi. Cum itaque tota Scriptura in usum integræ nationis prius, & tandem universi humani generis revelata fuerit; necessatio ea, quæ in ipsa continentur, ad captum plebis maxime accommodari debuerunt, & sola experientiâ comprobari. Rem clarius expliceamus. Quæ Scriptura docere vult, quæ solam speculationem spectant, hæc potissimum sunt; nempe dari Deum, sive ens, quod omnia fecit, & summâ sapientiâ dirigit, & sustentat, & quod hominum summam habet curam, nempe eorum, qui piè & honestè vivant: reliquos autem multis suppliciis punit, & à bonis segregat. Atque hæc Scriptura solâ experientiâ comprobat, nempe iis, quas narrat historiis, nec ullas harum rerum definitiones tradit, sed omnia verba, & rationes captui plebis accommodat. Et quamvis experientia nullam harum rerum claram cognitionem dare possit, nec docere, quid Deus sit, & qua ratione res omnes sustentet, & dirigat, hominumque curam habeat; potest tamen homines tantum docere, & illuminare, quantum ad obedientiam, & devotionem eorum animis imprimendum sufficit. Atque ex his satis clare constare puto, quibus, & qua ratione fides historiarum in sacris contentarum necessaria sit: ex modò ostensis enim evidentissime sequitur, earum notitiam, & fidem vulgo, cuius ingenium ad res clare & distincte percipiendum non valet, summe esse necessariam,

Dein-

Deinde, eum, qui eas negat, quia non credit Deum esse, neque eum rebus & hominibus prouidere, impium esse: qui autem eas ignorat, & nihilominus lumine naturali novit, Deum esse, & quæ porro diximus, & deinde veram vivendi rationem habet, beatum omnino esse, imo vulgo beatiorem, quia præter veras opiniones, clarum insuper & distinctum habet conceptum: denique sequitur, eum, qui has historias Scripturæ ignorat, nec lumine naturali aliquid novit, si non impium, sive contumacem, inhumani tamen esse, & pene brutum, nec ullum Dei donum haberé. Verum hic notandum, nos cum dicimus, notitiam historiarum vulgo summe esse necessariam, non intelligere notitiam omnium prorsus historiarum, quæ in sacris litteris continentur, sed tantum earum, quæ præcipuae sunt, & quæ solæ, sine reliquis, doctrinam, quam ipso diximus, evidentius ostendunt, hominumque animos maxime movere possunt. Nam, si omnes Scripturæ historiæ necessariæ essent ad ejus doctrinam probandam, nec conclusio elici posset, nisi ex universali consideratione omnium prorsus historiarum, quæ in ipsa continentur; tum sane ejus doctrinæ demonstratio, & conclusio non tantum plebis, sed absolute humanum captum, & vires superaret; quis enim ad tam magnum numerum historiarum simul attendere posset, & ad tot circumstantias & partes doctrinæ, quæ ex tot tamque diversis historiis deberet elicere. Ego saltem mihi non possum persuadere, quod homines illi, qui nobis Scripturam, prout eam habemus, reliquerunt, tanto ingenio abun-

abundaverint, ut talem demonstrationem investigare potuerint, & multo minus, quod doctrina Scripturæ non posset intelligi, nisi auditis litibus Isaaci, Achitophelis consiliis Absolomo datis, & bello civili Judæorum, & Israëlitarum, & aliis ad hunc modum Chronicis; aut quod primis Judæis, qui tempore Mosis vixerunt, ipsa doctrina ex historiis non æque facile demonstrari potuerit, ac iis, qui tempore Hezdræ vixerunt. Sed de his fusius in sequentibus. Vulgus itaque eas tantum historias, quæ maxime eorum animos ad obedientiam & devotionem movere possunt, scire tenetur. At ipsum vulgus non satis aptum est ad faciendum de iis judicium, utpote quod magis narrationibus & rerum singulari & inexpectato eventu, quam ipsa historiarum doctrinâ delectatur: atque hac de causa præter lectionem historiarum Pastoribus siue Ecclesiæ ministris insuper indiget, qui ipsum pro imbecillitate ejus ingenii doceant. Attamen ne a nostro proposito divagemur, sed id, quod præcipue intendebamus ostendere, concludamus, nempe fidem historiarum, quæcunque demum eæ sint, ad Legem divinam non pertinere, nec homines per se beatos reddere, neque ullam utilitatem, nisi ratione doctrinæ, habere, quâ sola ratione alia historiæ aliis præstantiores possunt esse. Narrationes igitur in Vetere, & Novo Testamento contentæ, reliquis profanis, & ipsæ etiam inter se, unæ aliis præstantiores sunt, pro ratione salutarium opinionum, quæ ex iis sequuntur. Quare si quis historias S. Scripturæ legerit, eique in omnibus fidem habuerit, nec tamen ad doctrinam, quam ipsa iisdem docere intendit, attende-

tenderit nec vitam emundaverit, perinde ipsi est, ac si Alegorum, aut Poëtarum fabulas Scenicas, aut sicut estimantia Chronica ea attentione, qua vulgus solet, legisset; & contra, uti diximus, is, qui eas plane ignorat, & nihilominus salutares habet opiniones, veramque vivendi rationem, is absolute beatus est, & revera Christi Spiritualium in se habet. At Judæi contra plane sentiunt; statuant enim veras opiniones, veramque vivendi rationem nihil prodesse ad beatitudinem, quam diu homines eas ex solo lumine naturali amplectuntur & non ut documenta Mosis prophetice revelata: hoc enim Maimonides capite octavo Regitti Legi i. aperte his verbis audet affirmare;

**כל המקובל שבע מצות ונזהר לעשותן הרי זה
מחסדי אומות העולם ויש לו חלק לעולם הבא:
והוזה שיקבל אותן ויעשה אותן לפני שזו בהן
חקורosh ברוך הוא בתורה והוריענו על ידי משה
רבינו שבני נח פקדם נצטו בהן אבל אם עשאין
פפני הכרע חרעת אין זה נורוшиб ואינו
מחסדי אומות העולם ואין מחייבים:**

omnis, qui ad se suscipit * septem præcepta, & ea diligenter exequitur fuerit, is ex piis Nationum est, & heres futuri mundi; videlicet si ipsa suscepseris & exequitur fuerit, præterea, quod Deus ea in Legi præcepserit, & quod nobis per Mosen revelaverit, quod filius Noe eadem aera præcepta fuerunt, sed si ea à ratione ductus exequitur fuerit, hic non est incola, nec ex piis, nec ex scientibus Nationum.

H 3

* NB. Judeos putare, Deum Noë septem præcepta dedisse, & iis solis omnes nationes teneri: Hebreæ autem soli alia plurima præterea dedisse, ut eam boauorem religiū faceret.

tionum. Hæc sunt verba Maimonidis, quibus R. Joseph filius Shem Tob in suo libro, quem vocat *Ke-bod Elohim*, seu *gloriam Dei* addit, quod quamvis Aristoteles (quem summam Ethicam scripsisse putat, & supra omnes estimat) nihil eorum, quæ ad veram Ethicam spectant, & quæ etiam in sua Ethica amplexus est, omisisset, sed omnia diligenter exequuntur fuisset, hoc tamen ipsi ad salutem prodesse non potuit, quia ea, quæ docet, non amplexus est ut *documenta divina prophetice revelata*, sed ex solo dictamine rationis. Verum hæc omnia mera esse figmenta, & nullis rationibus, neque Scripturæ authoritate suffulta, unicuique hæc attente legenti satis constare existimo, quare ad eandem rem refutandum, ipsam recensuisse sufficit; nec etiam eorum sententiam hic refutare in animo est, qui nimur statuunt lumen naturale nihil fandi iis, quæ ad veram salutem spectant, docere posse, hoc enim ipsi, qui nullam sanam rationem sibi concedunt, nulla etiam ratione probare possunt; & si aliquid supra rationem se habere venditant, id generum est figmentum, & longe infra rationem, quod jam satis eorum communis vivendi modus indicavit. Sed de his non est opus apertius loqui. Hoc tantum addam nos neminem, nisi ex operibus cognoscere posse, qui itaque his fructibus abundaverit, scilicet charitate, gaudio, pace, longanimitate, benignitate, bonitate, fide, mansuetudine & continentia, adversus quos (ut Paulus in Epistola ad Galatas v. 22. ait) lex non est posita, is, sive ex sola ratione, sive ex sola Scriptura edoctus sit, a Deo revera edoctus est, & omnino beatus. His itaque omnia, quæ circa legem divinam agere constituerat, absolvit.

C A-

C A P U T VI.

De Miraculis.

Sicut scientiam illam, quæ captum humatum superat, divinam, sic opus, cuius causa vulgo ignoratur, divinum, sive Dei opus vocare consueverunt homines: vulgus enim tum Dei potentiam & providentiam quam clarissime constare putat, cum aliquid in natura insolitum, & contra opinionem, quam ex consuetudine de naturâ haberet, contingere videt; præsertim si id, in ejus lucrum aut commodum cesserit, & ex nulla re clarius existentiam Dei probari posse existimat, quam ex eo, quod natura ut putant, suum ordinem non servet; & propterea illos omnes Deum, aut saltem Dei providentiam tollere putant, qui res, & miracula per causas naturales explicant, aut intelligere student: Existimant scilicet, Deum tamdiu nihil agere, quamdiu natura solito ordine agit, & contra, potentiam naturæ & causas naturales tamdiu esse otiosas, quamdiu Deus agit; duas itaque potentias numero ab invicem distinctas imaginantur, scilicet, potentiam Dei, & potentiam rerum naturalium, à Deo tamen certo modo determinatam, vel (ut plerique magis hodierno tempore sentiunt) creatam. Quid autem per utramque, & quid per Deum & naturam intelligant, nesciunt sane, nisi quod Dei potentiam tanquam Regiæ cujusdam majestatis, imperium; naturæ autem tanquam vini & imperii imaginentur. Vulgus itaque opera

opera naturæ insolita vocat miracula, sive Dei opera, & partim ex devotione, partim ex cupiditate adversandi iis, qui scientias naturales colunt, rerum causas naturales nescire cupit, & ea tantum audire gestit, quæ maxime ignorat, quæque propterea maxime admiratur. Videlicet, quia nulla alia ratione, nisi causas naturales tollendo, resque extra naturæ ordinem imaginando, Deum adorare, omniaque ad ejus imperium & voluntatem referre potest, nec Dei potentiam magis admiratur, nisi dum potentiam naturæ à Deo quasi subactam imaginatur. Quod quidem originem duxisse videtur à primis Judæis, qui ut Ethnicos sui temporis, qui Deos visibiles adorabant, videlicet, Sollem, Lunam, Terram, Aquam, Aërem, &c. convincerent, iisque ostenderent, Deos illos imbecilles & inconstantes, sive mutabiles, & sub imperio Dei invisibilis esse, miracula sua narrabant, quibus insuper conabantur ostendere, totam naturam, ex Dei, quem adorabant, imperio in eorum tantum commodum dirigi, quod quidem hominibus adeo arrisit, ut in hoc usque tempus miracula fingere non cessaverint, ut ipsi Deo dilectiores reliquis, causaq[ue] finalis, propter quam Deus omnia creavit & continuo dirigit, crederentur. Quid sibi vulgi stultitia non arrogat, quod nec de Deo, nec de natura ullum sanum habet conceptum, quod Dei placita cum hominum placitis confundit, & quod denique naturam adeo limitatam fingit, ut hominem ejus præcipuam partem esse credat. His vulgi de Natura, & miraculis opiniones, & præjudicia satis prolixè enarrayi; attamen, ut rem ordinæ edoceam, ostendam I. Nihil contra naturam contin-

contingere, sed ipsam aeternum, fixum, & immutabilem ordinem servare, & simul quid per miraculum intelligendum sit. II. Nos ex miraculis, nec essentiam nec existentiam, & consequenter, nec providentiam Dei posse cognoscere, sed haec omnia longe melius percipi ex fixo & immutabili naturae ordine. III. Ex aliquot Scripturae exemplis ostendam, ipsam Scripturam per Dei decreta & volitiones, & consequenter providentiam nihil aliud intelligere, quam ipsum naturae ordinem, qui ex ejus aeternis legibus necessario sequitur. IV. denique de modo miracula Scripturas interpretandi, & de iis, quæ præcipue circa miraculorum narrationes notari debeant, agam. Et haec præcipua sunt, quæ ad hujus capituli argumentum spectant, & quæ præterea ad intentum totius hujus operis non parum infervire existimantur. Ad primum quod attinet, id facile ostenditur ex iis, quæ in cap. iv. circa Legem divinam demonstravimus, nempe; omne id, quod Deus vult sive determinat, aeternam necessitatem & veritatem involvere; ostendimus enim ex eo, quod Dei intellectus à Dei voluntate non distinguitur, idem nos affirmare, cum dicimus Deum aliquid velle, ac cum dicimus, Deum id ipsum intelligere; quare eadem necessitate, quæ ex natura & perfectione divina sequitur, Deum rem aliquam, ut est, intelligere, ex eadem sequitur, Deum eandem, ut est, velle. Cum autem nihil, nisi ex solo divino decreto necessario verum sit, hinc clarissime sequitur, Leges naturæ universales mera esse decreta Dei, quæ ex necessitate & perfectione naturæ divinas sequuntur. Si quid igitur in natura contingere,

quod ejus universalibus legibus repugnaret, id decreto & intellectui, & naturæ divinæ necessariò etiam repugnaret; aut si quis statueret, Deum aliquid contra leges naturæ agere, is simul etiam cogeretur statuere, Deum contra suam naturam agere, quo nihil absurdius. Idem etiam facile ex hoc posset ostendi, quod nimirum potentia naturæ sit ipsa divina potentia & virtus; divina autem potentia sit ipissima Dei essentia, sed hoc in præsentiarum libentius omitto. Nihil igitur in natura contingit, quod ipsius legibus universalibus repugnet; at nec etiam aliquid, quod cum iisdem non convenit, aut ex iisdem non sequitur: nam quicquid fit, per Dei voluntatem & æternum decretum fit, hoc est, ut jam ostendimus, quicquid fit, id secundum leges & regulas, quæ æternam necessitatem & veritatem involvunt, sic; natura itaque leges & regulas quæ æternam necessitatem & veritatem involvunt, quamvis omnes nobis notæ non sint, semper tamen obseruat, adeoque etiam fixum atque immutabilem ordinem; nec ulla sana ratio suadet, naturæ limitatam potentiam & virtutem tribuere, ejusque leges ad certa tantum, & non ad omnia, aptas statuere; nam, cum virtus & potentia naturæ, sit ipsa Dei virtus & potentia, leges autem & regulæ naturæ, ipsa Dei decreta, omnino credendum est, potentiam naturæ infinitam esse, ejusque leges adeo latas, ut ad omnia, quæ & ab ipso divino intellectu concipiuntur, se extendant; alias enim, quid aliud statuitur,

quam

* NB. Me hic per Naturam non intelligere solam materiam, ejusque affectiones, sed præter materiam, alia infinita.

quam quod Deus naturam adeo impotenter cre-
verit, ejusque leges, & regulas adeo steriles stan-
tuerit, ut s̄pē de novo ei subvenire cogatur, si
eam conservatam vult, & ut res ex voto succou-
dant, quod sane à ratione alienissimum esse exi-
stimo. Ex his itaque, quod in natura nihil con-
tingit, quod ex ejus legibus non sequitur, & quod
ejus leges ad omnia, quae & ab ipso Divino in-
tellectu concipiuntur, se extendunt, & quod deni-
que natura fixum atque immutabilem ordinem ser-
vat; clarissime sequitur, nomen miraculi non nisi
respective ad hominum opiniones posse intelligi;
& nihil aliud significare, quam opus, cujus causam
naturalem exemplo alterius rei solitæ explicare
non possumus, vel saltem ipse non potest, qui
miraculum scribit aut narrat. Possem quidem dic-
ere miraculum esse id, cuius causa ex principiis
rerum naturalium lumine naturali notis explicari
nequit; verum, quoniam miracula ad captum vul-
gi facta fuerunt, quod quidem principia rerum na-
turalium plane ignorabat, certum est, antiquos
id pro miraculo habuisse, quod explicare non po-
terant eo modo, quo vulgus res naturales explicar-
re solet, recurrendo scilicet ad memoriam, ut alte-
rius rei similis, quam sine admiratione imaginari
solet, recordetur; tum enim vulgus rem aliquam
se satis intelligere existimat, cum ipsam non ad-
miratur. Antiqui itaque, & omnes fere in hoc
usque tempus nullaten præter hanc normam mira-
culi habuerunt; quare non dubitandum, quin in sa-
cra literis multa tanquā miracula narrarentur, quo-
rum causæ ex principiis rerum naturalium notis
facile possunt explicari, ut jam supra innuimus in
cap.

eas. 11. cum de eo quod sol steterit tempore Iosue
 & quod retrogradatus fuerit tempore Achaz, lo-
 quuti sumus; sed de his mox prolixius agemus,
 nempe circa miraculorum interpretationem, de qua
 in hoc capitulo agere promisi. His iama tempus est, ut
 ad secundum translati, nempe restendam, nos ex
 miraculis nec Dei existentiam nec existentiam, nec
 praevidentiam posse intelligere, sed contra haec
 longe melius percipi ex fixo atque immutabili na-
 turae ordine; ad quod demonstrandum sic proce-
 do. Cum Dei existentia non sit per se nota, debet
 necessario concludi ex notionibus, quarum veri-
 tas adeo firma & inconcussa sit, ut nulla dari ne-
 que concipi possit potentia, à qua possint immuta-
 ri; nobis saltem ab eo tempore quo ex iis Dei exi-
 stentiam concludimus, ita appareat debent, si ex
 ipsis eam extra omnem dubitationis aleam conclu-
 dere volumus: nam si possemus concipere ipsas
 notiones ab aliqua potentia, quæcumque demum
 ea fuerit, mutari posse, cum de earum veritate du-
 bitaremus, & consequenter etiam de nostra con-
 clusione, nempe de Dei existentia, nec de ulla reu-
 quam poterimus esse certi. Deinde nihil cum natu-
 ra convenire, vel ei repugnare scimus, nisi id, quod
 offendimus, cum istis principiis convenire, vel iis
 repugnare; quare, si concipere possemus aliquid in
 natura ab aliqua potentia (quæcumque demum ea
 fuerit) posse fieri, quod naturæ repugnet, id primis
 istis notionibus repugnabit, adeoq; id ut absurdum
 rejiciendum, vel de primis notionibus (ut modo
 offendimus) & consequenter de Deo, & de omni-
 bus quomodo cumq; perceptis, dubitandum. Longe
 igitur absit, ut miracula, quatenus per id intelli-
 gitur

gitur opus, quod ordini naturæ repugnet, nobis
Dei existentiam ostendant; cum contra nos de
eadem dubitare ficerent, quando absque iis abso-
lute de ipsa possemus esse certi, nempe quando
scimus, omnia naturæ certum atque immutabilem
ordinem sequi. At ponatur id esse miraculum,
quod per causas naturales explicari non potest,
quod quidem duobus modis potest intelligi, vel
quod causas naturales quidem habet, quæ tamen
ab humano intellectu investigari non possunt; vel
quod nullam causam, præter Deum, sive Dei vo-
luntatem agnoscit: Verum quia omnia, quæ per
causas naturales sunt, ex sola Dei potestate &
voluntate etiam sunt, necessarie huc tandem perti-
niendum, nempe miraculum sive id causas natura-
les habeat, sive nimis, opus est, quod per causam
explicari non potest, hoc est opus, quod captiuum ha-
bitat superat; sed ex opere, & absolute ex eo,
quod nostrum captiuum superat, nihil intelligere pos-
sumus. Nā quicquid clara & distincte intelligitur,
id per se, vel per aliud, quod per se clara & distin-
&te intelligitur, nobis debet innatissime. Quare ex
miraculo, sive opere, quod nostrum captiuum super-
rat, nec Dei existentiam, nec existentiam, nec absolute
aliquid de Deo, & naturam intelligere possumus;
sed contra, cum omnia à Deo determinata & san-
cta scimus esse, & operationes naturæ ex Dei es-
tentiam consequi, naturæ vero leges Dei æternæ
decreta & volitiones esse, absolute concludendum
nos eo melius Deum, Deique voluntatem cognos-
cere, quo melius res naturales cognoscimus, & clar-
rius intelligimus, quomodo à prima sua causa de-
pendent, & quomodo secundum æternas natu-
rales leges

leges operantur.¹ Quare ratione nostri intellectus, longe meliore jure ea opera, quæ clare & distincte intelligimus, Dei opera vocanda, & ad Dei voluntatem referenda, quam ea, quæ plane ignoramus, quamvis imaginationem valde occupent, & homines in admirationem sui rapiant; quandoquidem ea sola naturæ opera, quæ clare & distincte intelligimus, Dei cognitionem reddunt sublimiorem, & Dei voluntatem & decretum quam clarissime indicant; ii igitur plane nugantur, qui, ubi rem ignorant, ad Dei voluntatem recurrent; ridiculus sane modus ignorantiam profitendi. Porro quamvis ex miraculis aliquid concludere possemus, nullo tamen modo Dei existentia inde possit concludi; Nam, cum miraculum opus limitatum sit, nec unquam, nisi certam & limitatam potentiam exprimat, certum est, nos ex tali effectu non posse concludere existentiam causæ, cuius potentia sit infinita, sed ad summum causæ, cuius potentia major sit, dico ad summum, potest enim etiam consequi ex multis causis simul concurrentibus, opus aliquod, cuius quidem vis & potentia minor sit potentia omnium causarum simul, ac longe major potentia universaliusque causæ. At quoniam naturæ leges (ut jam ostendimus) ad infinita se extendunt, & sub quadam specie æternitatis à nobis concipiuntur, & natura secundum eas certo, atque immutabili ordine procedat, ipse nobis eatenus Dei infinitatem, æternitatem, & immutabilitatem aliquo modo indicant. Concludimus itaque nos per miracula, Deum, ejusque existentiam & providentiam cognoscere non posse, sed hæc longe melius concludi ex naturæ fixo atque immutabili ordine. Loquor in hac

conclusione de miraculo, quatenus per id nihil aliud intelligitur, quam opus, quod hominum captum superat, aut superare creditur; nam quatenus supponeretur ordinem naturæ destruere, sive interrumpere, aut ejus legibus repugnare, eatenus (ut modo ostendimus) non tantum nullam Dei cognitionem dare posset, sed contra illam, quam naturaliter habemus, adinieret, & nos de Deo, & omnibus dubitare faceret. Neque hic ullam agnosco differentiam inter opus contra naturam, & opus supra naturam; (hoc est, ut quidam ajunt, quod quidem naturæ non repugnat, attamen ab ipsa non potest produci, aut effici.) nam cum miraculum non extra naturam, sed in ipsa natura fiat, quamvis supra naturam statuatur, tamen necesse est, ut naturæ ordinem interrumpat, quem alias fixum atque immutabilem ex Dei decretis concipimus. Si quid igitur in natura fieret, quod ex ipsius legibus non sequeretur, id necessario ordini, quem Deus in æternum per leges naturæ universales in natura statuit, repugnaret, adeoque id contra naturam ejusque leges esset, & consequenter ejus fides nos de omnibus dubitare faceret, & ad Atheismum duceret. Et his puto, me id, quod Secundo intendebam, satis firmis rationibus ostendisse, ex quibus de novo concludere possumus, miraculum sive contra naturam, sive supra naturam, merum esse absurdum; & propterea per miraculum in sacris litteris nihil aliud posse intelligi, quam opus naturæ, tibi diximus, quod captuni humanum superat, aut superare creditur. Jam antequam ad III. pergamus, libet prius hanc nostram sententiam, nempe,

nempe, quod ex miraculis Deum non possumus cognoscere, auctoritate Scripturæ confirmare; & quamvis Scriptura hoc nullibi aperte doceat, facile tamen ex ipsa potest concludi, imprimis ex eo, quod Moses (Deuter. xiiii.) præcipit, ut Prophetam seductorem, quamvis faciat miracula, mortis tamen damnent: sic enim ait וְבָא הַאֲוֹתָזֶה מִופְתָּח אֲשֶׁר רַבֵּךְ אֱלֹהִיךְ: לֹא תִשְׁמַע אֶל רְבִירַי הַנּוּבִיא הַחוֹזֵן בַּמִּנְסָחָה יְדוֹהָה אֱלֹהֵיכֶם אֲרַחְכֶם זֹנוּ וְהַנּוּבִיא הַחוֹזֵן יוֹמָת וְנוּ (quamvis) contigerit signum, & portentum, quod tibi predixit, &c. noli (tamen) assertire verbis ejus Propheta, &c. quia Dominus vester Deus vos tentat, &c. Propheta (igitur) ille mortis damnetur, &c. Ex quibus clare sequitur, miracula à falsis etiam Prophe-tis posse fieri, & homines nisi Dei vera cognitio-ne & amore probe sint muniti, æque facile ex miraculis falsos Deos, ac Verum posse amplecti. Nam addit כִּי מִנְסָחָה יְדוֹהָה אֲלֹהֵיכֶם אֲרַחְכֶם בְּגַנְגָּן quoniam Iehova vester Deus vos tentat, ut sciat, num eum amatius integro corde vestro, & animo vestro. Deinde Israëlitæ ex tot miraculis nullum de Deo sanum conceptum formare potuerunt, quod ipsa experientia testata est; nam, cum sibi persuaderent, Mosen ab iis abiisse, numina visibilia ab Ahatone petierunt, & vitulus, proh pudor! eorum Dei fuit idea, quam tandem ex tot miraculis formaverunt. Alaph quamvis tot miracula audi-visset, de Dei providentia tamen dubitavit, & fe-re a vera via deflexisset, nisi tandem veram beatitudinem intellexisset, (vide Ps. lxxiii.) Salomon etiam, cuius tempore res Judæorum in summo vi-gore

gore erant, suspicatur omnia casu contingere. Vide Eccles. 111. 19, 20, 21. & cap. ix. 2, 3, &c. Denique omnibus fere Prophetis hoc ipsum yalde obscurum fuit, nempe, quomodo ordo naturæ & hominum eventus cum conceptu, quem de providentia Dei formaverant, possent convenire, quod tamen Philosophis, qui non ex miraculis, sed ex claris conceptibus res conantur intelligere, semper admodum clarum fuit, iis nimirum, qui veram fœlicitatem in sola virtute, & tranquillitate animi constituunt, nec student, ut natura iis, sed contra, ut ipsi naturæ pareant; utpote qui certe sciunt, Deum natu-ram dirigere, prout ejus leges universales, non autem prout humanæ naturæ particulares leges exigunt, adeoque Deum non solius humani generis, sed totius naturæ rationem habere. Constat itaque etiam ex ipsa Scripturâ miracula veram Dei cognitionem non dare, nec Dei providentiam clare docere. Quod autem in Scriptura sepe reperitur, Deum portenta fecisse, ut hominibus innotesceret, ut in Exodi x. 2. Deum Aegyptios illusisse, & signa sui dedisse, ut Israëlitæ cognoscerent eum esse Deum; inde tamen non sequitur, miracula id revera docere, sed tantum sequitur, Judæos tales habuisse opiniones, ut facile iis miraculis convinci possent; supra enim in capite secundo clare ostendimus, rationes propheticas, sive quæ ex revelatione formantur, non elici ex notionibus universalibus & communibus, sed ex concessis, quamvis absurdis, & opinionibus eorum quibus res revelantur sive quos Spiritus Sanctus convincere vult, quod

multis exemplis illustravimus, & etiam testimonio Pauli, qui cum Græcis erat Græcus, & cum Judæis Judæus. Verum quamvis illa miracula Ægyptios, & Judæos ex suis concessis convincere, non tamen veram Dei ideam, & cognitionem dare, poterant, sed tantum facere, ut concederent, dari Numen, omnibus rebus, iis notis, potenterius, deinde quod Hebræos, quibus tum temporis omnia præter spem fœlicissime cesserunt, supra omnes curabat, non autem quod Deus omnes æque curet; nam hoc sola Philosophia docere potest; ideo Judæi & omnes, qui non nisi ex dissimili rerum humanarum statu & impari hominum fortuna Dei providentiam cognoverunt, sibi persuaserunt, Judæos Deo dilectiores reliquis fuisse, quamvis tamen reliquos vera humana perfectione non superaverint ut jam Cap. III. ostendimus. Ad Tertium igitur pergo, ut scilicet ex Scriptura ostendam Dei decreta & mandata, & consequenter providentiam nihil esse revera præter naturæ ordinem, hoc est, quando Scriptura dicit hoc vel illud à Deo vel Dei voluntate factum, nihil aliud revera intelligere, quam quod id ipsum secundum leges & ordinem naturæ fuerit factum, non autem, ut vulgus opinatur, quod natura tamdiu cessavit agere, aut quod ejus ordo aliquamdiu interruptus fuit. At Scriptura ea, quæ ad ejus doctrinam non spectant, directe non docet, quia ejus non est (ut circa Legem divinam ostendimus) res per causas naturales, neque res mere speculativas docere: Quare id, quod hic volumus, ex quibusdam Scripturæ Historiis, quæ casu prolixius & pluribus circumstantiis narrantur, per consequentiam

tiam eliciendum est ; talium itaque aliquot in me-
dium proferam. In Libro I Shamuëlis I x.
15. 16. narratur, quod Deus Shamuëli reve-
lavit, se Saulum ad eum missurum, nec tamen
Deus eum ad Shamuëlem misit ut homines solent
aliquem ad alium mittere, sed hæc Dei missio ni-
hil aliud fuit, quam ipse naturæ ordo, quærebat
nimirum Saul (ut in prædicto capite narratur)
asinas, quas perdiderat, & jam absque iis do-
mum redire deliberans, ex consilio sui famuli Sha-
muëlem Prophetam adivit, ut ex eo sciret, ubi
easdем invenire posset, nec ex tota narratione
constat, Saulum aliud Dei mandatum præter hunc
naturæ ordinem habuisse, ut Shamuëlem adiret.
In Psalm c v. 24. dicitur, quod Deus Ægy-
ptiorum animum mutavit, ut odio haberent Israë-
litas; quæ etiam mutatio naturalis plane fuit, ut
patet ex cap. I. Exodi, ubi ratio non levis Ægy-
ptiorum narratur, quæ eos movit, Israëlitas ad
servitutem redigere. Genes. I x. 13. ait Deus
Nox, se iridem in nube daturum, quæ etiam
Dei actio nulla sane alia est, nisi radiorum solis re-
fractio & reflexio, quam ipsi radii in aquæ gut-
tulis patiuntur. Psalmo cxlvii. 18. vo-
catur illa venti naturalis actio & calor, quo pruina
& nix liquefcunt, verbum Dei; & vers. 15. di-
ctum & Dei verbum ventus & frigus vocantur.
Ventus & ignis vocantur in Psalmo c iv. 4.
Iegati, & ministri Dei, & alia ad hunc modum
plura in Scriptura reperiuntur, quæ clarissime in-
dicant, Dei decretum, jussum, dictum, & ver-
bum nihil aliud esse, quam ipsam naturæ actionem,
& ordinem; quare non dubium est, quin omnia

quæ in Scriptura narrantur, naturaliter contigent, & tamen ad Deum referuntur, quia Scripturæ, ut jam ostendimus, non est, res per causas naturales docere, sed tantum eas res narrare, quæ imaginationem late occupant, idque ea Methodo, & stylo, qui melius inservit, ad res magis admirandum, & consequenter ad devotionem in animis vulgi imprimendum. Si igitur quædam in sacris literis reperiuntur, quorum causas reddere nescimus, & quæ præter, imo contra ordinem naturæ videntur contigisse, ea moram nobis injicere non debent, sed omnino credendum, id, quod revera contigit, naturaliter contigisse; quod etiam ex hoc confirmatur, quod in miraculis plures circumstantiæ reperiebantur, quamvis tamen non semper narrentur, præcipue cum stilo Poëtico canantur; circumstantiæ, inquam, miraculorum clare ostendunt, ipsa causas naturales requirere. Nempe ut Ægyptii scabie infestarentur, opus fuit, ut Moses favillam in aërem sursum spargeret; (vide Exodi cap: i x. 10. locustæ etiam ex mandato Dei naturali, nempe ex vento orientali integro die & nocte flante, Ægyptiorum regionem petierunt, & vento occidentali fortissimo eandem reliquerunt (vide Exodi cap. x. 14, 19.) eodem etiam Dei jussu mare viam Judæis aperuit, (vide Exodi cap. xiv. 21.) nempe Euro, qui fortissime integra nocte flavit. Deinde ut Elisa puerum, qui mortuus credebatur, excitaret, aliquoties puero incumbere debuit, donec prius incaluerit, & tandem oculos aperuerit, (vide Regum i i. cap: i v. 34, 35.) sic etiam in Evangelio

angelio Joannis i. x. quædam narrantur circumstantiæ, quibus Christus usus est, ad sanandum cœcum, & sic alia multa in Scripturis reperiuntur, quæ omnia satis ostendunt, miracula aliud, quam absolutum Dei, ut ajunt, mandatum requirere. Quare credendum, quamvis circumstantiæ miraculorum, eorumque naturales causæ non semper, neque omnes enarrantur, miraculâ tamen non sine iisdem contigisse. Quod etiam constat ex Exodi cap: x i v. 27. ubi tantum narratur, quod ex solo nutu Mosis mare iterum intumuit, nec ulla venti mentio fit. Et tamen in Cantico (cap: x v. 10.) dicitur, id contigisse ex eo, quod Deus vento suo (id est, vento fortissimo) flaverit; quare hæc circumstantia in historia omittitur, & miraculum ea de causa majus videtur. At forsan instabit aliquis, nos perplura in Scripturis reperire, quæ nullo modo per causas naturales videntur posse explicari, ut quod peccata hominum, eorumque precationes, possunt esse pluviae terræque fertilitatis causa, aut quod fides cœcos sanare potuit, & alia ad hunc modum quæ in Bibliis narrantur. Sed ad hæc me jam respondisse puto: ostendi enim Scripturam res non docere per proximas suas causas, sed tantum res eodem ordine, iisque phrasibus narrare, quibus maxime homines, & præcipue plebem ad devotionem movere potest, & hac de causa de Deo, & de rebus admodum impropriæ loquitur, quia nimis non rationem convincere, sed hominum phantasiam & imaginationem afficere & occupare studet. Si enim Scriptura vastationem alicujus imperii, ut historici politici solent, narraret, id plebem nihil

commoveret, at contra maxime, si omnia poëtie
ce de pingat & ad Deum referat, quod facere so-
let. Cum itaque Scripturā narrat, terram propter
hominum peccata sterilem esse, aut quod cœci ex
fide sanabantur, ea nos non magis movere debent,
quam cum narrat, Deum propter hominum pec-
cata irasci, contristari, poenitere boni promissi &
facti, aut quod Deus ex eo quod signum vider,
promissi recordetur & alia per plurima, quæ vel
poëtice dicta sunt, vel secundum Scriptoris opi-
niones, & præjudicia relata. Quare hic absolute
concludimus, omnia, quæ in Scriptura vere nar-
rantur contigisse, ea secundum leges naturæ, ut
omnia, necessario contigisse, & si quid reperiatur,
quod apodictice demonstrari potest, legibus na-
turæ repugnare, aut ex iis consequi non potuisse,
plane credendum id à sacrilegis hominibus Sacris
literis adjectum fuisse: quicquid enim contra na-
turam est, id contra rationem est, & quod con-
tra rationem id absurdum est, ac proinde etiam
refutandum. Superest jam tantum pauca adhuc de
miraculorum interpretatione notare, vel potius
recolligere (nam præcipua jam dicta sunt) & uno
aut altero exemplo illustrare, quod hic Quarto
facere promisi, idque propterea volo, ne quis mi-
raculum aliquod male interpretando, temere su-
spicetur se aliquid in Scriptura reperisse, quod lu-
mini naturæ repugnet. Raro admodum sit, ut
homines rem aliquam, ut gesta est, ita simpliciter
narrent, ut nihil sui Judicii narrationi immisceant;
Imo, cum aliquid novi vident aut audiunt, nisi
maxime à suis præconceptis opinionibus caveant,
iis plerumque ita præoccupabuntur, ut plane aliud

quam

quam quod vident, aut contigisse audiunt, percipiunt, præsertim si res acta captum narrantis, aut audientis superat & maxime si ad ejus rem referat, ut ipsa certo modo contingat. Hinc fit, ut homines in suis Chronicis & historiis magis suas opiniones, quam res ipsas actas narrent, & ut unus idemque casus, à duobus hominibus, qui diversas habent opiniones, ita diverse narretur, ut non nisi de duobus casibus loqui videantur, & denique, ut sèpè non admodum difficile sit ex solis historiis opiniones Chronographi & historici investigare. Ad hæc confirmandum multa adferre possem, tam Philosophorum, qui historiam naturæ scripserunt, quam Chronographorum exempla, nisi id superfluum existimarem, ex Sacra autem Scriptura unum tantum adferam, de reliquis Lector ipse judicet. Tempore Josuæ Hebræi (ut jam supra monuimus) cum vulgo credebant, solem motu, ut vocant, diurno moveri, terram autem quiescere, & huic præconceptæ opinioni miraculum, quod iis contigit, cum contra quinque illos reges pugnarent, adaptaverunt; non enim simpliciter narraverunt, diem illum solito longiorem fuisse, sed solem & lunam stetisse, sive à suo motu cessavisse, quod ipsis etiam tum temporis non parum inservire poterat, ad Ethnicos qui solem adorabant, convincendum & ipsa experientia comprobandum, solem sub alterius numinis imperio esse, ex cuius nutu ordinem suum naturalem mutare tenetur. Quare partim ex religione, partim ex præconceptis opinionibus rem longe aliter, quam revera contingere potuit, conceperunt, atque enarraverunt. Igitur ad miracula Scripturæ interpre-

tandum, & ex eorum narrationibus intelligendum, quomodo ipsa revera contigerint, necesse est opiniones eorum scire, qui ipsa primi narraverunt, & qui nobis ea scripto reliquerunt, & eas ab eo, quod sensus iis repræsentare potuerunt, distinguere; alias enim eorum opiniones & judicia cum ipso miraculo, prout revera contigit, confundemus: nec ad hæc tantum, sed ne etiam confundamus res, quæ revera contigerunt, cum rebus imaginariis, & quæ non nisi repræsentationes propheticæ fuerunt, eorum opiniones scire refert. In Scriptura enim multa, ut realia natratur, & quæ etiam realia esse credebantur, quæ tamen non nisi repræsentationes, resque imaginariæ fuerunt; ut quod Deus (summum ens) è cœlo descenderit (vide Exod: x. x. 28. & Deut. v. 28.) & quod mons Sinai propterea fumabat, quia Deus supra eundem descenderat, igne circumdatus. Quod Elias ad cœlum igneo curru, igneis equis ascenderit; quæ sane omnia non nisi repræsentationes fuerunt, adaptatae opinionibus eorum, qui eas nobis, ut iis repræsentatæ sunt, nempe ut res actuales tradiderunt. Omnes enim, qui aliquantulum supra vulgum sapiunt, sciunt, Deum non habere dextram, neque sinistram, neque moveri, neque quiescere, neque in loco, sed absolute infinitum esse, & in eo omnes contineri perfections. Hæc, inquam, ii sciunt, qui res ex perceptionibus puri intellectus judicant, & non prout imaginatio à sensibus externis afficitur, ut vulgus solet, quod ideo Deum corporeum, & imperium regium tenentem imaginatur, cuius solium in convexitate cœli supra stellas esse fingit,

finxit, quarum à terra distantiam non admodum longam credit esse. Et his & similibus opinionibus (uti diximus) perplurimi Scripturæ casus adaptati sunt, qui proinde non debent ut reales à philosophis accipi. Refert denique ad miracula, ut realiter contigerint, intelligendum, Hebraeorum phrases & tropos scire, qui enim ad ipsos non satis attenderit, multa Scripturæ affinget miracula, quæ ejus scriptores nunquam enarrare cogitaverunt, adeoque non tantum res & miracula, prout revera contigerint, sed mentem etiam authorum factorum codicum plane ignorabit. E. G. Zacharias xiv. 7. de quodam bello futuro loquens, ait

וְהִיא יוֹם אֶחָד הוּא יָרֵע לִיהָוה לְאַיִם וְלֹא לִילָה

וְהִיא לְעֵת עֲרֵב יְהָה אֹור & dies erit unicus, Deo tantum notus, non (enim erit) dies neque nox, tempore autem vespertino lux erit. Quibus verbis magnum miraculum prædicere videtur, & tamen iis nihil aliud significare vult, quam quod bellum toto die erit anceps, ejusque eventus Deo tantum notus, & quod tempore vespertino victoriam adipiscuntur; similibus enim phrasibus Victorias & clades nationum prædicere & scribere solebant Prophetæ. Sicuti videmus Esaiam qui cap. 21. xx. vastationem Babiloniæ sic depingit

הַשְׁמִים וּכְסִילִים לֹא יָהּלו אָוָרֵם חַשְׁךְ הַשְׁמֵשׁ

בְּצָאתו וּרְחֵלָא גִנְיה אָרוּן quoniam stelle cœli, ejusque sidera non illuminabunt luce sua, sol in ortu suo tenebrescat, & luna non emittet splendorem sua lucis: quæ sane neminem credere existimo in vastatione illius imperii contigisse; ut neque etiam ea, quæ

על כן שמי ט ארניז וחראעש mox addit, nempe אָרְנִיזׁ וְחַרְעָשׁ חָרֵן propterea cælos contremiscere faciam, & terra e suo loco dimovetur. Sic etiam Esaias x l. v i i i. vers. ult. ut Judæis significaret, eos Babilonia Hierosolymam secure reddituros, neque in itinere sitim passuros, ait, לא צמָאו בְּחֶרְבֹּתָה הַוְלִיכָם מִסְמָר הַזָּיל לְמוֹוִיבָקָע צָר וַיּוּבוּ מִסְמָר & non sitiverunt, per deserta eos duxit, aquam ex petra iis instillare fecit, petram rupit, & fluxerunt aquæ. His, inquam, verbis nihil aliud significare vult, quam quod Judæi fontes in desertis, ut fit, invenient, quibus sitim suam mitigabunt; nam cum ex consensu Cyri Hierosolymam petierunt, nulla similia miracula iis contigisse constat; & ad hunc modum perplurima in sacris litteris occurrunt, quæ tantum modi loquendi inter Judæos fuerunt, nec opus est, omnia hic singulatim recensere; sed tantum hoc in genere notari velim, Hebræos his phrasibus non tantum consueuisse ornate, sed etiam & quidem maxime, devote loqui. Hac enim de causa in sacris literis invenitur, Deo benedicere pro maledicere (vide 1. Reg. xx i. 10. & Job ii. 9.) & eadem etiam de causa omnia ad Deum referebant, & ideo Scriptura nihil nisi miracula narrare videtur, idque, cum de rebus maxime naturalibus loquitur, cuius rei exempla aliquot jam supra retulimus, quare credendum, cum Scriptura dicit, Deum cor Pharaonis induravisse, nihil aliud tum significari, quam quod Pharaon fuit contumax. Et cum dicitur Deum fenestras cœli aperire, nihil aliud significat,

ficat, quam quod multa aqua pluerit, & sic alia. Ad hæc igitur, &c, quod multa admodum breviter, sine ulla circumstantiis, & fere mutilate narrantur, si quis probe attenderit, nihil fere in Scriptura reperiet, quod possit demonstrari Iumini naturæ repugnare, & contra multa, quæ obscurissima visa sunt, mediocri meditatione intelligere poterit & facile interpretari. Atque his existimo, me id, quod intenderam satis clare ostendisse. Attamen antequam huic capiti finem dem, aliud adhuc restat, quod hic mone-re volo; nempe, me alia prorsus methodo hic circa miracula processisse, quam circa Prophetiam. De prophetia enim nihil affirmavi, nisi quod ex fundamentis in Sacris literis revelatis concludere potui, at hic præcipua ex solis principiis lumine naturali notis elicui; quod etiam consulto feci; quia de prophetia, quandoquidem ipsa captum humanum superat, & quæstio me-re Theologica est, nihil affirmare, neque etiam scire poteram, in quo ipsa potissimum constituit, nisi ex fundamentis revelatis; atque adeo coactus sum fui historiam prophetarum concinnare, & ex ea quædam dogmata formare, quæ me naturam prophetarum, ejusque proprietates, quoad fieri potest, docerent. At hic circa miracula, quia id, quod inquirimus (nempe an concedere possumus aliquid in natura contingere, quod ejus legibus repugnet, aut quod ex iis non posset sequi) philosophicum plane est, nullo simili indigebam; imo consultius duxi, hanc quæstionem ex fundamentis lumine naturali cognitis utpote maxime notis enodare: dico, me id consultius duxisse:

duxisse: nam eam etiam ex solis Scripturæ dogmatis & fundamentis facile solvere potueram; quod, ut unicuique pateat, hic paucis ostendam. Scriptura de natura in genere quibusdam in locis affirmat, eam fixum atque immutabilem ordinem servare, ut in Psal. cxlvii l. 6. & Jerem. xxxi. 35, 36. Philosophus præterea in suo Eccl. 1. 10. clarissime docet, nihil novi in natura contingere; & vers. 11, 12. hoc idem illustrans, ait, quod, quamvis aliquando aliquid contingat, quod novum videtur, id tamen novum non est, sed in seculis, quæ antea fuerunt & quorum nulla est memoria, contigit; nam ut ipse ait, antiquorum nulla est apud hodiernos memoria, nec ulla etiam hodiernorum apud posteros erit. Deinde cap. 111. vers. 11. dicit Deum omnia probe in eorum tempus ordinavisse, & vers. 14. se novisse, ait, quod quicquid Deus facit, id in æternum permanebit, nec ei aliquid addi, nec de eo aliquid subtrahi posse; quæ omnia clarissime docent, naturam fixum atque immutabilem ordinem servare, Deum omnibus seculis nobis notis & ignotis eundem fuisse, legesque naturæ adeo perfectas & fertiles esse, ut iis nihil addi neque detrahi possit, & denique miracula, non nisi propter hominum ignorantiam, ut aliquid novi, videri. Hæc igitur in Scriptura expresse docentur, at nullibi, quod in natura aliquid contingat, quod ipsius legibus repugnet, aut quod ex iis nequeat sequi, adeoque neque etiam Scripturæ affingendum. Ad hæc accedit, quod miracula causas & circumstantias requirant (ut jam ostendimus) & quod non sequantur ex nescio quo imperio regio, quod vulgus Deo affingit, sed ex imperio & decreto divino, hoc est,

(ut

(ut etiam ex ipsa Scriptura ostendimus) ex legibus naturæ ejusque ordine, & quod denique miracula etiam à seductoribus fieri possint, ut convincitur ex Deuternom. xiiii. & Matthæi. xxiv. 24. Ex quibus porro evidentissime sequitur, miracula res naturales fuisse, atque adeo eadem ita explicanda, ut neque nova (ut Salomonis verbo utar) neque naturæ repugnantia videantur, sed, si fieri potuit, ad res naturales maxime accendentia, quod ut facilius ab unoquoque possit fieri, quasdam regulas ex sola Scriptura petitas tradidi. Attamen, quamvis dicam, Scripturam hæc docere, non tamen intelligo, hæc ab eadem doceri tanquam documenta ad salutem necessaria, sed tantum quod Prophetæ hæc eadem uti nos amplexi sunt; quare de his unicuique, prout sibi melius esse sentiet, ad Dei cultum, & religionem integram animo suscipiendum, liberum est existimare. Quod etiam Josephus sentit; sic enim in conclusione Libri II. antiquit. scribit. *Nullus vero discredat verbo miraculi, si antiquis hominibus, & malitia privata via salutis liquet per mare facta, sive voluntate Dei, sive sponte revelata: dum & eis, qui cum Alexandro Rege Macedonia fuerunt olim, & antiquitus à resistantibus Pamphylicum mare divisum sit, & cum aliud iter non esset, transsum prebuit iis, volente Deo, per eum Persarum destruere principatum; & hoc confidentur omnes, qui auctus Alexandri scriperunt, de his itaque, sicut placuerit cuiuslibet, existimet.* Hæc sunt verba Josephi, ejusque de fide miraculorum judicium.

C A P U T VII.

De Interpretatione Scripturæ:

OMNIBUS in ore quidem est Sacram Scripturam verbum esse Dei, quod homines veram beatitudinem vel salutis viam docet: Verum re ipsa aliud planè indicant; Vulgus enim nihil minus curare videtur, quam ex documentis Sacræ Scripturæ vivere, & omnes fere sua commenta pro Dei verbo venditare videntur, nec aliud studere, quam sub prætextu religionis cæteros cogere, ut secum sentiant. Videntur, inquam, Theologos sollicitos plerumque fuisse, quomodo sua figmenta & placita ex sacris literis extorquere possent, & divina authoritate munire, nec aliud minore cum scrupulo majoreque cum temeritate agere, quam Scripturas sive Spiritus Sancti mentem interpretari, & si tum eos aliquid sollicitos habet, non est quod verentur, ne Spiritui Sancto aliquem errorem affingant & à via salutis aberrent, sed ne erroris ab aliis convincantur, atque ita propria eorum sub pedibus jaceat authoritas, & ab aliis contemnantur. Quod si homines id, quod verbis de Scriptura testantur, ex vero animo dicerent, tum aliam prorsus vivendi rationem haberent, neque tot discordia eorum mentes agitarent neque tot odiis certarent, nectam coeca & temeraria cupiditate interpretandi Scripturam, novaque in Religione excogitandi tenerentur: Sed contra nihil tanquam Scripturæ

pturæ doctrinam amplecti auderent, quod ab ipsa quam clarissime non edocerentur: & denique sacrilegi illi, qui Scripturam plurimis in locis adulterare non sunt veriti, à tanto scelere maxime cavissent, manusque sacrilegas ab iis abstinuissent. At ambitio & scelus tantum tandem potuerunt, ut religio non tam in obtemperandis spiritus Sancti documentis, quam in defendendis hominum commentis sita sit; imo ut religio non charitate, sed disseminandis discordiis inter homines, & odio infensissimo, quod falso nomine zeli divini & ardoris studii adumbrant, propagando contineatur. Ad hæc mala accessit superstitione, quæ homines rationem & naturam contemnere docet, & id tantum admirari ac venerari, quod huic utriusque repugnat: quare non mirum est, quod homines, ut Scripturam magis admirantur & venerantur, eam ita explicare studeant, ut his, rationi scilicet & naturæ quam maxime repugnare videatur; ideoque in Sacris Literis profundissima mysteria late-re somniant, & in iis, hoc est, in absurdis investigandis, cæteris utilibus neglectis, defatigantur, & quicquid sic delirando fingunt, id omne Spiritui Sancto tribuunt, & summa vi atque affectuum impetu defendere conantur. Ita enim cum hominibus comparatum est, ut quicquid paro intellectu concipiunt, solo intellectu & ratione; quicquid contra ex animi affectibus opinantur, iisdem etiam defendant. Ut autem ab his turbis extricemur, & mentem à præjudiciis theologicis liberemus, nec temere hominum figura pro divinis documentis amplectamur, nobis de vera methodo Scripturam interpretandi agendum est,

est, & de eadem differendum: hac enim ignorata nihil certò scire possumus, quid Scriptura, quidve Spiritus Sanctus docere vult. Eam autem, ut hic paucis complectar, dico methodum interpretandi Scripturam haud differre à methodo interpretandi naturam, sed cum ea prorsus convenire. Nam sicuti methodus interpretandi naturam in hoc potissimum consistit, in concinnanda scilicet historia naturæ, ex qua utpote ex certis datis, rerum naturalium definitiones concludimus: sic etiam ad Scripturam interpretandam necesse est ejus sinceram historiam adosnare, & ex ea tanquam ex certis & principiis mentem authorum Scripturæ legitimis consequentiis concludere: sic enim unusquisque (si nimirum nulla alia principia, neque data ad interpretandam Scripturam & de rebus, quæ in eadem continentur differendum, admiserit, nisi ea tantummodo, quæ ex ipsa Scriptura ejusque historia depromuntur) sine ullo periculo errandi semper procedet, & de iis, quæ nostrum captum superant, æquè securè differere poterit, ac de iis, quæ lumine naturali cognoscimus. Sed ut clare constet hanc viam non tantum certam, sed etiam unicam esse, eamque cum methodo interpretandi naturam convenire, notandum, quod Scriptura de rebus sæpiissime agit, quæ ex principiis lumine naturali notis deduci nequeunt; ejus enim maximam partem historiæ & revelationes componunt: at historiæ miracula potissimum continent, hoc est (ut in superiori Capite ostendimus) narrationes rerum insolitarum naturæ, opinionibus & judiciis historicorum, qui eas scripsierunt, accommodatas; revelationes autem

rem opinionibus etiam Prophetarum accommodatae sunt, ut in secundo Cap. ostendimus. & ipsas revera captum humanum superant. Quare cognitio horum omnium, hoc est, omnium ferè rerum, quæ in Scriptura continentur, ab ipsa Scriptura sola peti debet: sicuti cognitio naturæ ab ipsa natura. Quid ad documenta moralia, quæ etiam in Bibliis continentur, attinet, et si ipsa ex notionibus communibus demonstrari possint, non potest tamen ex iisdem demonstrari Scripturam eadem docere, sed hoc ex sola ipsa Scriptura constare potest. Imo si sine præjudicio Scripturæ divinitatem testari volumus, nobis ex eadem sola constare debet, ipsam vera documenta moralia doceare; ex hoc enim solo ejus divinitas demonstrari potest: nam certitudinem Prophetarum ex hoc præcipue constare ostendimus, quod Prophetæ animum ad æquum & bonum inclinatum habebant. Quare hoc idem etiam nobis constare debet, ut fidem ipsis possimus habere. Ex miraculis autem Dei divinitatem non posse convinci, jam etiam demonstravimus, ut iam tacem, quod etiam à Pseudo-propheta fieri poterant. Quare Scripturæ divinitas ex hoc solo constare debet, quod ipsa veram virtutem doreat. Atqui hoc ex sola Scriptura constare potest. Quod si non posset fieri, non sine magno præjudicio eandem amplectemur, & de ejus divinitate testaremur. Tota itaque Scripturæ cognitio ab ipsa sola peti debet. Denique Scriptura rerum, de quibus loquitur, definitiones non tradit, ut nec etiam natura. Quare quemadmodum ex diversis naturæ actionibus definitiones rerum naturalium concludendas sunt,

codem modo h̄e ex diversis narrationibus, quae de unaquaque re in Scriptis occurunt, sunt elicendae. Regula igitur universalis interpretandi Scripturam est, nihil Scripturæ tanquam ejus documentum tribuere, quod ex ipsius historia quam maxime perspectum non habeamus. Qualis autem ejus historia debeat esse, & quæ potissimum enarrare, hic jam dicendum.

Nempe I. continere debet naturam & proprietates linguae, qualibet Scripturæ scripti fuerint, & quam eorum Authores loqui solebant. Sic enim omnes sensus, quos unaquaque oratio ex communione loquendi usu admittere potest, investigare poterimus. Et quia omnes tam Veteris, quam Novi Testamenti scriptores Hebræi fuerunt, certum est Historiam linguae Hebraicæ præ omnibus necessariam esse, non tantum ad intelligentiam librorum Veteris Testamenti, qui hac lingua scripti sunt, sed etiam Novi; nam quamvis aliis linguis vulgati fuerint, Hebraizant tamet.

I I. Sententias uniuscujusque libri colligere debet, easque ad summa capita redigere, ut sic omnes, quæ de eadem re reperiuntur in promptu habere possimus: deinde eas omnes, quæ ambiguae vel obscuræ sunt, vel quæ invidem repugnare videntur, notare. At quo eas sententias hic obscuras aut claras voco, quarum sensus ex contextu orationis facile vel difficulter elicetur, at non quantum earum veritas facile vel difficulter ratione percipitur. De solo enim sensu orationum, non autem de earum veritate laboramus. Quinimo apprime cavendum est, quādiū sensum Scripturaræ querimus, ne ratiocinio nostra, quatenus prin-

principiis naturalis cognitionis fundatum est (ut jam taceam præjudicia) præoccupemur, sed ne verum sensum cum rerum veritate confundamus, idle ex solo linguae usu erit investigandus, vel ex ratiocinio, quod nullum aliud fundamentum agnoscit, quam Scripturam. Quæ omnia ut clarius intelligantur, exemplo illustrabo: Hæ Mosis sententiæ, quod *Deus sit ignis* & quod *Deus sit zelotypus*, quam clarissimæ sunt, quādiu ad solam verborum significationem attendimus, ideoque eas etiam inter claras repono, tametsi respectu veritatis & rationis obscurissimæ sunt; imo quamvis earum literalis sensus lumini naturali repugnet, nisi etiam principiis & fundamentis ex Historia Scripturæ petitis clare opponatur, is sensus, nempe literalis, erit tamen retinendus; & contra, si hæ sententiæ ex literali earum interpretatione principiis ex Scriptura petitis reperirentur repugnare, quanquam cum ratione maxime convenient, aliter tamen (metaphorice scilicet) essent interpretandæ. Ut itaque sciamus an Moses cediderit Deum esse ignem, an securus, nullo modo id concludendum est ex eo, quod hæc opinio cum ratione conveniat, aut quod ei repugneret; sed tantum ex aliis ipsius Mosis sententiis. Videlicet quoniam Moses pluramis in locis clare etiam docet, Deum nullam habere similitudinem cum rebus visibilibus, quæ in cœlis, in terra, aut in aqua sunt; hinc concludendum hanc sententiam, aut illas omnes metaphorice esse explicandas. At quia à literali sensu, quam minime fieri potest, est recedendum, ideo prius querendum, num hæc unica sententia, *Deus est ignis*, alium præter literalem

Iem sensum admittat, hoc est, an nomen ignis aliud quam naturalem ignem significet. Quod si non reperiatur ex usu linguae aliud significare, nullo etiam alio modo interpretanda esset haec sententia, quantumvis rationi repugnans; sed contra reliquæ omnes, quamvis rationi contentaneæ; huic tamen essent accommodandæ. Quod si nec hoc etiam ex usu linguae posset fieri, tum haec sententiæ irreconciliabiles essent, ac proinde de iis iudicium erit suspendendum. Sed quia nomen ignis pro ira & zelotypia etiam sumitur (vide Job. x x xi. 32.) hinc facile Mosis sententiæ reconciliantur, atque legitime concludimus duas has sententias, *Deus est ignis*, & *Deus est zelotypus*, unam eandemque esse sententiam. Porro quoniam Moses clarè docet Deum esse zelotypum, nec ullibi docet Deum carere passionibus sive animi pathematis, hinc plane concludendum Mosem hoc ipsum credidisse aut saltem docere voluisse, quantumvis hanc sententiam rationi repugnare credamus. Nam ut jam ostendimus nobis non licet ad dictamina nostræ rationis, & ad nostas præconceptas opiniones mentem Scripturæ torquere, sed tota Bibliorum cognitio ab iisdem solis est petenda.

III. Denique enarrare debet haec historia causas omnium librorum Prophetarum, quorum memoria apud nos est; videlicet vitam, mores, ac studia authoris uniuscujusque libri, quisnam fuerit, qua occasione, quo tempore, cui, & denique quâ linguâ scripsit. Deinde uniuscujusque libri fortunam: nempe quomodo prius acceptus fuerit, & in quorum manus inciderit.

deinde

deinde quot ejus variæ lectiones fuerint, & quantum concilio inter sacros acceptus fuerit, & denique quomodo omnes libri, quos omnes jam sacros esse fatentur, in unum corpus coaluerint. Hæc omnia, inquam, historia Scripturæ continere debet. Nam ut sciamus, quænam sententiae tanquam leges proferantur, quænam vero tanquam documenta moralia, refert scire vitam, mores, ac studia authoris; adde quod eò facilius verba aliquujus explicare possumus, quòd ejus genium & ingenium melius noverimus. Deinde ne documenta æterna cum iis, quæ ad tempus tantum, vel paucis solummodo ex usu poterant esse, confundamus, refert etiam scire qua occasione, quo tempore & cui nationi, aut sæculo omnia documenta scripta fuerunt. Refert denique reliqua, quæ præterea diximus, scire, ut præter libri cuiusque autoritatem, etiam sciamus num ab adulterinis manibus conspurcari potuerit, an minus; num errores irrepserint, num à viris satis peritis & fide dignis correcti fuerint. Quæ omnia scitu admodum necessaria sunt, ut ne cæco impetu correpti, quicquid nobis obtruditur, sed tantum id, quod certum & indubitatum est, amplectamur.

Jam postquam hanc historiam Scripturæ habuerimus, & firmiter decreverimus, nihil tanquam doctrinam Prophetarum certò statuere, quod ex hæc historiâ non sequatur, aut quam clarissime elicatur, tum tempus erit ut ad mentem Prophetarum & Spiritus Sancti investigandam nos accingamus; Sed ad hoc etiam methodus & ordo requiriatur similis ei, quo ad interpretationem naturæ ex

ipius historiâ utimur. Sicuti enim in scrutandis rebus naturalibus ante omnia investigare conamus, res maxime universales & toti naturæ communes, videlicet motum & quietem, eorumque leges & regulas, quas natura semper observat, & per quas continuo agit, & ex his gradatim ad alia minus universalia procedimus; sic etiam ex historia Scripturæ, id primum quærendum quod universalissimum, quodque totius Scripturæ basis & fundamentum est; & quod denique ipsa tanquam æterna & omnibus mortalibus utilissima doctrina ab omnibus Prophetis commendatur. Exempli gratia, quod Deus unicus & omnipotens existit, qui solus est adorandus, & qui omnes curat, eosque supra omnes diligit, qui ipsum adorant, & proximum tanquam semetipso amant &c. Hæc & similia, inquam, Scriptura ubique tam clare, tamque expresse docet, ut nullus unquam fuerit, qui de ejus sensu circa hæc ambegerit. Quid autem Deus sit, & qua ratione res omnes videat, iisque provideat, hæc & simila Scriptura ex professo, & tanquam æternam doctrinam non docet: Sed contra Prophetas ipsos circa hæc non convenisse jam supra ostendimus; adeoque de similibus nihil tanquam doctrinam Spiritus Sancti statuendum, tametsi lumine naturali optime determinari possit. Hæc igitur universalis Scripturæ doctrinâ probe cognitâ procedendum deinde est ad alia minus universalia, & quæ tamen communem usum vitæ spectant; quæque ex hac universalis doctrina tanquam rivuli derivantur; uti sunt omnes veræ virtutis actiones particulares externæ, quæ non nisi data occasione exerceri possunt; & quicquid circa
hæc

hæc obscurum sive ambiguum in Scriptis reportatur, ex doctrina Scripturæ universali explicandum & determinandum est: si quæ autem invicem contraria reperiuntur, videndum qua occasione, quo tempore, vel cui scripta fuerint. Ex. Gracum Christus dicit, *beatis lugentes, quoniam consolationem accipient.* Ex hoc Textu nescimus quales lugentes intelligat; sed quia postea docet, ut de nulla res simus solliciti, nisi de solo Regno Dei ejusque justitia, quod ut summum bonum commen- dat, (vide Matth. v. 1. 33.) hinc sequitur cum per lugentes eos tantum intelligere, qui lugeant Regnum Dei & justitiam ab hominibus neglectam: hoc enim tantum lugere possunt ii, qui nihil nisi regnum divinum, sive æquitatem amant & reliqua fortunæ plane contemnunt. Sic etiam, cum ait, *Sed ei, qui percussit te supra maxillam tuam dextram, obverte illi etiam alteram,* & quæ deinde sequuntur. Si hæc Christus tanquam Legislator judices juberet, Legem Mosis hoc præcepto destruxisset; quod tamen contra aperte monet, (vide Matth. v. 17.) quare videndum quisnam hæc dixit, quibus & quo tempore. Nempe Christus dixit, qui non tanquam legislator leges instituebat, sed ut doctor documenta docebat; quia (ut supra ostendimus) non tam *actiones externas*, quam animum corrigere voluit. Deinde hæc hominibus oppressis dixit, qui vivebant in republica corrupta & ubi justitia prorsus negligebatur & cuius ruinam prope instare videbat. Atqui hoc idem ipsum, quod hic Christus instantे Urbis ruina docet, Jeremiam etiam in prima Urbis vastatione, similis nimis tempore, docuisse videmus. (vide La-

ment. i i i. Lit. Tet, & Jot.) quare cum hoc non, nisi tempore oppressionis, docuerint Prophetæ, nec id ullibi tanquam lex prolatum sit, & contra Mōses (qui non tempore oppressionis scripsit, sed (& hoc nota) de instituenda bona republica laboravit) quamvis etiam vindictam & odium in proximum damnaverit, tamen jussit oculum pro oculo solvere; hinc clarissime sequitur ex ipsis solis Scripturæ fundamentis hoc Christi & Jeremiæ documentum de toleranda injuria, & impiis in omnibus concedendo, locum tantum habere in locis ubi justitia negligitur & temporibus oppressionis, non autem in bona republica: quinimo in bona republica, ubi justitia defenditur, tenetur unusquisque, si se vult perhiberi justum, injurias coram judge exigere (vide Levit. v. 1.) non propter vindictam (vide Levit. xix. 17. 18.) sed animo justitiam legesque Patriæ defendendi, & ut ne malis expeditat esse malos. Quæ omnia etiam cum ratione naturali plane convenient. Ad hunc modum alia plura possem adferre exempla, sed haec sufficere arbitror ad meam mentem, & utilitatem hujus methodi explicandam, quod impræsentiarum tantum curio. At hucusque eas tantum Scripturæ sententias investigare docuimus, quæ usum vitæ spectant, & quæ propterea facilius investigari queunt; nam revera de iis nulla inter Scriptores Bibliorum unquam fuit controversia. Reliqua autem, quæ in Scriptis occurrunt, quæque solius sunt speculationis, non tam facile indagari possunt; via enim ad haec angustior est; nam quandoquidem in rebus speculativis (ut jam ostendimus) Prophetæ inter se dissentiebant, & rerum narrationes maxime

acco-

accommodatę sunt uniuscujusque evi prejudiciis , minime nobis licet mentem unius Prophetę ex locis clarioribus alterius concludere , neque explicare, nisi evidentissime constet eos unam eandemque fovisse sententiam. Quomodo igitur mens Prophetarum in similibus sit ex historia Scripturę eruenda , paucis jam exponam. Nempe circa hęc etiam à maxime universalibus incipendum , inquirendo scilicet ante omnia ex sententiis Scripturæ maxime claris, quid sit Prophetia sive Reuelatio , & qua in re potissimum consistat. Deinde quid sit miraculum , & sic porro res maxime communes: debinc ad opiniones unuscujusque Prophetæ descendendum ; & ex his tandem ad sensum uniuscujusque revelationis sive Prophetiae , historiarę , & miraculi procedēdum. Qua autem cautione utendum sit , ne in his mentem Prophetarum & Historicorum cum mente Spiritus Sancti , & rei veritate confundamus , supra suis in locis multis exemplis ostendimus; quare de his non necesse habeo prolixius agere; hoc tamen circa sensum Reuelationum notandum , quod hęc methodus tantum investigare docet id , quod revera Prophetæ viderint aut audiverint, non autem quid illis hieroglyphicis significare aut repräsentare voluerint; hoc enim hariolari possumus , non autem ex Scripturæ fundamentis certo deducere. Ostendimus itaque rationem interpretandi Scripturam , & simul demonstravimus hanc unicam & certiorem esse viam ad ejus verum sensum investigandum. Fatoꝝ quidem eos de eodem certiores esse, si qui sunt, qui certam ejus traditionem sive veram explicationem ab ipsis Prophetis acceptam habent, ut

Pharisei autem, vel si qui Pontificem habent, qui circa interpretationem Scripturarum errare non potest, quod Catholici Romani jactant. Attamen quandoquidem nec de hac traditione, nec de Pontificis auctoritate possumus esse certi, nihil etiam certi super his fundare possumus; hanc enim antiquissimi Christianorum, illam autem antiquissimae Judæorum Sectæ negaverunt; & si deinde ad seriem annorum attendamus, (ut jam alia raceam) quam Pharisei acceperunt à suis Rabbinis, qua hanc traditionem ad Mosen usque proferunt, eam falsam esse reperiemus, quod alio in loco ostendo. Quare talis traditio nobis admodum debet esse suspecta; & quanquam nos in nostra Methodo Judæorum traditionem aliquam, ut incorruptam, cogimur supponere, nempe significationem verborum linguae Hebraicæ, quam ab iisdem acceptimus, de illa tamen dubitamus, de hac autem minime. Nam nemini unquam ex usu esse potuit alicujus verbi significationem mutare, at quidem non raro sensum alicujus orationis. Quin & factu difficillimum est; nam qui verbi alicujus significationem conaretur mutare, cogeretur simul omnes authores, qui illa lingua scripserunt, & illo verbo in recepta sua significatione usi sunt, ex ingenio vel mente uniuscujusque explicare, vel summa cum cautione depravare. Deinde vulgus linguam cum doctis servat, sensus autem orationum & libros docti tantum; ac proinde facile possumus concipere, doctos sensum orationis alicujus libri rarissimi, quem in sua potestate habuerunt, mutare vel corrumperem potuisse, non autem verborum significationem: adde quod si quis alicu-

alicujus verbi significationem, cui consuevit, in aliam mutare velit, non poterit sine difficultate id imposterum & inter loquendum & scribendum observare. Ex his itaque & aliis rationibus facile nobis persuademus, nemini in mentem venire posuisse, linguam aliquam corrumpere; at quidem sepe mentem alicujus Scriptoris, ejus orationes mutando, vel eisdem perperam interpretando. Cum itaque hæc nostra methodus (quæ in eo fundatur, ut cognitio Scripturæ ab eadem sola petatur) unico & vera sit, quicquid ipsa præstare non poterit ad integrum Scripturæ cognitionem acquirendam, de eo plane desperandum. Quid autem ipsa difficultatis habeat, vel quid in ipsa desiderandum, ut a integrum & certam sacrorum Codicum cognitionem nos ducere possit, hic jam dicendum. Magna imprimis in hac methodo oritur difficultas ex eo, quod linguae Hebraicæ integrum cognitionem exigit. At hæc unde jam petenda? antiqui linguae Hebraicæ cultores nihil posteritati de fundamentis & doctrina hujus linguae reliquerunt: nos saltem ab iisdem nihil profus habemus: non ullum Dictionarium neque Grammaticam, neque Rheticam: Hebreæ autem natio omnia ornamenta, omneque decus perdidit (nec mirum postquam tot clades & persecutio[n]es passa est) nec nisi pauca quædam fragmenta linguae & paucorum librorum retinuit; omnia enim fere nomina fructuum, avium, piscium, & permulta alia temporum injuriâ periæ. Significatio deinde multorum nominum, & verborum quæ in Bibliis occurrunt, vel prorsus ignoratur, vel de eadem disputatur. Cùm hæc omnia,

nia, tum præcipue hujus linguae phraseologiam desideramus, ejus enim phrasæ & modos loquendi, Hebrææ nationi peculiares, omnes fere tempus edax ex hominum memoria abolevit. Non itaque semper poterimus, ut desideramus, omnes uniuscujusque orationis sensus, quos ipsa ex linguae usu admittere potest, investigare, & multæ occurrent orationes, quamvis notissimis vocibus expressæ, quarum tamen sensus obscurissimus erit, & plane imperceptibilis. Ad hæc, quod scilicet linguae Hebrææ perfectam historiam non possumus habere, accedit ipsa hujus linguae constitutio & natura; ex qua tot oriuntur ambiguitates, ut impossibile sit talem invenire methodum, quæ verum sensum omnium orationum Scripturæ certò doceat investigare. Nam præter ambiguum causas omnibus linguis communes, quædam aliæ in hac lingua dantur, ex quibus permultæ nascentur ambiguitates: eas hic notare, operæ præmium duco.

Prima oritur in Bibliis sæpe ambiguitas, & orationum obscuritas ex eo, quod literæ ejusdem organi unæ pro aliis sumantur: Dividunt scilicet Hebræi omnes Alphabeti literas in quinque classes, propter quinque oris instrumenta, quæ pronunciationi inserviunt, nempe labia, lingua, dentes, palatum, & guttur. Ex. Gr. ה י נ א Alphæ, Ghet, Hgain, He, gutturales vocantur, & sine ullo discrimine, nobis saltem noto, una pro alia usurpatur. Nempe ב el, quod significat ad sumitur sæpe pro ב gal, quod significat super, & viceversa. Unde fit ut omnes orationis partes sæpe vel ambiguæ reddantur, vel tanquam voces

voces quæ nullam habent significationem.

Secunda deinde oritur orationum ambiguitas ex multiplici conjunctionum & adverbiorum significatione. Exemp. Gr: *Vau* promiscue interficit ad conjungendum & disjungendum, significat *&*, *sed*, *quia*, *aurem*, *tum*. *D. Ki* septem aut octo habet significationes; nempe, *quia*, *quamvis*, *si*, *quando*, *quemadmodum*, *quod*, *combustio* &c. Et sic fere omnes particulæ.

Tertia est, & quæ multarum ambiguitatum fons est, quia verba in Indicativō carent Præsenti, Præterito Imperfetto, Plusquam perfecto, Futuro perfecto & aliis in aliis linguis usitatissimis; in Imperativo autem & Infinitivo omnibus, præter Præsens: & in Subjunctivo omnibus absolute carent. Et quamvis hæc omnia Temporum & Modorum defecta certis regulis ex fundamentis linguæ deductis facile imo summa cum elegantiâ suppleri possent, Scriptores tamen antiquissimi eas plane neglexerunt, & promiscue tempus Futurum pro Præsenti & Præterito, & contra Præteritum pro Futuro; & præterea Indicativum pro imperativo & Subjunctivo usurpaverunt, idque non sine magna amphibolia orationum. Præter has tres ambiguitatum linguæ Hebraicæ causas, duæ abhuc aliæ supersunt notandæ, quarum una, quæque longe majoris est momenti. Harum prima est, quod Hebræi literas vocales non habent. Secunda, quod nullis signis orationes distinguere solebant, neque exprimere sive intendere; & quamvis hæc duo, vocales scilicet & signa, punctis & accentibus suppleri soleant, eis tamen acquiescere non possumus; quandoquidem à posterioris ævi homi-

hominibus, quorum authoritas apud nos nihil debet valere, inventa & instituta sunt: antiqui autem sine punctis (hoc est sine vocalibus & accentibus) scripserunt (ut ex multis testimoniorum constat). Posteriorvero, prout iis Biblia interpretari vatum est, haec duo addiderant; quare accentus & puncta, quae jam habemus, interae Hodie nostrum interpretationes sunt, nec plus fidei neque authoritatis merentur, quam reliqua auctorum explicaciones. Qui autem hoc ignorant, nesciunt quâ ratione auctor qui Epistolam ad Hebreos scripsit excusandus sit, quod Cap. xii. 21. interpretatus est Textum Genesios xlvii. 31. longè aliter, quam in punctato Hebreo Textu habetur, quasi Apostolus sensum Scripturæ a Punctistis diligere debuerit. Mihi sane punctistæ postius culpandi videntur, quod ut unusquisque videt, & simul quod haec discrepancy a solo vocalium defectu orta est, utramque interpretationem hic ponam. Punctistæ, suis punctis scilicet, interpretationi sunt, & incurvavit se Israël supra, vel (mutando י Hgai in א Aleph, in literam scilicet ejusdem organi) versus caput lexi: Auctor autem Epistolæ & incurvavit se Israël supra caput bacilli, legendo nimirum מטה Mate, loco quod alii מטה Mira, quæ differentia a solis vocalibus oritur. Jam quandomquidem in illa narratione de seneccute Jacobi, non autem ut in sequenti Capitulo, de ipsius morbo agitur, magis vero simile videtur, mentem historici fuisse, quod Jacobus supra caput bacilli (quo nimirum senes profectissimæ ætatis ad se sustinendum indigent) non autem lexi, se incurvaverit, præcipue cum hoc modo

non

non necesse sit ullam literarum subalternationem supponere. Atque hoc exemplo non tantum volūtōnum istam Epistolę ad Hebræos cum textu Genesios reconciliare, sed præcipue ostendere quam parum fidēi hodiernis punctis & accentibus sit habendum: atque adeo qui Scripturam sine ullo præjudicio interpretari vult, de hisce dubitate tenetur & de integro examinare.

Ex hac igitur (ut ad nostrum propositum revertamur) linguae Hebræe constitutione & natura facile unusquisque conicere potest, tot debere viri ambiguitates, ut nulla possit darī methodus, quæc omnes determinari queant. Nam nihil est quod speramus ex mutua orationum collatione (quam unicam esse viam ostendimus ad verum sentium ex multis, quos unaquaque oratio ex usu linguae admittere potest, eruetdum) hoc posse absolute fieri; cūm quia hæc orationum collatio, non nisi casu, orationem aliquam illustrare potest, quandoquidem nullus Propheta eō fine scripsit, ut verba alterius aut sua ipsa ex professō explicaret, tum etiam quia mentem unius Prophetæ, Apostoli &c. ex mente alterius concludere non possumus, nisi in rebus usum vitæ spectatibus, ut jam evidenter ostendimus; at non, cum de rebus speculatīvis loquuntur, sive cum miracula aut historias narrant. Possim hoc præterea, nempe quod multæ orationes inexplicabiles in S. Scriptis occurruunt, quibusdam exemplis ostendere, sed impresentiarum iis lubentius supersedeo, & ad reliqua, quæ superflunt, notanda, quid scilicet hæc vera methodus Scripturam interpretandi difficultatis ad huc habeat, vel quid in ipsa desideretur, pergam.

Oritur

Oritur in hac methodo alia præterea difficultas ex eo, quod ipsa historiam casum omnium librorum Scripturæ exigit, ejus maximam partem ignoramus; multorum enim librorum authores, (vel si mavis) Scriptores vel prorsus ignoramus, vel de iisdem dubitamus, ut in sequentibus fuse ostendam. Deinde neque etiam scimus qua occasione, neque quo tempore hi libri, quorum Scriptores ignoramus, scripti fuerunt. Nescimus præterea in quorum manus libri omnes incident, neque in quorum exemplaribus tot variae lectiones repertæ sint, nec denique an non plures aliae fuerint apud alios lectiones. Quid autem hæc omnia scire referat, suo in loco breviter indicavi, quædam tamen ibi consultò omisi, quæ jam hic veniunt consideranda. Si quem librum res incredibiles aut imperceptibiles continentem, vel terminis admodum obscuris scriptum, legimus, neque ejus authorem novimus, neque etiam quo tempore & qua occasione scripsit, frustra de ejus vero sensu, certiores fieri conabitur. His enim omnibus ignoratis, minime scire possumus quid author intenderit, aut intendere poterit: cum contra his probè cognitis nostras cogitationes ita determinamus, ut nullo prejudicio præoccupemur, ne scilicet authori, vel ei, in cuius gratiam author scripsit, plus minusve justò tribuamus, & ne de ipsis aliis rebus cogitemus, quam de iis, quas author in mente habere poterit, vel quas tempus & occasio exegerit. Quod quidem omnibus constare existimo. Sæpissime enim contingit, ut consimiles historias in diversis libris legamus, de quibus longe diversum iudicium

dicium facimus; pro diversitate scilicet opinio-
num, quas de scriptoribus habemus. Scio me
olim in libro quoddam legisse, virum, cui nomen
erat **Orlandus furiosus**, monstrum quoddam ala-
tum in aëre agitare solere, & quascunque vole-
bat regiones supervolare, ingentem numerum
hominum, & gigantum solum trucidare, & alia
hujusmodi phantasmatum, quæ ratione intellectus
plane imperceptibilia sunt. Huic autem consimi-
lem historiam in Ovidio de Perseo legeram, &
aliam denique in libris Judicum, & Regum de
Samsone (qui solus & inermis millia hominum tru-
cidavit) & de Elia, qui per aëra volitabat, &
tandem igneis equis & currucatum petiit. Hæ,
inquam, consimiles plane historiæ sunt, attamen
longe dissimile iudicium de unaquaque facimus:
nempe primum non nisi nugas scribere voluisse:
Secundum autem res politicas: Tertium denique
sacras: hocque nulla alia de causa nobis persuade-
mus, quam propter opiniones, quas de earum
scriptoribus habemus. Constat itaque notitiam
authorum, qui res obscuras aut intellectu imper-
ceptibiles scripserunt, apprimè necessariam esse,
si eorum scripta interpretari volumus; iisdem eti-
am de causis, ut ex variis obscurarum historia-
rum lectionibus veras eligere possemus, necesse
est scire, in quorum exemplari variæ hæ lectiones
repertæ sint, & an non plures aliæ apud alios
majoris autoritatis viros unquam fuerint in-
ventæ.

Alia denique difficultas quosdam libros Scri-
pturæ ex hac methodo interpretandi in eo est,
quod eos eadem lingua, qua primum scripti fue-
runt,

gunt, non habemus. Euangeliū enim secundum Matthæum, & sine dubio etiam Epistola ad Hebræos Hebraicè ex communi opinione scripta sunt, quæ tamen non extant. De libro autem Jobi dubitatur, qua lingua scriptus fuerit, Aben Hezra in suis commentariis affirmat, eum ex alia lingua in Hebræam translatum fuisse, & hanc esse ejus obscuritatis causam. De libris apocryphis nihil dico, quandoquidem longe dissimilis sunt authoritatis. Atque hæ omnes hujus methodi interpretandi Scripturam ex ipsis, quam habere possumus, historia difficultates sunt, quas enarrare suscepseram, quasque ego adeo magnas existimo, ut affirmare non dubitem, nos verum Scripturæ sensum plurimis in locis vel ignorare, vel sine certitudine hariolari. Verum enim vero hoc iterum contra notandum venit, has omnes difficultates impedire tantum posse, quomodo mentem Prophetarum assequamur circa res imperceptibles, & quas tantum imaginari, at non circa res quas & intellectu assequi, & quarum clarum possumus facile formare conceptum: res enim quæ sua natura facile percipiuntur, nunquam tam obscure dici possunt, quin facile intelligantur, juxta illud proverbium, intelligenti dictum sat est. Euclides, qui non nisi res admodum simplices & maxime intelligibiles scripsit, facile ab unoquoque in quavis lingua explicatur, non enim ut ejus mentem assequamur, & de vero ejus sensu certisimus, opus est integrum linguæ, qua scripsit, cognitionem habere, sed tantum admodum communem & fere puerilem, non vitam, studia, & mores authoris scire, neque quæ lingua, cui, neque

neque quando scitipserit, non libri fortunam neque varias ejus lectiones, nec quomodo, nec denique quorum concilio acceptus fuerit. Et quod hic de Euclide, id de omnibus, qui de rebus sua natura perceptibilibus scripserunt, dicendum; adeoque concludimus, nos mentem Scripturæ circa documenta moralia ex ipsius, quam habere possumus, historia facile posse assequi, & de vero ejus sensu esse certos. Veræ enim pietatis documenta verbis usitatissimis exprimuntur, quandoquidem admodum communia, nec minus simplicia, & intellectu facilia sunt; & quia vera salus & beatitudo in vera animi acquiescentia consistit, & nos in iis tantum vere acquiescimus, quæ clarissime intelligimus, hinc evidentissime sequitur, nos mentem Scripturæ circa r̄es salutares, & ad beatitudinem necessarias certò posse assequi; quæ non est, cur dè reliquis simus adeo solliciti: reliqua enim, quandoquidem ea ut plurimum ratione & intellectu complecti non possunus, plus curiositatis quam utilitatis habent. His existimo me veram methodum Scripturæ interpretandi ostendisse, meamque de eadem sententiam satis explicasse. Præterea non dubito, quin unusquisque jam videat, hanc methodum nullum lumen præter ipsum naturale exigere. Hujus enim luminis natura & virtus in hoc potissimum consistit, quod res scilicet obscuras ex notis, aut tanquam notis datis, legitimis consequentiis deducat atque concludat, nec aliud est quod hæc nostra methodus exigit: & quamvis concedamus, eandem non sufficere ad omnia, quæ in Bibliis occurrunt, certò investigandum, id tamen non ex ipsius de-

fectu oritur, sed ex eo, quod via, quam veram
& rectam esse docet, nunquam fuerit culta, nec
ab hominibus trita, adeoque successu temporis ad-
modum ardua & fere invia facta sit; ut ex ipsis
difficultatibus, quas retuli, clarissime constare
puto. Superest jam discrepantium à nobis senten-
tias examinare. Quæ h̄ic primum examinanda
venit, eorum est sententia, qui statuunt lumen
naturale non habere vim ad Scripturam interpre-
tandum, sed ad hoc maxime requiri lumen super-
naturale: quid autem hoc lumen præter naturale
sit, ipsis explicandum relinquo. Ego saltem nihil
aliud possum conjicere, quam quod ipsi obscurio-
ribus terminis etiam voluerunt fateri, se de vero
Scripturæ sensu ut plurimum dubitare: si enim ad
eorum explicationes attendimus, eas nihil supra
naturale continere, imò nihil nisi meras conjectu-
ras esse reperiemus. Conferantur, si placet,
cum explicationibus eorum, qui ingenuè faten-
tur, se nullum lumen præter naturale habere, &
plane consimiles reperientur, humanæ scilicet,
diu cogitatæ, & cum labore inventæ: quod
autem ajunt lumen naturale ad hoc non sufficere,
falsum esse constat, tum ex eo, quod jam demon-
stravimus, quod difficultas interpretandi Scri-
pturam nulla orta est defectu virium luminis natu-
ralis, sed tantum ex hominum socordia (ne dicam
malitia) qui historiam Scripturæ, dum eam con-
cinnare poterant, neglexerunt: tum etiam ex
hoc, quod (ut omnes, n̄ fallor, fatentur) hoc
lumen supranaturale donum sit divinum fidelibus
tantum concessum. At Prophetæ & Apostoli non
fidelibus tantum, sed maxime infidelibus & impijs
præ-

prædicare solebant, qui que adeo apti erant ad mentem Prophetarum & Apostolorum intelligentiam. Alias visi essent Prophetæ & Apostoli puerulis & infantibus prædicare, non viris ratione præditis: & frustra Moses leges præscripsisset, si ipsæ non nisi à fidelibus, qui nulla indigent lege, intelligi poterant. Quare qui lumen supranaturale querunt ad mentem Prophetarum & Apostolorum intelligendam, ii sane lumine naturali indigere videntur; longe igitur abest, ut tales donum divinum supranaturale habere existimem: Maimonidæ alia planè fuit sententia: sensit enim unumquemque Scripturæ locum varios, imo contrarios sensus admittere, nec nos de vero ullius esse certos, nisi sciamus locum illum, prout illum interpretamur, nihil continere, quod cum ratione non conveniat, aut quod ei repugnet; si enim rationi ex ipsius literali sensu reperiatur repugnare, quantumvis ipse clarus videatur, locum tamen aliter interpretandum censet, atque hoc cap. xxv. part. 2. Libri More Nebuchim quam clarissime indicat, ait enim,

דע כי אין בರיחתינו טן המאמר בקדמות העולם לפני הכותבים אשר באו בתורה בהיות העולם מחורש כי אין הכותבים מורים על הרושה העולם יותר מן הכותבים המורים על להיות השם נשם ולא שער הפירוש סתוםיס בפנינו ולא נמנעסלנו בעניין חדורש העולם אבל היה אפשר לנו לפרשם ככו שעשינו בהרחקת הנשומות ואולי היה זה יותר קל הרבה וזהנו ימולים יותר לפרש

הפסוקים

הפשטוקים הינם ולהעדר קדמוניות העולם כטו
 שפרשנו הפסוקים והרחיקנו היותו יתברך נשים וגוי
 Scito quod non fugimus dicere mundum fuisse ab eterno
 propter textum, qui in Scriptura occurrunt de creatione mun-
 di. Nam textus, qui docent mundum esse creatum, non
 plures sunt iis, qui docent Deum esse corporeum; nec
 aditus ad eos explicandum, qui in hac materia de mundi
 creatione reperiuntur, nobis interclusi sunt, nec etiam
 impeditis, sed ipsis explicare potuimus, sicut fecimus
 cum corporeitatem à Deo removimus; Et forte hoc multò
 facilius esset, Et magis commode potuimus eos ex-
 plicare & mundi aeternitatem statuminare, quam cum ex-
 plicuimus Scripturas, ut removeremus Deum benedictum
 esse corporeum; at ut hos non faceremus & ne hoc credam
 (mundum scilicet esse aeternum) due causa memo-
 vent. I. quia clara demonstratione constat Deum non
 esse corporeum, & necessaria est, omnia illa loca explicare,
 quorum literalis sensus demonstrationi repugnat, nam
 certum est ea necessario sum explicationem (aliam præter
 literalem) babere. At mundi aeternitas nulla demon-
 stratione ostenditur; adeoque non est necesse Scripturis vim
 facere easque explicare propter apparentem opinionem,
 ad cuius contrariam inclinare, aliqua suadente ratione,
 possemus. Secunda causa, quia credere Deum esse in-
 corporeum fundamentalibus Legis non repugnat &c.
 Sed mundi aeternitatem credere, eò modò quò Aristotelis
 visum fuit, legem à suo fundamento destruit &c. Hæc
 sunt verba Maimonidæ, ex quibus evidenter se-
 quitur id, quod modo diximus; si enim ipsi con-
 staret ex ratione mundum esse aeternum, non du-
 bitaret Scripturam torquere & explicare, ut tan-
 dem hoc idem ipsum docere videretur. Imo sta-
 tim

tum certus esset Scripturam, quamquam ubique aperte reclamantem, hanc tamen mundi aeternitatem docere voluisse; adeoque de vero sensu Scripturæ quantumvis claro, non poterit esse certus, quamdiu de rei veritate dubitare poterit, aut quamdiu de eadem ipsi non constet. Nam quamdiu de rei veritate non constat, tamdiu nescimus, an res cum ratione conveniat, an vero eidem repugnet; & consequenter etiam tamdiu nescimus, an literalis sensus verus sit an falsus. Quæ quidem sententia si vera esset, absolute concederem nos alio praeter lumen naturale indigere ad Scripturam interpretandam. Nam fere omnia, quæ in Scriptis reperiuntur, deduci nequeunt ex principiis lumine naturali notis (ut jam ostendimus) adeoque de eorum veritate ex vi luminis naturalis nihil nobis constare potest, & consequenter neque etiam de vero sensu & mente Scripturæ, sed ad hoc alio necessariò lumine indigerimus. Deinde si hæc sententia vera esset, sequeretur quod vulgus, qui ut plurimum demonstrationes ignorat, vel iis vacare nequit, de Scriptura nihil nisi ex sola autoritate & testimoniis philosophantium admittere poterit, & consequenter supponere debet, philosophos circa Scripturæ interpretationem errare non posse, quæ sanè nova esset Ecclesiæ authoritas, novumque sacerdotum vel Pontificum genus, quod vulgus magis irrideret, quam veneraretur; & quamvis nostra methodus linguae Hebrææ cognitionem exigat, cuius etiam studio vulgus vacare non potest, nihil tamen simile nobis objici potest; nam vulgus Judæorum & gentilium, quibus olim Prophetæ & Apostoli

prædicaverint & scripserunt, linguam Prophetarum & Apostolorum intelligebant, ex qua etiam mentem Prophetarum percipiebant, at non rationes rerum quas prædicabant, quas ex sententia Maimonidæ etiam scire deberent, ut mentem Prophetarum capere possent. Ex ratione igitur nostræ methodi non sequitur necessario vulgus testimonio interpretum acquiescere; ostendo enim vulgus, quod linguam Prophetarum & Apostolorum callebat; at Maimonides nullum ostendet vulgus quod rerum causas intelligat, ex quibus eorum mentem percipiatur. Et quod ad hodiernum vulgus attinet, jam ostendimus omnia ad salutem necessaria, quamvis eorum rationes ignorantur, facile tamen in quavis lingua posse percipi, propterea quod adeo communia & usitata sunt, & in hac perceptione, non quidem in testimonio interpretum, vulgus acquiescit; & quod ad reliqua attrinet, eandem in his cum doctis sequitur fortunam; sed ad Maimonidæ sententiam revertamur, atque ipsam accuratius examinemus. Primo supponit Prophetas in omnibus inter se convenisse, summosque fuisse Philosophos & Theologos, ex rei enim veritate eos conclusisse vult: atqui hoc falsum esse in cap. II. ostendimus. Deinde supponit sensum Scripturæ ex ipsa Scriptura constare non posse, rerum enim veritas ex ipsa Scriptura non constat (utpote quæ nihil demonstrat, nec res de quibus loquitur per definitiones & primas suas causas docet) quare ex sententia Maimonidæ neque ejus verus sensus ex ipsa constare potest, adeoque neque ab ipsa erit petendus. Atqui hoc etiam falsum esse

ex

ex hoc capite constat: ostendimus enim & ratione & exemplis sensum Scripturæ ex ipsa sola Scriptura constare, & ab ipsa sola, etiam cum de rebus loquitur lumine naturali notis, petendum. Supponit denique nobis licere secundum nostras præconceptas opiniones Scripturæ verba explicare, torquere, & literalem sensum, quamquam perspectissimum sive expressissimum negare, & in alium quemvis mutare. Quam quidem licentiam, præterquam quod ipsa ex diametro iis, quæ in hoc capite & aliis demonstravimus, repugnat, nemo non videt nimiam & temerariam esse: Sed magnam hanc libertatem ipsi concedamus, quid tandem promovet? Nihil sanè, quæ enim indemonstrabilia sunt, & quæ maximam Scripturæ partem componunt, hac ratione investigare non poterimus, neque ex hac norma explicare, neque interpretari: cum contra nostram methodum insequendo, plurima hujus generis explicare & de iis secure differere possumus. Ut jam & ratione, & ipso facto ostendimus: quæ autem sua natura perceptibilia sunt, eorum sensus facile, ut jam etiam ostendimus, ex solo orationum contextu elicetur. Quare hæc methodus plane inutilis est. Adde quod omnem certitudinem, quam vulgus ex sincera lectione, & quam omnes aliam methodum insequendo, de sensu Scripturæ habere possunt, plane iis adimit. Quapropter hanc Maimonidæ sententiam ut noxiā, inutilem, & absurdam explodimus. Quod porro Phariseorum traditionem attinet, jam supra diximus, eam sibi non constare; Pontificum autem Romanorum authoritatem luculentiori testimonio indigere;

digere; & nulla alia de causa hanc reprobo. Nam si ex ipsa Scriptura eam nobis æquè certò ostendere, ac Judeorum Pontifices olim poterant, nihil me moveret, quod inter Romanos Pontifices reperti fuerint hæretici & impii; cum olim inter Hebræorum Pontifices etiam reperti fuerint hæretici & impii, qui sinistris mediis Pontificatum adepti sunt, penes quæstamen ex Scripturæ mandato summa erat potestas legem interpretandi. Vide Exod. xvii. 11, 12. & xxxi. 11, 10. & Mal. i. 1, 8. At quoniam nullum tale testimonium nobis ostendunt, eorum authoritas admodum suspecta manet, & ne quis exemplo Pontificis Hebræorum deceptus putet religionem Catholicam etiam indigere Pontifice, venit notandum, quod leges Mosis, quia publica jura Patriæ erant, indigebant necessario, ut conservarentur, authoritate quadam publica: si enim unusquisque libertatem haberet iuxta publica ex suo arbitrio interpretandi, nulla res publica subsistere posset, sed hoc ipso statim dissolvetur, & jus publicum jus esset privatum. At Religionis longe alia est ratio. Nam quandoquidem ipsa non tam in actionibus externis, quam in animi simplicitate & veracitate consistit, nullius iuris neque authoritatis publicæ est. Animis enim simplicitas & veritas non imperio legum, neque authoritate publica hominibus infunditur, & absolute nemo vi aut legibus potest cogi ut fiat beatus, sed ad hoc requiritur pia & fraterna monitio, bona educatio & supra omnia proprium & liberum judicium. Cum igitur summum jus liberè sentiendi, etiam de Religione, penes unumquemque sit, nec possit concipi aliquem hoc jure decedere posse,

posse, erit ergo etiam penes unumquemque sum-
mum jus summaque authoritas de Religione libe-
rè judicandi, & consequenter eandem sibi expli-
candi & interpretandi; nam nulla alia de causa
summa authoritas leges interpretandi, & summum
de rebus publicis judicium penes magistratum est,
quam quia publici juris sunt: adeoque eadem de
causa summa authoritas religionem explicandi, &
de eadem judicandi penes unumquemque erit, scilicet
quia uniuscujusq; juris est. Longè igitur abest,
ut ex autoritate Pontificis Hebrorum ad leges
Patriæ interpretandum posset concludi Romani
Pontificis authoritas ad interpretandam religio-
nem; cum contrà hanc unumquemque maxime ha-
bere facilius ex illa concludatur: atque etiam hinc
ostendere possumus nostram methodum Scriptu-
ram interpretandi optimam esse. Nam cum maxi-
ma authoritas Scripturam interpretandi apud un-
umquemque sit, interpretandi ergo norma nihil
debet esse præter lumen naturale omnibus com-
mune, non ullum supra naturam lumen, neque illa
externa authoritas; non etiam debet esse adeo dif-
ficilis, ut non nisi ab acutissimis Philosophis dirigi
possit, sed naturali & communi hominum ingenio
& capacitatibus accommodata, ut nostram esse ostendamus.
Vidimus enim eas, quas jam habet difficultates, ortas fuisse ab hominum locordia, non au-
tem ex natura methodi.

C A P U T VIII.

In quo ostenditur Pentateuchon & libros Iosue, Iudicum, Rut, Samuëlis & Regum non esse autographa. Deinde inquiritur an eorum omnium Scriptores plures fuerint, an unus tantum, & quinam.

IN præcedenti Capite de fundamentis & principiis cognitionis Scripturarum egimus, eaque nulla alia esse ostendimus, quam harum sinceram historiam. Hanc autem, quanquam apprime necessariam, Veteres tamen neglexisse, vel, si quam scripserint aut tradiderint, temporum injuria periisse, & consequenter magnam partem fundamentorum & principiorum hujus cognitionis intercidisse. Quod adhuc tolerandum esset, si posteri intra veros limites se continuissent, & pauca, quæ acceperant aut invenerant, bona cum fide successoribus suis tradidissent, nec nova ex proprio cerebro excussissent: quo factum est ut Scripturæ historia, non tantum imperfecta, sed etiam mendosior manserit, hoc est, ut fundamenta cognitionis Scripturarum, non tantum pauciora, ut iis integræ superstrui possit, sed etiam vitiosa sint. Hæc emendare & communia Theologizæ præjudicia tollere ad meum institutum spectat. At vereor ne nimis sero hoc tentare aggrediar, res enim eò jam ferme pervenit, ut homines circa hoc non patiantur corrigi, sed id quod sub specie religionis amplexi sunt, pertinaciter defendant; nec ullus locus rationi, nisi apud paucissimos (si cum reliquis com-

comparentur) relictus videtur, adeo late hæc præjudicia hominum mentes occupaverunt. Enī tamen, remque experiri non desinam, quandoquidem nihil est, cur de hac re prorsus sit desperandum. Ut ea autem ordine ostendam, à præjudiciis circa veros Scriptores Sacrorum Librorum incipiam, & primò de scriptore Pentateuchi: quem fere omnes Mosen esse crediderunt, imo adeò pertinaciter defenderunt Pharisei, ut eum hæreticum habuerint, qui aliud visus est sentire, & hac de causa Aben Hezra, liberioris ingenii Vir, & non mediocris eruditionis, & qui primus omnium, quos legi, hoc præjudicium animadvertisit, non ausus est mentem suam apertè explicare, sed rem obscurioribus verbis tantum indicare, quæ ego hic clariora reddere non ve-rebor, remque ipsam evidenter ostendere; Verba itaque Aben Hezra, quæ habentur in suis commentariis supra Deuteronomium hæc sunt.

בעבר הירדן וננו ואם חכין כוד השנים עשר גם
ויבתו משה והכנעני או בארין בהר יהוה יראה
גם רנה ערשו ערש ברזל תכבר האמתה
Ultra Iordanem, &c. modo intelligas mysterium duodecim, etiam & scripsit Moses legem & Kenahana tunc erat in terra, in Dei monte revelabitur, tum etiam ecce lectum suum lectum ferreum, tum cognosces veritatem.
His autem paucis indicat simulque ostendit non fuisse Mosen, qui Pentateuchon scripsit, sed alium quempiam, qui longe post vixit, & denique quem Moses scripsit librum, alium fuisse. Ad hæc, inquam, ostendendum, notat I. ipsam Deuteronomii præfationem, quæ à Mose, qui

Jordanem non transivit, scribi non potuit. Notat III. quod totus liber Mosis descriptus fuerit admodum diserte in solo ambitu unius aræ (vide Dcuter. xxvii. & Josue viii. 37. &c.) quæ ex Rabbinorum relatione duodecim tantum lapidibus constabat; ex quo sequitur librum Mōsis longè minoris fuisse molis, quam Pentateuchon: Hoc, inquam, puto authorem hunc significare voluisse per *mysterium duodecim*; nisi forte intellexit duodecim illas maledictiones, quæ in prædicto Cap. Deut. habentur, quas fortasse credidit non fuisse in libro legis descriptas, idque propter ea, quod Moses præter descriptionem legis Levitas insuper recitare illas maledictiones jubet, ut populum jurejurando ad leges descriptas observandum adstringerent. Vel forte ultimum caput Deuteronomii de morte Mōsis significare voluit, quod caput duodecim versibus constat. Sed hæc & quæ præterea alii hariolantur, non est opus curiosius hic examinare. Notat deinde III. dici in Deuter. xxxi. 9. יְכֹחֵב מֹשֶׁה אֶת הַתּוֹרָה & scripsit Moses legem; quæ quidem verba non possunt esse Mōsis, sed alterius Scriptoris Mōsis facta & scriptria narrantis. Notat IV. locum Genes. xxi. 6. ubi narrando, quod Abrahamus terram Kanahamitatum lustrabat, addit Historicus, quod Kanahamitatum temporis erat in illa terra: quibus tempus quo hæc scripsit, clare secludit. Adeoque post mortem Mōsis, & cum Kanahanitæ jam erant expulsi, illasque regiones non amplius possidebant, hæc debuerunt scribi; quod idem Aben Ezra super hunc locum commentando etiam his significat.

וְהִכְנָעַן אָז בָּאָרֶץ יְתַכֵּן שָׂאָרֶץ בְּנֵעַן תְּפִשָּׁה בְּנֵעַן

מִרְאָחֶר וְאֵם אַיִלּוֹן יָשַׁלׁוּ סֹד וְהַמְשִׁבֵּל יְדֵם

& Kanabaniatum erat in illa terra; videtur quod Kanabani (nepos Noe) terram Kanabnitam ab alio posse fiam cepit, quod si non verum est, inest huic rei mysterium, & qui id intelligit, raseat. Hoc est, si Kanabani regiones illas invasit, tum sensus erit, Kanabani tam jam tum fuisse in illa terra, excludendo scilicet tempus praeteritum, quo ab alia natione inhabebatur. At si Kanabani regiones illas primus coluius (ut ex Genes. x. sequitur) tum Textus tempus praefens, Scriptoris scilicet secludit; adeoque non Mosis, cuius nimirum tempore etiamdum illas regiones possidebant; & hoc est mysterium, quod tacendum commendat. V. Notat quod Gen. xxxii.

14. vocetur mons Morya mons Dei, quod quidem nomen non habuit, nisi postquam edificationi templi dicatus fuit; at haec montis electio nondum erat tempore Mosis facta, Moses enim nullum locum a Deo electum indicat, sed contra predicit Deum locum aliquem mox electurum, cui nomen Dei imponetur. V I. Denique notat, quod Deuter. 111. narrationi Og Regis Basan haec interponantur. *Solus Og Rex Basan manxit ex reliquis gigantibus, ecce quod lectus ejus erat lectus ferreus, is certe (lectus) qui est in Rabat filiorum Hamon novem cubitos longus, &c.* Quae parenthesis clarissime indicit horum librorum Scriptorem longe vixisse post Mosen, hic enim modus loquendi ejus tantum est, qui res antiquissimas narrat, quique rerum reliquias

• NB. Hebr. רְפָאִים repaim significare damnos, & videtur oīiam esse nomen proprium ex Paralip. xx. Et ideo puto hic fanulum aliquam significare.

quias ad fidem faciendam indicat; & sine dubio
hic lectus tempore primum Davidis, qui hanc ur-
bem subegit, ut in libro 2 Samuël. XII. 30. narra-
tur, inventus est. At non hic tantum, sed paulo e-
tiam infra idem hic Historicus verbis Mosis inse-
xit Iair filius Manassis cepit totam jurisdictionem Ar-
gobi usque ad terminum Gesurita, & Mahachatita,
vocabisque illa loca suo nomine cum Bassan pagos Iairi us-
que in hunc diem. Hæc, inquam, addit Historicus
ad explicanda verba Mosis quæ modo retulerat,
nempe & reliquum Gilhad & totum Bassan regnum Og,
didi dimidiae tribui Manassis, tota jurisdictione Argobi
sub toto Bassan, quæ vocatur terra Gigantum. Nove-
rant procul dubio Hebrai tempore hujus Scriptori-
cis, quinam essent pagi Jairi tribulis Iehudæ, at
non nomine jurisdictionis Argobi, nec terræ Gi-
gantum, ideoque coactus est explicare quænam
esseat hæc loca, quæ antiquitus sic vocabantur, &
simul rationem dare, cur suo tempore nomine
Jairi, qui tribulis Judæ, non vero Manassis erat
(vid. Paralip. II. 21. & 22.) insignirentur. His
Aben Hezræ sententiam explicuimus, ut & loca
Pentateuchi, quæ ad eandem confirmandam ad-
fert. Verum enim vero nec omnia, nec præcipua
notavit, plura enim in hisce libris & majoris mo-
menti notandi supersunt. Nempe, I. quod, horum
librorum Scriptor de Mose non tantum in tertia
persona loquatur, sed quod insuper de eo multa
testetur? Videlicet Deus cum Mose locutus est. Deus
loquebatur cum Mose de facie ad faciem. Moses omnium
hominum erat humilius. (Num. XI. 3.) Moses ira-
captus est in duces exercitus (Numer. XXXI. 14.)
Moses vir divinus (Deuterum. XXXII. 1. Mo-
ses)

Ses seruus Dei mortuus est. Nunquam existit Propheta in Israël sicut Moses, &c. At contra in Deuteronomio libilex, quam Moses populo explicuerat, quamque scriperat; describitur, loquitur, suaque facta narrat Moses in prima persona; nempe Deus misericordia locutus est (Deuter. 11. 1, 17. &c.) *Deum precatus sum, &c.* Nisi quod postea historicus in fine libri, postquam verba Mosis retulit, iterum in tertia persona loquendo narrare pergit, quomodo Moses hanc legem (quam scilicet explicuerat) populo scripto tradidit, eumque novissime monuit & quomodo tandem vitam finierit. Quae omnia, nempe modus loquendi, testimonia, & ipse totius historiae contextus plane suadent hos libros ab alio, non ab ipso Mose fuisse conscriptos. II. Venit etiam notandum, quod in hac historia non tantum narratur, quomodo Moses obierit, sepultus fuerit, & Hebreos triginta dies in luctum conjecterit, sed quod insuper facta comparatione ejus cum omnibus Prophetis, qui postea vixerunt, dicitur ipsum omnes excelluisse, *Non existit unquam*, inquit, *Propheta in Israël, sicut Moses, quem Deus neverit de facie ad faciem.* Quod sane testimoniuni non Moses ipsus de se, nec aliis, qui eum immediate secutus est, sed aliquis, qui multis post saeculis vixit, dare potuit, praesertim quia historicus de praeterito tempore loquitur, nempe *nunquam existit Propheta, &c.* Et de sepultura, quod nemo illam novit in bunc usque diem. III. Notandum, quod quasdam loca non iis indicentur nominibus, quae vivente Mose obtinebant, sed aliis, quibus dum postea insignita sunt. Ut quod Abrahamus persecutus est hostes usque ad Dan. (Vide Genes. xiv. 14.)

Quod nomen hæc urbs non obtinuit, nisi longe post mortem Iosuæ (Vid. Judic. xvii. 29.) I V. Quod Historiæ aliquando etiam ultra tempus yitæ Mosis producantur. Nam Exod. xvii. 34. narratur, quod filii Israëlis comedenterunt Man quadraginta annos, donec venerunt ad terram habitatam, donec venerunt ad finem terræ Kanahan, nempe usque in tempus, de quo in libro Iosuæ v. 12 In libro etiam Genes. xxxvi. 31. dicitur, *Hi sunt reges, qui regnaverunt in Edom, antequam regnavit rex in filiis Israëlis:* Narrat sine dubio ibi historicus, quos reges Idumæi habuerint, antequam David eos subegit & præsides in ipsa Idumæa constituit (Vid. 2.Sam. vi. 11.14.) Ex his itaque omnibus luce meridiana clarius appareat, Pentateuchon non à Mose, sed ab alio, & qui à Mose multis post sæculis yixit, scriptum fuisse: sed si placet attendamus insuper ad libros, quos ipse Moses scripsit, & qui in PentateUCHO citantur, ex iis ipsis enim constabit, eos alios, quam Pentateuchon fuisse. Primo itaque constat ex Exod. xvii. 14. Mosen ex Dei manda-to bellum contra Hamalek scripsisse; in quo autem libro, non constat ex illo ipso capite: at Numer. xxii. 12. citatur quidam liber, qui *bellorum Dei* vocabatur, & in hoc sine dubio bellum hoc contra Hamalek, & præterea etiam castrametationes omnes (quas etiam author Pentateuchi Num. xxii. 1. 2. testatur à Mose descriptas fuisse) narrabantur. Constat præterea de alio in Exod. xxiv. 4. 7. qui vocabatur *ספר הכת* * *liber pacti*, quem coram Israëlitis legit, quando primum cum Deo pactum.

N.B. * *ספר* Hebraice significare sèpius epistolam, sive chartam.

pactum iniverant: At hic liber sive hæc epistola pauca admodum continebat; videlicet leges si-
ve Dei iussa, quæ narrantur ex Exod. xx. 22.
usque ad cap. xxiv. ejusdem libri, quod nemo
inficias ibit, qui sano aliquo judicio, & sine par-
tiū studio prædictum caput legerit. Narratur
enim ibi, quod, simul ac Moses sententiam popu-
li inteflexit de incundo cum Deo pacto, statim
Dei eloqua & jura scripsit, & matutina luce,
quibusdam cæremoniis peractis, universæ con-
cioni pæcti ineundi conditiones prælegit, quibus
prælectis & sine dubio ab universa plebe perceptis,
populus se pleno consensu adstrinxit. Quare tam
ex temporis brevitate, quo descriptus fuit, quam
ex ratione pæcti ineundi sequitur huic librum ni-
hil præter pauca ea, quæ modo dixi continuisse.
Constat denique anno quadragesimo ab exitu Æ-
gypti Mosen leges omnes, quas tulerat, explicui-
se (Vid. Deuter. i. 5.) populunque de novo
iisdem obligavisse (vide Deuter. xxxix. 14.) &
tandem librum, qui has leges explicatis, ne-
vumque hoc pactum continebat, scripsisse (vide
Deuter. xxxi. 9.) & hic vocatus est *liber legis Dei*,
quem Josua postea auxit, narratione scilicet pa-
cti, quo suo tempore populus se de integrō obli-
gavit, quodque cum Deo tertio inivit (vide Jo-
sue xxiv. 25, 26.) At quoniam nullum habemus
librum, qui hoc pactum Mosis, simul & pactum
josuæ contineat, necessariò concedendum hunc
librum periisse, vel cum Paraphraste Chaldæo
Jonatane insaniendum, & verba Scripturæ ad li-
bitum torquenda: Hic enim hac difficultate motus
maluit Scripturam corrumpere, quam ignorans iam

suam fateri. Nempe hæc libri Iosuæ verba (vi-
 de xxiv. 26.) רְבָתֶל יְהוָשָׁע אֶת הַדְּכָרִים חָאֵלָח scripsitque Iosua hac verba in
 libro Legis Dei, Chaldaice sic transtulit וְכֹתֵב יְהוָשָׁע בְּסֶפֶר תּוֹرַת הָאֱלֹהִים
 'ת פְּתֻגָּמִי אֲהָילָן וְאַצְנָעַנְןָן בְּסֶפֶר אָרוּתָה אֲדִזָּהָה
 & scripsit Iosua hac verba & custodivit ea cum libro Le-
 gis Dei. Quid cum illis agas, quin nihil vident, ni-
 si quod lubet? quid, inquam, hoc aliud est,
 quam ipsam Scripturam negare, & novam ex
 proprio cerebro cudere? Nos igitur concludi-
 mus, hunc librum legis Dei, quem Moses scrip-
 sit, non fuisse Pentateuchon, sed prorsus alium,
 quem autor Pentateuchi suo operi ordine inse-
 ruit, quod cùm ex modò dictis, tùm ex jam di-
 cendis evidentissime sequitur. Nempe cùm in
 Deuteronomii loco jam citato narratur, quod
 Moses legis librum scripsit, addit historicus, quod
 Moses eum sacerdotibus tradidit, & quod præte-
 rea eos jussérunt, ut ipsum certo tempore omni po-
 pulo prælegerent: quod ostendit, hunc librum
 longe minoris molis fuisse, quam Pentateuchon;
 quandoquidem in una concione ita perlegi posse-
 rat, ut ab omnibus intelligeretur: nec hic præ-
 tereundum, quod ex omnibus libris, quos Mo-
 ses scripsit, hunc unum secundi pacti & Canti-
 cum (quod postea etiam scripsit, ut id univer-
 sus populus edisceret) religiose servare & cu-
 stodire jussérunt. Nam quia primo pacto non nisi
 præsentes, qui aderant, obligaverat, at secundo
 omnes etiam eorum posteros (vide Deuter. xxix.
 14, 15.) ideo hujus secundi pacti librum futuris
 saeculis religiose servandum jussit, & præterea
 etiam,

epiam, ut diximus, Canticum, quod futura saecula
potissimum respicit: cum itaque non constet Mo-
sen alios, prater hos libros scripsisse, & ipse nul-
lum aliud, praeter Libellum legis cum Cantico
posteriorati religiose servandum mandaverit, & de-
nique plura in Pentateucho occurrant, quae à Mo-
se scribi non potuerunt, sequitur neminem cum
fundamento, sed omnino contra rationem affir-
mare Mosen autorem esse Pentateuchi. At hic ali-
quis forsitan rogabit, num Moses praeter haec non
etiam scriperit leges, cum ipsi primus revela-
rentur? hoc est, an spatio quadraginta annorum
nullas legum, quas tuleraat, scriperit, praeter pau-
cas illas, quas in primi pacti libro contentas fuisse
dixi? sed ad haec respondeo, quamvis concederent
rationi consentaneum videri, quod Moses eo ipso
tempore & loco, quo leges communicare conti-
git, eo etiam easdem scriperit, nego tamen nobis
hac de causa licere hoc affirmare; supra enim o-
stendimus nobis de similibus nihil esse statuendum,
nisi id quod ex ipsa Scriptura constat, aut quod ex
solis ipsius fundamentis legitimam consequentiā eli-
citur, at non ex eo, quod rationi consentaneum vi-
detur. Adde quod nec ipsa ratio nos cogat hoc sta-
tuere. Nam forsitan senatus Mosis edicta populo scri-
pta communicabat, quae postea historicus collegit,
& historiae vitae Mosis ordine inseruit. Atque haec
de quinq; libris Mosis: nunc tempus est ut reliquos
etiam examinemus, Josue libru similibus etiam ra-
tionibus ostenditur non esse autographon: alias enim
est, qui de Josua testatur, quod ejus fama fuerit per
totam tellurem (vide VII. I.) quod nihil eorum
omiserit, quae Moses praecepserat (vide vers. ult.

VIII. vers. ult. & Cap. XI. 15.) quod senneris omnesque in concionem vocaverit, & quod tandem animam egerit. Deinde etiam quedam narrantur, quae post ipsius mortem contigerunt. Videat ceterum quod post ejus mortem Israëlitæ Deum coheruerunt, quadragesimæ fenes, qui ipsum neverant, traxerunt. Et xvi. 10. quod (Ephraim & Massasse) non expulerunt Canaanitam habitationem in Gazer, sed (addit.) quod Canaanita inter Ephraim abitavit usque in hanc diem, & fuit nibararius. Quod idem ipsum est, quod libro Judicum cap. I. narratur, & modus etiam loquendi in hunc usque diem ostendit Scriptorem rem antiquam narrare. Huic etiam confirmans est Textus xv. vers. ult. de filiis Jehudæ, & historia Kalebæ, ex vers. 13. ejusdem cap. Et casus ille etiam, qui xxii. ex vers. 10. &c., narratur de duabus tribibus & dimissa, quæ aram ultra Jordanem edificaverunt, post mortem Josuæ contigisse videretur: quandoquidem in tota illa historia nulla Josuæ fit mentio, sed solus populus bellum gerere deliberat, legatos mittit, eorumque responsum expectat & tandem approbat. Denique ex cap. x. 14. evidenter sequitur hunc librum multis post Joluam sæculis scriptum fuisse: Sic enim testatur, nullus alius, sicut ille dies, fuit nec ante neque postea, quo Deus (ita) obediret cuiquam, &c. Si quem igitur librum Josua unquam scripsit, fuit sane ille, qui x. 13. in hac eadem scilicet historia citatur. Librum autem Judicum neminem sanæ mentis sibi persuadere credo ab ipsis Judicibus esse scriptum: epilogus enim totius historiæ qui habetur cap. I. clare ostendit, eum totum ab uno solo Historico scriptum fuisse. Deinde quia

quia ejus Scriptor sape monet quod illis temporibus nullus erat Rex in Israël, non dubium est, quin scriptas fuerit, postquam imperium reges obtinuerant. Circa Samuëlis libros non etiam est, cur din moremur, quandoquidem historia longe post ejus vitam producitur. Hoc tamen tantum notari velint, hunc librum etiam multis post Samuëlem saeculis scriptum fuisse. Nam Sam: 1. ix. ver. 6. Historicus per Parenthesin monet, antiquitus in Israël sic dicebat quisque quando ibat ad consulendum Deum, age eamus ad videntem, nam qui bodie propheta, antiquitus videns vocabatur. Libri denique Regum ut ex iisdem constat, decerpti sunt ex libris rerum Salomonis (vide 1. Reg. xi. 5.) Chronicorum Regum Iehudæ (vide cap. xiv. 19, 29. eiusdem) & Chronicorum Regum Israëlis. Concludimus itaque omnes hos libros, quos huc usque recensuimus, esse apographa, resque in iis contentas ut antiquas enarrari. Si jam ad connexionem & argumentum horum omnium librorum attendamus, facile colligemus eos omnes ab uno eodemque Historico scriptos fuisse, qui Judæorum antiquitates ab eorum prima origine usque ad primam Urbis vastationem scribere voluit. Hi enim libri ita invicem connectuntur, ut ex hoc solo dignoscere possimus, eos non nisi unam unius Historici narrationem continere. Nam simulac Mosis vitam narrare desinit, ad historiam sic transit, & contigit postquam mortuus est Moses servus Dei, ut Deus diceret Iosua, &c. Et hac morte Iosuæ finita, eadem transitione & conjunctione historiam Judicum incipit, nempe, Et contigit, postquam mortuus est Iosua, ut filii Israëlis

à Deo quererent, &c. Et huic libro, tanquam appen-
 dicem, librum Rut sic annexit. Et contigit iis diebus,
 quibus Iudices judicabant, ut famae esset in illa terra. Cui
 etiam eodem modo librum primum Samuelis an-
 nexit, quo finito solita sua transiōne ad secun-
 dum pergit; & huius, historiā Davidis nondum
 finita, librum primum Regum jungit, & histori-
 am Davidis narrare pergens, tandem huic eadem
 coniunctione librum secundum annexit. Con-
 textus deinde & ordo historiarum etiam indicat
 unum caput fuisse Historicum qui certum sibi
 scopum praefixit: incipit enim primam nationis
 Hebræz originem narrare, deinde ordinē dicere,
 qua occasione & quibus temporib⁹ Moses leges
 tulerit, ipsisque multa praedixerit: Deinde quomo-
 do secundum Mosis predictiones terram promis-
 sam (vide Deuter. viii. 1.) invaserint, eā vero pos-
 sessa legibus valedixerant (Deuter. xxxi. 16) indeque ipsos multa mala consequuta sunt (ejusd. v.
 17.) Quomodo deinde Reges eligere voluerunt
 (Deut. xxi. 14.) qui etiam prout leges cura-
 verant, ita res ipsis prospere vel infeliciter cesse-
 rant (Deuter. xxvi. 1. 36. & vers. ult.) do-
 nec tandem imperii ruinam, sicuti ipsam Moses
 praedixerat, narrat. Reliqua autem, quæ ad con-
 firmandam legem nihil faciunt, vel prorsus silentio
 mandavit, vel lectorē ad alios historicos alegat.
 Omnes igitur hi libri in unum conspirant, nempe
 dicta & edicta Mosis docere, eaque per rerum e-
 ventus demonstrare. Ex his igitur tribus simul con-
 sideratis, nempe simplicitate argumenti horum om-
 nium librorum, connexione, & quod sint apograp-
 grapha multis post saeculis à rebus gestis scrip-
 conclud-

concludimus, ut modo diximus; eos omnes ab uno solo Historico scriptos fuisse; quisnam autem is fuerit, non ita evidenter ostendere possum, suspicor tamen ipsum Hesdram fuisse, & quaedam non levia concurrunt ex quibus conjecturam facio. Nam cum Historicus (quem jam scimus unum tantum fuisse) historiam producat usque ad Joachini libertatem, & insuper addat ipsum Regis mensē accubuisse tota ejus vita (hoc est vel Joachini vel filii Nebucadnesoris, nam sensus est planè ambiguus) hinc sequitur eum nullum ante Hesdram fuisse. At Scriptura de nullo, qui tum floruit, nisi de sola Hesdra testatur (vide Hesdrę vii. 10.) quod ipse suum studium applicuerit ad quaerendam legem Dei, & adornandam, & quod erat Scriptor (eiusdem Cap. vers. 6.) promptus in Lege Mosis. Quare nullum præter Hesdram suspicari possum fuisse, qui hos libros scripserit. Deinde in hoc de Hesdra testimonio videmus, quod ipse non tantum studium adhibuerit ad quaerendam legem Dei, sed etiam ad eandem adornandam, & in Nehemiz v i i i. 9. etiam dicitur, *quod legerunt librum legis Dei explicatum, & adbibuerunt intellectum & intellexerunt Scripturam.* Cum autem in Deuteronomii libro, non tantum liber legis Mosis, vel maxima ejus pars contineatur, sed insuper multa ad pleniorē explicationē inserita reperiantur, hinc conjicio librum Deuteronomii illum esse librum legis Dei ab Hesdra scriptum, adornatum & explicatum, quem tunc legerunt. Quod autem in hoc libro Deuteronomii multa per parenthesim ad pleniorē explicationē inferantur, duo de hac re

exempla ostendimus, cum sententiam Aben Hez-
ræ explicaremus; cujas notæ plura alia reperiuntur, ut Exem. Gr. in Cap. II. 12. & in Sebir
habitaverunt Horite antea, filii autem Hesjan eos expelle-
tani & & fūc conspectu deleverunt, & locis eorum habita-
vēram, sicuti Israël fecit in terra sua hereditatis quam
Deus ipfi dix. Explicat scilicet vers. 3. & 4. ejus-
dem Cap. nempe quod montem Sebir, qui filius
Hesjan hereditate venerat, ipsi eum non inhabita-
tum occupaverunt, sed quod ipsum invaserunt,
& Horitas, qui ipsum prius inhabitabant, inde,
sicuti Israëlitæ post mortem Mosis Kenahanitas,
deturbaverunt & deleverunt. Per parenthesim
etiam inseruntur verbis Mosis x. 6. 7. 8. & 9.
nemo enim non videt quod vers. 8. qui incipit in
tempore separavit Deus tribam Levi, necessario
debeat referri ad vers. 5. non autem ad mortem
Aharonis, quam nulla alia de causa Hezras hic
inseruisse videtur, quam quia Moses in hac narra-
tione vituli, quem populus adoraverat, dixerat
(vide Cap. ix. 20.) se Deum pro Aharon oravisse.
Explicat deinde quod Deus eo tempore, de
quo Moses hic loquitur, tribum Levi sibi elegit, ut
causam electionis & cur Levitæ in partem her-
editatis non fuerint vocati, ostenderet, & hoc fa-
cto pergit verbis Mosis filium historiæ persequi.
His adde libri præfationem & omnia loca quæ de
Mose in tertia persona loquuntur: & præter hæc
alia multa, quæ jam à nobis dignosci nequeunt,
sine dubio, ut facilius ab hominibus sui ævi per-
cipierentur, addidit, vel aliis verbis expressit:
Si, inquam ipsum Mosis librum legis haberemus,
non dubito, quin tam in verbis, quam in ordine,
& rationi-

& rationibus præceptorum magnam discrepan-
am reperiremus. Dum enim solum Decalogum
hujus libri cum Decalogo Exodi (ubi ejus historia
ex professo narratur) conservo, etum ab hoc in his
omnibus discrepare video: quartum enim præcep-
tum non tantum alio modo imperatur, sed insuper
multo prolixius extenditur; ejus autem ratio ab
ea, quæ in Decalogo Exodi adseritur, toto cælo
discrepat. Denique ordo, quo hic decimum præ-
ceptum explicatur, etiam aliis est, quam in Exo-
do. Hac igitur cum hic, tum in aliis locis, ut
jam dixi ab Hezra facta existim, quia is legem
Dei hominibus sui temporis explicuit; atque pro-
inde hunc esse Librum Legis Dei ab ipso ornata &
explicata: & hunc librum omnium, quos ipsius
scriptisse dixi, primum fuisse puto; quod hanc
conscio, quia Leges Patriæ continet, quibus
populus maxime indiget: & etiam quia hic liber
antecedenti nulla coniunctione, ut reliqui omnes,
annoeditur, sed solita oratione incipit, *Hoc sunt
verba Mosis &c.* At postquam hunc absolvit & popu-
lum leges edocuit, tum studium adhibuisse tre-
do ad integrum historiam Hebrææ nationis de-
scribendam, à mundo scilicet condito usque ad
suamiam Urbis vastationem; cui hunc Librum
Deuteronomii suo loco inseruit; & forte ejus pri-
mos quinque libros nomine Mosis vocavit, quia
in iis præcipue ejus vita continetur & nomen à por-
tiore sumpsit: Et hac etiam de causa sextum nor-
mum Iosuæ; septimum Judicum; octavum Ruth;
nonum & forte etiam decimum Samuëlis; & de-
nique undecimum & duodecimum Regum appel-
layit. An vero Hezras huic operi ultimam ma-
num

nun imposuerint, idque, ut desiderabat, perfecserit, de eo vide sequens Caput.

C A P U T . I X .

*De iisdem Libris alia inquiruntur, nempe an Hesdras
iis ultimam manum imposuerit: & deinde utrum
notae marginales, que in Hebreis codicibus
repertientur, varia fuerint lectio[n]es.*

Quantum superior disquisitio de vero horum librorum Scriptore juvet ad eorumdem perfectam intelligentiam facile colligitur ex solis ipsis locis, quæ ad nostram de hac re sententiam confirmandam attulimus, quæque absque ea unicuique deberent obscurissima vider. Verum præter Scriptorem alia animadvertenda in ipsis libris super sunt, quæ communis superstitionis vulgus deprehendere non sinit. Horum præcipuum est, quod Hesdras (cum pro Scriptore prædictorum librorum habebo, donec aliquis alium certiore ostenderet) narrationibus in hisce libris contentis ultimam manum non impo-
suit, nec aliud fecit, quam historias ex diversis scrip-
toribus colligere, & quandoque non nisi simpli-
citer describere, atque eas nondum examinatas ne-
que ordinatas posteris reliquit. Quæ autem cause
impediverint (nisi fortè intempestiva mors) quo
minus hoc opus omniaibus suis numeris adimpleret,
nequeo conjicere. At re ipsa quamvis antiquis
Hebreorum historicis destituti sumus, ex paucis-
simis tamen eorum fragmentis, quæ habemus, evi-
dentiissime constat. Nam historia Hiskiæ ex lib. 2.
Regum xviii. 17. ex relatione Esaiæ prout ipsa
reperita

reperta est scripta, in Chronicis Regum Judæ de-
scripta est: hanc namque totam in libro Esaiae; qui in
Chronicis Regum Judæ continebatur (videlicet libr. 2.
Paralip. xxxi i. vers. penult.) iisdem, quibus hic,
verbis narratam legimus, exceptis tantum paucissi-
mis, ex quibus tamen nihil aliud concludi potest,
quam quod hujus Esaiae narrationis variæ lectiones
repertæ fuerint, nisi quis mallet in his etiam my-
steria somniare, Deinde etiam capitulū ultimum hu-
jus libri in Jeremiæ cap. ultimo. 39. & 40. conti-
netur. Præterea 2. Samuel cap. vii. in libr. 1.
Paralip. cap. xvi i. descriptum reperimus: at verba
variis in locis adeo mirifice mutatae deprehendun-
tur, ut facilissime dignoscatur, hæc duo capita ex
duobus diversis exemplaribus historiæ Natanis
desumpta esse. Denique Genealogia Regum Iude-
mæ, quæ habetur Gen. xxxvii ex vers. 30. iisdem
etiam verbis in libr. 2. Paralip. i. deducitur, cum
tamen hujus libri authorem ea, quæ narrat, ex aliis
historicis sumisse constat, non vero ex his duodeci-
mib[us] libris, quos Hezra tribuit. Quare non
dubium est, quin si ipsos haberemus historicos,
res ipsa directè constaret: sed quia iisdem, ut dixi,
destituti sumus, id nobis tantum restat, ut ipsas hi-
storias examinemus; nempe eatum ordinem &
connexionem, variam repetitionem, & denique
in annorum computatione discrepantiā, ut de
reliquis judicare possimus. Eas itaque vel saltandi
principias perpendamus; & primit illam Judæ &
Tamar, quam Genes. xxxviii. historicus sic
narrare incipit. Contigit autem in illo tempore, ut Iu-
dæus à suis fratribus discederet. Quod tempus necessario
referendum est ad aliud de quoq[ue] immediate loquu-
lus

tus est: at ad id, de quo in Gen. immediate agitur, minime referri potest. Ab eo enim, nempe à quo Josephus in Ægyptum ductus fuit, usque quo Jacobus Patriarcha cum tota familia eò etiam profectus est, non plus, quam viginti duos annos numerare possumus; nam Josephus cum à fratribus venderetur, septendecim annos natus erat, & cum à Pharaohone è carceribus vocari juberetur, triginta: quibus si addantur septem anni fertilitatis & duo famis, conficiunt simul viginti duos annos. Atqui hoc temporis intervallo nemo concipere poterit tot res contingere potuisse. Nempe quod Iuda tres libros ex unica uxore, quam tum duxit, unum post alium procreaverit, quorum major natu, ubi per ætatem licuit, Tamar in uxorem duxit, sed vero mortuò secundus eam in matrimonium recepit, qui etiam obiit, & quod dudum postquam hæc acta sunt, ipse Judas cum ipsa nuru Tamar ignarus rem habuerit, ex qua iterum duos, uno tamen partu, liberos accepit, quorum etiam unus intra predictum tempus factus est parens. Cum igitur hæc omnia non possunt referri ad illud tempus de quo in Genesi, referendum necessario est ad aliud de quo immediate in alio libro agebatur; ac proinde Hergas hanc etiam historiam simpliciter descripsit, eamque nondum examinatam reliquis inseruit. At non tantum hoc caput, sed totam Josephi & Jacobi historiam ex diversis historicis decerpitam & descriptam esse necessario fatendum est, aduo patrum sibi constare videmus. Gen. enim x i v i . narrat quod Iahacob cum primum Pharaohen ducento Josepho salutavit, annos 130. na-

fus erat, à quibus si auferantur viginti duo, quos propter Iosephi absentiam in mætore transegit, & præterea septemdecim ætatis Iosephi cum vendetur, & denique septem, quos propter Rachælem servivit, reperietur ipsum profectissime ætatis fuisse, octoginta scilicet & quatuor annorum cum Leam in uxorem duceret, & contra Dinam vix septem fuisse annorum, cuius à Sechimo visa passa est, Simeon autem & Levi vix duodecim & undecim, cum totam illam civitatem deprædati sunt, ejusque oranes cives gladio conficerent. Nec hic opus habeo omnia Pentateuchi recensere, si quis modo ad hoc attenderit, quod in hisce quinque libris omnia præcepta scilicet & historiæ promiscue sine ordine narrantur, neque ratio temporum habeatur, & quod una eademque historia sæpe, & aliquando diversum node repetatur, facile dignoscet hæc omnia promiscue collecta, & coacervata fuisse, ut postea facilius examinarentur, & in ordinem redigerentur. At non tantum hæc quæ in quinque libris, sed etiam reliquæ historiæ usque ad vastationem urbis, quæ in reliquis septem libris continentur, eodem modo collectæ sunt. Quis enim non videt, in Judicum cap. II. ex vers. 6. novum historicum adferri (qui res à Josua gestas etiam scripsérat) ejusque verba simpliciter describi. Nam postquam historicus noster in ult. cap. Josuæ narravit, quod ipse mortem obierit, quodque sepultus fuerit & in primo hujus libri narrare ea promiserit quæ post ejusdem mortem contigerunt. qua ratione, si filium suæ historiæ sequi volebat, potuisset superioribus annexere, quæ hic de ipso Josua narrare incipit. Sic etiam

Etiam i Samuelis capita xxii. xviii. &c ex aliis
historico desumpta sunt, qui aliam causam sentibat
fuisse, cur David aulam Saulis frequentare incep-
tit, longe diversam ab illa, quæ in cap. xvi. li-
bre eiusdem narratur: non enim sensit quod David
ex consilio servorum à Saulo vocatus ipsum adiit
(ut in cap. xvi. narratur.) sed quod casu à patre
ad fratres in castra missus Saulo ex occasione victo-
riæ, quam contra Philistæum Goliat habuit, tur-
demum induit, & in aula detentus fuit. Idem de
cap. xxvi. eiusdem libri suspicor, quod nimurum
historicus eandem ibi historiam; quæ cap. xxiv.
habetur, secundum opinionem alterius narrare
videatur. Sed hoc ita sum facio, & ad annorum
computationem examinandom pergo libri i. Re-
gum cap. vi. dicitur, quod Salmon templum ædi-
ficavit anno 480. ab Ægypti exitu, at ex historiis
ipsis longe majorem numerum concludimus. Nam

Annos

Moses populum in desertis gubernavit	—	—	40
Josuæ qui centum & decem annos vixit non plus tribuuntur ex Josephi & aliorum sen- tentia quam	—	—	25
Kusari Rishgataita populum in ditione tenuit	—	—	8
Hotniel filius Kenaz judicavit	—	—	40
Heglon Rex Moabi imperium in populum te- nuit	—	—	18
Ehud & Samgar eundem judicaverunt	—	—	80
Jachin Rex Kanahani populum iterum in di- tione tenuit	—	—	20
Quiievit postea populus	—	—	40
Fuit deinde in ditione Midiani	—	—	7

Tempore

Tempore Gideboni	transegit in libertate	48
Sub imperio autem Abimelechi		3
Tola filius Puæ judicavit		23
Jair autem		22
Populus iterum in ditione Philistæorum & Ha- monitarum fuit		18
Ieptah judicavit		6
Abzati Betlehemitæ		7
Elon Sebulonita		10
Habdan Pirhatonita		8
Populus fuit iterum in ditione Philistæ- orum		40
Samson judicavit		20
Heli autem		40
Fuit iterum populus in ditione Philistæorum antequam à Samièle liberaretur		20
David regnavit		40
Salomon antequam templum ædificavit		4
		—

Atque hi omnes additi numerum confi-
ciunt annorum — 580.

Quibus deinde addendi sunt anni illius sæculi
quo post mortem Iosuæ Respublica Hebræorum
fioruit, donec à Kusam Rishgataim subacta fuit,
quorum numerum magnum fuisse credo, non
enim mihi persuadere possum, quod statim post
mortem Iosuæ omnes, qui ejus portenta vide-
rant, uno momento perierunt, nec quod eorum
successores actu & ictu legibus valedixerunt, &
ex summa virtute in summam nequitiam &
socordiam lapsi sunt, nec denique quod Kusam

Rishgataim eos dictum factum subegit. Sed cum horum singula ætatem fere requirant, non dubium est quin Scriptura cap. 11. 7. 9. 10. libri Judicum historias multorum annorum comprehendenterit, quas silentio transmisit. Sunt præterea addenda anni quibus Samuël fuit Judex, quorum etiam numerus in Scriptura non habetur. Sunt deinde addendi anni Regni Saulis, quos in superiore computatione omisi, quia ex ejus historia non sat satis constat, quot annos regnaverit; dicitur quidem 1. Samuélis xiiii. 1. eundem duos annos regnavisse, sed & ille textus truncatus est, & ex ipsa historia majorem numerum colligimus, Quod textus truncatus sit, nemo qui Hebræam lingua vel à primo limine salutavit, dubitare potest.

בָּנֶה שָׁאֵל בְּמַלְכֹו שָׁתִי annum natus erat Saul cum Regnaret & duos annos regnavit supra Israëlem. Quis, inquam, non videt numerum annorum ætatis Saulis cum regnum adeptus esset, omissum esse? At quod ex ipsa historia major numerus concluditur, credo neminem etiam dubitare. Nam ejusdem libri xxvii. 7. habetur, quod David apud Philistæos, ad quos propter Saulum confugit, moratus fuit unum annum & quatuor menses: quare ex hac computatione reliqua spatio octo mensium contingere debuerunt, quod neminem credere existimo. Josephus faltem in fine libri sexti antiquitarum textum sic correxit. *Regnavit itaque Saul Samuèle vivente annos decem & octo, moriente autem alios duos.* Quia tota hæc historia cap. xiiii. nullo modo cum antecedentibus convenit. In fine cap. viii. narratur quod

quod Philistæi ab Hebræis ita debellati fuerunt, ut non fuerint ausi vivente Samuële terminos Israëlis ingredi; at hic, quod Hebræi (vivente Samuële) à Philistæis invaduntur, à quibus ad tantam misericordiam & paupertatem redacti fuerant, ut armis, quibus se defendere possent, destituerentur, & insuper mediis eadem conficiendi. Sudarem sane satis, si omnes has historias, quæ in hoc primo libro Samuëlis habentur, ita conarer conciliare, ut omnes ab uno historicō descriptæ & ordinatæ viderentur. Sed ad meum propositum revertor. Anni itaque regni Saulis superiori computationi sunt addendi. Denique annos anarchiæ Hebræorum etiam non numeravi, quia non constant ex ipsa Scriptura. Non, inquam, mihi constat tempus, quo illa contigerint, quæ ex cap. xvi. usque ad finem libri Judicium narrantur. Ex his itaque clarissime sequitur, veram annorum computacionem neque ex ipsis historiis constare, neque ipsas historias in una eademque convenire, sed valde diversas supponere. Ac proinde fatendum has historias ex diversis scriptoribus collectas esse, nec adhuc ordinatas neque examinatas fuisse. Nec minor videtur fuisse circa annorum computationem discrepantia in libris Chronicorum Regum Judæ & libris Chronicorum Regum Israëlis. In Chronicis enim Regum Israëlis habebatur, quod Jehoram filius Aghabi regnare incepit anno secundo regni Jehoram filii Jehosaphat (vide libri 2. Regum I. 17.) At in Chronicis Regum Judæ, quod Jehoram filius Jehosaphat regnare incepit anno quinto regni Jehoram filii Aghabi (vide vxi. 16. ejusdem libri) Et si quis præterea historias

libri Paralip. conferre velit cum historiis librorum Regum, plures similes discrepancies inveniet, quas hic non opus habeo recensere, & multo minus authorum commenta, quibus has historias conciliare conantur. Rabini namque plane delirant. Commentatores autem, quos legi, somniant, fingunt & linguam denique ipsam plane corrumpunt. Exempli Gratia cum in libr. 2. Paralipp. dicitur annos quadraginta duos natus erat Aghazia cum regnaret: fingunt quidam hos annos initium capere à regno Homri, non autem à nativitate Aghaziae: quod si possent ostendere intentum authoris librorum Paralip. hoc fuisse, non dubitaverim affirmare, eundem loqui nescivisse. Et ad hunc modum plura alia fingunt, quæ si vera essent, absolute dicerem antiquos Hebreos & linguam suam, & narrandi ordinem plane ignoravisse, nec ullam rationem neque normam Scripturas interpretandi agnoscerem, sed ad libitum omnia fingere liceret. Si quis tamen putat, me hic nimis generaliter nec satis cum fundamento loqui, ipsum rogo, ut hoc agat, & nobis ostendat certum aliquem ordinem in hisce historiis, quem historici in Chronologicis sine peccato imitari possent, & dum historias interpretatur & conciliare conatur, phrases & modos loquendi, & orationes disponendi, & contexendi adeo strictè observer, atque ita explicet, ut eos secundum suam explicationem in scribendo imitari etiam possumus: quod si præstiterit, manus ipsi statim dabo & erit mihi magnus Apollo; nam fateor, quamvis diu quæsiverim, me nihil tamen unquam simile invenire potuisse: Quin addo me nihil hic

bis scribere, quod dudum & diu meditatum non habuerim, & quanquam à pueritia opinionibus de Scriptura communibus imbutus fuerim, non tamen potui tandem hæc non admittere. Sed non est cur circa hæc lectorem diu detineam & ad rem desperatam provocem, opus tamen fuit rem ipsam proponere, ut meam mentem clarius explicarem: ad reliqua igitur, quæ circa fortunam horum librorum notanda suscepi, pergo. Nam venit præterea, quæ modo ostendimus, notandum, quod hi libri ea diligentia à Posteris servati non fuerint, ut nullæ mendæ irrepserint; plures enim dubias lectiones animadverterunt antiquiores Scribz, & præterea aliquot loca truncata, non tamen omnia; an autem mendæ talis notæ sint, ut lectori magnam moram injiciant, de eo jam non disputo; credo tamen eas levioris esse momenti, iis saltem qui Scripturas liberiore judicio legunt, & hoc certò affirmare possum, me nullam animadvertisse mendam, nec lectionum varietatem circa moralia documenta, quæ ipsa obscura aut dubia reddere possent. At plerique nec in reliquis aliquod vitium incidisse concedunt, sed statuunt Deum singulari quadam providentia omnia in Biblia incorrupta servasse: varias autem lectiones signa profundissimorum mysteriorum esse dicunt, idem de asterismis qui in medio paragrapho 28 habentur, contendunt, imo in ipsis apicibus literarum magna arcana contineri. Quod sane an ex stultitia & anili devotione, an autem ex arrogantia & malitia, ut Dei arcana soli haberentur, hæc dixerint, nescio, hoc saltem scio, me nihil quod arcanum redoleat, sed tantum pueriles

rites cogitationes apud istos legisse. Legi etiam ad insuper novi nugatores aliquos Kabbalistas, quorum insaniam nunquam mirari satis potui. Qued autem mendax, ut diximus, irreperirent, neminem sani judicii dubitare credo, qui textum illum Sauli (quam jam ex Libri 1. Samuēlis x 1. 1. 1, allegavimus) legit & etiam 2. Samuēl vi. 2, nempe & surrexit & iris David & omnis populus, qui ipsi aderat, ex Iuda, ut inde auferrent arcam Dei. Nemo hic etiam non videre potest locum, quo iherant, nempe Kirjat Jehasim, unde arcam auferrent, esse omissum: nec etiam negare possumus, quod 2. Samuēlis x 1. 3. 37. perturbatus & truncatus sit, scilicet. *Et Absalom fugit iusque ad Ptolomeum filium Hamihud Regem Gesur, & luxur filium suum omnibus diebus,* & Absalom fugit iusque Gesur mansuete ibi tres annos. Et ad hunc modum scio me antehac alia notavisse, quae impræsentiarum non occurunt. Quod autem notæ marginales, quæ in Hebræis Codicibus passim inveniuntur, dubiæ fuerint lectiones, nemo etiam dubitare potest, qui attendit, quod pleræque ex magna literarum Hebraicarum similitudine inter se ortæ sint. Nempe ex similitudine quam habet כ Kaf cum ב Bet 'Jod cum ו Vau. ד Dalet cum ר Res &c. E. G. ubi lib. 2. Sam. v. vers. penult. scribitur & in eo (tempore) quo audios habetur in margine: ב שמעה cum audies & Jud. xx 1. 22. ו ה'ה כ י באו אכחות או אחיהם לרוב & quando eorum patres vel frates in multitidine (h. c. sæpe) ad nos venerint &c. habetur in margine ל ר ב ad litigandum. Et ad hunc modum permulta deinde etiam ortæ sunt ex usu literarum, quas Quiescentes vocant

caet, quarum nimirum pronunciatio sepiissime nulla sentitur, & promicuè una pro alia sumitur. Ex. Gr. Levit. xxv. 27. scribitur וְקַמְתָ הַבִּירֵת וְאִשְׁר בַּעֲדָר אֲשֶׁר לֹא חָזֶה qua est in civitate cui non est murus, in margine autem habetur לֹא חָזֶה אֲשֶׁר cui est murus &c. At quamvis hæc per se satis clara sint, liber rationibus quotundam Phariseorum respondere, quibus persuadere conantur notas marginales ad aliquod mysterium significandi ab ipsis librorum sacrorum Scriptoribus appositas vel indicatas fuisse. Harum primam, quæ quidem me parum tangit, sumunt ex usu legendi Scripturas: si, inquit, hæ notæ appositiæ sunt propter lectionum varietatem, quas posteri decidere non potuerunt, cur ergo usus invalluit, ut sensus marginalis ubique retineatur? cur, inquit, sensum, quem retinere volebant, in margine notaverunt? debuerant contra ipsa volumina scribere, prout legi volebant, non autem sensum & lectionem, quam maxime probabant, in margine notare. Secunda vero ratio & quæ aliquam speciem præ se ferre videtur, ex ipsa rei natura sumitur. Nempe quod mendæ non datâ operâ, sed casu in Codices irrepererunt, & quod ita sit, varie contingit. At in quinque libris semper nomen נָשָׂא pueræ, uno tantum excepto loco, defectivum contra regulam Grammatices sine litera נ he scribitur, in margine verò rectè secundum regulam Grammatices universalem. An hoc etiam ex eo, quod manus in describendo erravit, contigerit? quo fato id fieri potuit, ut calamus semper, quotiescumque hoc nomen occurrerit, festinaret? deinde hunc defectum facile & sine scrupulo

pulo ex regulis Grammatices supplere & emendare potuissent. Igitur cum hæc lectiones casu non contigerint, nec tam clara vitia correxerint, hinc concludunt, hæc certo consilio à primis Scriptoribus facta fuisse, ut iis aliquid significarent. Verum his facile respondere possumus, nam quod ex usu, qui apud eos invaluit, argumentantur, nihil moror, nescio quid superstitione suadere potuit, & forte inde factum est, quia utramque lectionem, æque bonam seu tolerabilem aestimabant, ideoque, ne earum aliqua negligeretur, unam scribendam & aliam legendam voluerunt. Timebant scilicet in re tanta judicium determinare, ne inoerti falsam pro vera eligerent, ideoque neutrum alterutri præponere voluerunt, quod absolute fecissent, si unam solam scribere & legere jussissent. Præsertim cum in sacris voluminibus notæ marginales non scribantur: vel forte inde factum est, quia quædam, quamvis recte descripta, aliter tamen legi, prout scilicet in margine notaverant, volebant. Ideoque universaliter instituerunt, ut Biblia secundum notas marginales legerentur. Quæ causa autem Scribas moverit, quædam expresse legenda in margine notare, jam dicam, nam non omnes marginales notæ dubiæ sunt lectiones, sed etiam quæ ab usu remota erant notaverunt. Nempe verba obsoleta, & quæ probati illius temporis mores non sinebant in publica concione legi. Nam antiqui Scriptores malitiâ privati, nullis auctoribus ambagibus, sed res propriis suis nominibus indicabant. At postquam malitia & luxus regnavit, illa quæ sine obscenitate ab antiquis dicta sunt,

sunt, in obscenis haberi incepérunt. Hac autem de causa Scripturam ipsam mutare non erat opus, attamen ut plebis imbecillitati subvenirent, introduxerunt, ut nomina coitus & excrementorum honestius in publico legerentur, videlicet sicuti ipsa in margine notaverunt. Denique quicquid fuerit, cur usū factum fuerit, ut Scripturas secundum marginales lectiones legant, & interpretentur, id saltem non fuit, quod vera interpretatio secundum ipsas debet fieri. Nam præterquam quod ipsi Rabbini in Talmud saepè à Masoretis recedunt, & alias habebant lectiones, quas probabant, ut mox ostendam, quædam insuper in margine reperiuntur, quæ minus secundum usum linguae probata videntur. Ex Gr. in libri 2 Samuel

אשר עשה המלך את דבר עבורי quia Rex effecit secundum sententiam sui servi, quæ constructio planè regularis est & convenit cum illa ejusdem Cap. 16. at quæ in margine habentur (servi tui) non convenit cum persona verbi. Sic etiam ejusdem libri vers. ult. cap. XVI. scribitur **באשר ישאל ברבר האלוהים ut cum consultat,** (id est consultatur) *verbū Dei.* Ubi in margine additur **איש quis** pro verbi nominativo. Quod non satis accurate factum videtur, nam communis hujus lingue usus est, verba impersonalia in tertia persona singularis verbi activi usurpare, ut Grammaticis notissimum. Et ad hunc modū plures inveniuntur note, quæ nullo modo scriptæ lectioni præponi possunt. Quod autem ad secundā rationem Pharisæorum attinet, ei etiam ex modò dictis facile responderetur. Nempe quod Scribe præter dubias lectiones

verba etiam obsoleta notaverunt: Nam non dubium est, quin in lingua Hebræa, sicuti in reliquis, multa obsoleta & antiquata posterior usus fecerit, & reperta fuerint ab ultimis Scribis in Bibliis, quæ uti diximus, omnia notaverunt, ut coram populo secundum tum receptum usum legerentur. Hac sigitur de causa nomen יְהוָה *nahgar* ubique notatum reperitur, quia antiquitus communis erat generis, & idem significabat, quod apud Latinos *Juvenis*. Sic etiam Hebræorum metropolis vocari apud antiquos solebat מִרְשָׁלָם *Ierusalēm*, non autem מִרְשָׁלָיֶם *Ierusalaim*: de pronomine אֵלֵי ipse, & ipsa idem sentio, quod scilicet recentiores וְיַהֲוָה in יְהֹוָה mutaverunt, (quæ mutatio in Hebræa lingua frequens est) cum genus fæmininum significare volebant; ac quod antiqui non, nisi vocalibus hujus pronominis fæmininum à masculino solebant distinguero. Sic præterea quorundam verborum anomalia alia apud priores alia apud posteros fuit, & denique antiqui literis paragogicis נְאַמְנָתָן singulare sui temporis elegantia utebantur. Quæ omnia hic multis exemplis illustrare possem, sed nolo tædiosa lectione lectorem detinere. At si quis roget, unde hæc noverim? Respondeo, quia ipsa apud antiquissimos Scriptores, nempe in Bibliis sæpe reperi, nec tamen eos posteri imitari voluerunt, quæ unica est causa, unde in reliquis linguis, quamvis jam etiam mortuis, tamen verba obsoleta noscuntur. Sed forte adhuc aliquis instabit, cum ego maximam haruni notarum partem dubias esse lectiones statuerim, cur nunquam unius loci plures, quam duæ lectiones repertæ sint? cur ali-

aliquando non tres vel plures? Deinde quod quædam in Scriptis adeo manifestè Grammaticæ repugnant, quæ in margine rectè notantur, ut minime credendum sit scribas harere potuisse & utra esset vera dubitare. Sed ad hæc etiam facile respondetur, & quidem ad primum dico, plures fuisse lectiones, quam quas in nostris codicibus notatas reperimus. In Talmude enim plures notantur, quæ à Masoretis negligentes sunt, & tam apertè multis in locis ab iisdem recedunt, ut superstitiosus ille corrector Bibliorum Bombergianorum tandem coactus fuerit fateri, in sua præstatione, se eos reconciliare nescire **ולא ידועה לתרוצץ אלא**

בדתרכזנא לעיל דארחה רגנרא לפלוני על
ונא הפסורת, inquit, *bis nescimus respondere, nisi* *quod supra respondamus, nempe, quod usus Talmudic* *est Masoretis contradicere.* Quare non satis cum fundamento statuere possumus, unius loci non plures quam duas lectiones unquam fuisse. Attamen facile concedo, imò credo unius loci nunquam plures, quam duas lectiones repertas fuisse, idque ob duas rationes; nempe I. quia causa, unde harum lectionum varietatem ortam esse ostendimus, non plures quam duas concedere potest: ostendimus enim eas potissimum ex similitudine quarumdam literarum ortas fuisse. Quare dubium ferè semper hoc tandem redibat, videlicet ultra ex duabus literis esset scribenda ב Bet an ק Kaf, י Jod an ו Vau. נ Dalet an ר Res, &c. quarum usus frequentissimus est; & ideo saepè contingere poterat, ut utraque sensum tolerabilem pareret. Deinde utrum syllaba longa aut brevis esset, quarum quantitas

iis literis, quas Quiescentes vocavimus, determinatur. His adde quod non omnes notæ dubiæ sunt lectiones, multas enim appositas esse diximus honestatis causa, & etiam ut verba obsoleta & antiquata explicarent. II. Ratio, cur mihi persuadeo, unius loci non plures, quam duas lectiones reperiri, est, quia credo Scribas pauca admodum exemplaria reperisse, forte non plura, quam duo vel tria. In tractatu Scribatum ק'ג'ו cap. vi. non nisi de tribus sit mentio, quæ fingunt tempore Hezra inventa fuisse, quia venditantes notæ ab ipso Hezra appositas fuisse. Quicquid sit, si tria habuerunt facile concipere possumus, duo semper in eodem loco convenisse, quin imo unusquisque mirari sane potuisset, si in tribus tantum exemplaribus tres diversæ unius ejusdemque loci lectiones reperirentur. Quo autem fato factum est, ut post Hezram tanta exemplarium penuria fuerit, is mirari desinet, qui vel solum libri 1. Machabæorum cap. 1. legerit, vel libri 12. Antiquit. Josephi. cap. viii. Imo prodigio simile videtur, quod post tantam tamque diuturnam persecutionem pauca illa retinere potuerint; de quo neminem dubitare opinor, qui illam historiam mediocri cum attentione legerit. Causas itaque videmus, cur nullibi plures quam duæ dubiæ lectiones occurrunt. Quapropter longe abest, ut ex eo, quod non plures duabus ubique dentur, concludi possit, Biblia in locis notatis data opera perperam scripta fuisse ad significanda mysteria. Quod autem ad secundam attinet, quod quædam reperiuntur adeo perperam scripta, ut nullo modo dubitare potuerint, quin omnium temporum scribendi

bendi usui repugnarent, quæque adeo absolute corrigere, non autem in margine notare debuerant, me parum tangit, neque enim scire teneor, quæ religio ipsos moverit, ut id non facerent. Et forte idex animi sinceritate fecerunt, quod posteris Biblia, ut ut ab ipsis in paucis originalibus inventa fuerint, tradere voluerunt, atque originalium discrepantias notare, non quidem ut dubias, sed ut varias lectiones; nec ego easdem dubias vocavi, nisi quia revera fere omnes tales reperio, ut minimè sciam, quænam præ alia sit probanda. Denique præter dubias has lectiones notaverunt insuper Scribæ (vacuum spatum in mediis paragraphis interponendo) plura loca truncata, quorum numerum Masoretæ tradunt; numerant scilicet viginti octo loca, ubi in medio paragrapho spacium vacuum interponitur, nescio an etiam in numero aliquod mysterium latere credunt. Spatiū autem certam quantitatē religiose obseruant Pharisei. Horum exemplum (ut unum adferam) habetur in Genes. iv. 8. qui sic scribitur: *Et dixit Kain Habeli fratri suo . . . & contigit, dum erant in campo, ut Kain, &c.* ubi spatum relinquitur vacuum, ubi scire expectabamus, quid id fuerit, quod Kain fratri dixerat. Et ad hunc modum (præter illa quæ jam notavimus) à Scribis relicta viginti octo reperiuntur. Quorum tamen multa non apparerent truncata, nisi spaciam interjectum esset. Sed de his satis.

C A P U T X:

Reliquis Veteris Testamenti Libri eodem modo quo superiori res examinantur.

TRANSITO ad reliquos Veteris Testamenti libros. At de duobus Paralipomenon nihil certi & quod opera pretium sit notandum habeo, nisi quod dudum post Hez-
tam, & forte postquam judas Machabeus templum restauravit, scripti fuerunt. Nam cap. ix. libri I., narrat Historicus, quanam familiā primum (tempore scilicet Hezræ) Hierosolima habieaverint. & deinde vers. 17. Iasitores, quorum duo etiam in Nethem. xi. 19. narrantur, indicat. Quod ostendit hos libros dudum post urbis reædificationem scriptos fuisse. Cætetum de vero eorundem Scripto-
re, deque eorum authoritate, utilitate & doctrina nihil mihi constat. Imo non fatis mirari possum, cur inter sacros recepti fuerint ab iis, qui librum sapientiæ, Tobiae & reliquos, qui apocryphi dicuntur, ex canone sacerorum deleverunt: inten-
tum tamen non est eorum authoritatē elevare, sed quandoquidem ab omnibus sunt recepti, eos etiam ut ut sunt relinquere. Psalmi collecti etiam fuerunt & in quinque libros dispartiti in secundo templo; nam Psal. LXXXVIII. ex Philonis judæi testimonio editus fuit, dum Rex Iehoachin Babi-
loniæ in carcere detentus adhuc erat, & Ps. LXXXIX. cum idem Rex libertatem adeptus est; nec credo quod Philo hoc unquam dixisset, nisi vel sui tem-
poris

poris recepta opinio fuisset, vel ab aliis fide dignis accepisset. Proverbia Salomonis eodem etiam tempore collecta fuisse credo, vel ad minimum tempore Josiae Regis, idque quia Cap. xxiv. vers. ult. dicitur. *Hac etiam sunt Salomonis Proverbia, que transfluerunt viri Hiskiae Regis Iude.* At hic tacere nequeo Rabinorum audaciam, qui hunc librum cum Ecclesiaste ex canone Sacrorum exclusos volebant, & cum reliquis, quos jam desideramus, custodire. Quod absolute fecissent nisi quedam reperissent loca, ubi lex Mosis commendatur. Dolendum sane quod res sacrae & optimae ab horum electione de- penderint. Ipfis tamen gratulor, quod hos etiam nobis communicare voluerunt, verum non possum non dubitare, minime eos bona cum fide tradiderint, quod hic ad severum examen revocare nolo. Pergo igitur ad libros Prophetarum. Cum ad hos atten- do, video Prophetias quae in iis continentur, ex aliis libris collectas fuisse, neque in hisce eodem ordine semper describi, quo ab ipsis Prophetis dictas vel scriptae fuerunt, neque etiam omnes contineri, sed eas tantum, quas hinc illinc invenire potuerunt: quare hi libri non nisi fragmenta Prophetarum sunt. Nam Esaias regnante Huzia prophetare in- cepit, ut descriptor ipse primo versu testatur. At non tantum tum temporis prophetavit, sed insuper omnes res ab hoc Rege gestas descripsit (vide 2. Paral. xxvi. 22.) quem librum jam desideramus. Quae autem habemus ex Chronicis Regum Judæ, & Is- raelis descripta esse ostendimus. His adde quod Rabini statuunt hunc Prophetam etiam regnante Manasse, à quo tandem peremptus est, prophetavisse, & quamvis fabulam narrare videantur, viden- tur

tur tamen credidisse omnes ejus Prophetias non extare. Jeremiæ deinde Prophetæ, quæ historice narrantur, ex variis Chronologis decerpctæ & collectæ sunt. Nam præterquam quod perturbate accumulentur nullâ temporum ratione habitâ, eadem insuper historia diversis modis repetitur. Nam cap. xxii. causam apprehensionis Jeremiæ exponit, quod scilicet urbis vastationem Zedechiæ ipsum consulenti prædixerit, & hac historia interrupta transit cap. xxii. ad ejus in Jehoachimum, qui ante Zedechiam regnavit, declamationem narrandum, & quod Regis captivitatem prædixerit, & deinde cap. xxv. ea describit, quæ ante hæc, anno scilicet quarto Jehojakimi, Prophetæ revelata sunt. Deinde quæ anno primo hujus Regis, & sic porro, nullo temporum ordine servato, prophetias accumulare pergit, donec tandem cap. xxxvii. (quasi hæc xv. capita per parenthesin dicta essent) ad id quod cap. xxii. narrare incepit, revertitur. Nam conjunctio, qua illud caput incipit ad vers. 9. & 10. hujus refertur; atque tum longe aliter ultimam Jeremiæ apprehensionem describit, & causam diuturnæ ejus detentionis in atrio custodiæ longe aliam tradit, quam quæ in cap. xxxvii. narratur. Ur clare videoas hæc omnia ex diversis historicis esse collecta, nec ulla alia ratione excusari posse. At reliquæ Prophetæ, quæ in reliquis capitibus continentur, ubi Jeremias in prima persona loquitur, ex volumine, quod Baruch, ipso Jeremia dictante, scripsit, descriptæ videntur: Id enim (ut ex cap. xxxvi. vers. 2. constat) ea tantum continebat, quæ huic Prophetæ revelata fuerant à tempore Josè usque ad annum quartum Jehojakimi; à quo etiam tempore hic

hic liber incipit. Deinde ex eodem volumine etiam
 descripta videntur, quæ habentur ex xl. 2. usque
 ad l. 59. Quod autem Ezechielis liber fragmen-
 tum etiam tantum sit, id primi ejus versus claris-
 sime indicant; quis enim non videt coniunctio-
 nem, qua liber incipit, ad alia jam dicta referri, &
 cum iis dicenda connecteret? at non tantum con-
 junctio, sed totus etiam orationis contextus alia
 scripta supponit: annus enim trigesimus, à quo hic
 liber incipit, ostendit Prophetam in narrando per-
 gere; non autem incipere, quod etiam Scriptor
 ipse per Parenthesin vers. 3. sic notat; fuerat saepe
 verbum Dei Ezechieli filio Buzi sacerdoti in terra Chaldaeo-
 rum &c. quasi diceret, verba Ezechieli, quæ hoc us-
 que descripserat, ad alia referri, quæ ipsi ante hunc
 annum trigesimum revelata erant. Deinde Jose-
 phus lib. 10. Antiq. cap. ix. narrat Ezechiëlem præ-
 dixisse, quod Tzedechias Babiloniam non videret,
 quod in nostro quem ejus habemus libro, non legi-
 tur, sed contra scilicet Cap. xv 1. quod Babiloniam
 captus duceretur. De Hosea non certo dicere pos-
 sumus, quod plura scripsit, quam quæ in libro,
 qui ejus dicitur, continentur. Attamen miror nos
 ejus plura non habere, qui ex testimonio Scriptoris
 plus quam octoginta quatuor annos prophetavit.
 Hoc saltem in genere scimus, horum librorum
 Scriptores neque omnium Prophetarum, neque ho-
 rum, quos habemus, omnes prophetias collegisse:
 Nam eorum Prophetarum qui regnante Manasse
 prophetaverunt, & de quibus in libr. 2. Paral.
 xxxiiii 10. 18. 19. In genere fit mentio, nullas plane
 prophetias habemus; nec etiam omnes horum duo-
 decim Prophetarum. Nam Jonæ non nisi Proph-
 etia

tiæ de Ninivitis describuntur, cum tamen etiam Israëli prophetaverit, qua de re vide Libr: 2., Regum cap. xiv. 25.

De Libro Jobi, & de ipso Jobo multa inter Scriptores fuit controversia. Quidam putant Mo-sen eundem scripsisse, & totam historiam non nisi parabolam esse; quod quidam Rabinorum in Talmude tradunt, quibus Maimonides etiam sa-vet in suo libro More Nebuchim. Alii historiam veram esse crediderunt, quorum quidam sunt, qui putaverunt hunc Jobum tempore Jacobi vixisse, ejusque filiam Dinam in uxorem duxisse. At Aben Hezra, ut jam supra dixi, in suis commentariis su-pa hunc librum affirmat eum ex alia lingua in Heb-ræam fuisse translatum; quod quidem vellem ut nobis evidentius ostendisset, nam inde possemus concludere gentiles etiam libros sacros habuisse. Rem itaque in dubio relinquo, hoc tamen conjicio; Jobum gentilem aliquem fuisse virum, & animi constantissimi, cui primo res prosperæ, deinde ad-versissimæ, & tandem felicissimæ fuerunt. Nam Ezechiël cap. xiv. 12. eum inter alios nominat: at-que hanc Jobi variam fortunam, & animi constan-tiam multis occasionem dedisse credo de Dei pro-yidentia disputandi, vel saltem authori hujus libri Dialogum componendi: nam quæ in eo continen-tur, ut etiam stylus, non viri inter cineres miserè ægrotantis, sed otiose in musæo meditantis viden-tur: Et hic cum Aben Hezra crederem hunc li-brum ex alia lingua translatum fuisse, quia Gentilium poësin affectare videtur; Deorum namq; Pater-bis conciliū convocat, & Momus, qui hic Satan vo-catur, Dei dicta summa cum libertate carpit &c. sed

sed hæc meræ conjecturæ sunt, nec satis firmæ. Transeo ad Daniëlis libr, hic sine dubio ex c. viii, ipsius Daniëlis scripta continet. Undeqnām autem priora septem capita descripta fuerint, nescio. ossumus suspicari, quandoquidem præter primum Chaldaicè scripta sunt, ex Chaldæorum Chronologiis. Quod si clarè constaret, luculentissimum esset testimonium, unde evinceretur, Scripturam eanunus tantum esse sacram, quatenus per ipsam intelligimus res in eadem significatas, at non quatenus verba linguam & orationes, quibus res significantur, intelligimus: & præterea libros, qui res optimas docent & narrant, quacunque demum lingua, & à quacunque natione scripti fuerint æquè sacros esse. Hoc tamen notare saltem possumus, hæc capita Chaldaicè scripta esse, & nihilominus æquè sacra esse, ac reliqua Bibliorum. Huic autem Daniëlis libro primus Hezræ ita annexitur, ut facile dignoscatur eundem Scriptorem esse, qui res Iudæorum à prima captivitate successive narrare pergit; atque huic non dubito annexi Librum Ester; Nam conjunctio, qua is liber incipit, ad nullum alium referri potest: nec credendum est, eum eundem esse, quem Mardochæus scripsit. Nam cap. ix. 20, 21, 22. narrat alter de ipso Mardochæo, quod Epistolas scriperit, & quid illæ continuenterint: deinde vers. 31. ejusdem cap. quod regina Ester edicto firmaverit res ad fellum Sôrtium (Purim) pertinentes, & quod scriptum fuerit in libro, hoc est (ut Hebraice sonat) in libro omnibus tum temporis (quo hæc scilicet scripta sunt) noto: atque hunc fatetur Aben Hezra, & omnes fateri tenentur, cum aliis periisse Denique reliqua Mardochæi

dochæi refert Historicus ad Chronica Regum Persarum. Quare non dubitandum est , quin hic liber ab eodem Historico , qui res Daniëlis & Hezræ narravit, etiam scriptus fuerit ; & insuper etiam liber Nehemiæ, quia Hezræ secundus dicitur. Quatuor igitur hos libros, nempe Daniëlis , Hezræ , Esteris & Nehemiæ ab uno eodemque Historico scriptos esse affirmamus: quisnam autem is fuerit, nec suspicari quidem possum. Ut autem sciamus undenam ipse, quisquis tandem fuerit, notitiam harum historiarum acceperit , & forte etiam maximam earum partem descripti serit , notandum quod præfecti, sive principes Judæorum in secundo templo, ut eorum Reges in primo, sribas sive historiographos habuerunt , qui annales sive eorum Chronologiam successivè scribebant: Chronologiæ enim Regum sive annales in libris Regum passim citantur: at Principum & sacerdotum secundi templi citantur primò in libr. Nehemiæ xii. 23. deinde in lib. i. Mach. xvii. 24. Et sine dubio hic ille est liber (vide Est. ix. 31.) de quo modò locuti sumus, ubi edictum Esteris , & illa Mardochæi scripta erant, quèmque cum Aben Hezra periisse diximus. Ex hoc igitur libro omnia, quæ in hisce continentur, desumpta vel descripta videntur , nullus enim alias ab eorum Scriptore citatur, neque ullum alium publicæ authoritatis novimus. Quod autem hi libri nec ab Hezra, nec à Nehemia scripti fuerint, patet ex eo, quod Nehem. xii. 9, 10. producitur genealogia summi pontificis Jesuæ usque ad Jadauah , sextum scilicet pontificem , & qui Alexandro Magno , jam fere Persarum imperio subacto , obviam ivit (vide Josephi Ant. lib. ii. c. viii.) vel ut Philo

Judeus in libro temporum ait, sextum & ultimum sub Persis pontificem. Imo in eodem hoc Nehemias .Cap. vers. scilicet 22. hoc ipsum clare indicatur. *Lexitur*, inquit Historicus , *temporis Eljasibi, Iojadae, Ionatanis & Iaduha* * *supra regnum Darii Persae scripti sunt*, nempe in Chronologiis: atque neminem existimare credo , quod Hezras aut Nehemias adeo longævi fuerint , ut quatuordecim Reges Persarum super-vixerint ; nam Cyrus omnium primus Judæis ve-niam largitus est templum reædificandi , & ab eo tempore usque ad Darium decimumquartum , & ultimum Persarum Regem ultra 230 anni numerantur. Quare non dubito , quin hi libri , dudum postquam judas Machabæus templi cultum restau-ravit , scripti fuerint , idque quia tum temporis falsi Daniëlis, Hezræ & Esteris libri edebantur à male-volis quibusdam , qui sine dubio Sectæ Zaducæorum erant ; nam Pharizæi nunquam illos libros , quod sciam receperunt. Et quamvis in libro , qui Hezræ quartus dicitur , fabulæ quædam repetian-tur , quas etiam in Talmude legimus , non tamen ideo Phariseis sunt tribuendi , nam , si stupidissimos demas , nullus eorum est , qui non credit , illas fabu-las ab aliquo nugatore adjectas fuisse ; quod etiam credo aliquos fecisse , ut eorum traditiones omni-bus ridendas præberent. Vel fortè ea de causa tum temporis descripti atque editi sunt , ut populo ostendерent , Daniëlis Prophetias adimpletas esse , atque eum hac ratione in religione confirmarent , ne de melioribus & futura salute in tantis calamitatibus desperaret. Verum enim vero quamvis hi libri adeo recentes & novi sint , multæ tamen mendæ ex

festinatione, nō fallor, describentium in eisdem irrepserunt. In hisce enim ut in reliquis, notæ marginales, de quibus in præcedenti Cap. egimus, plures etiam reperiuntur, & præterea etiam loca quædam, quæ nulla alia ratione excusari possunt, ut jam ostendam: sed prius circa horum marginales lectiones notari volo, quod si Pharisæis concedendum, eas æque antiquas esse, ac ipsos horum librorum Scriptores, tum necessario dicendum erit Scriptores ipsos, si fortè plures fuerunt, eas ea de causa notavisse, quia ipsas Chronologias, unde eas descripserunt, non satis accurate scriptas invenierunt; & quamvis quædam mendæ claræ essent, non tamen ausos fuisse antiquorum & majorum scripta emendare. Nec opus jam habeo, ut de his prolixius hic iteruni agam. Transeo igitur ad eas indicandum quæ in margine non notantur. Atque I. nescio quot dicam irrepsisse in Cap. 11. Hezræ: nam vers. 64. traditur summa totalis eorum omnium, qui distributive in toto capite numerantur, atque ijdem dicuntur simul fuisse 42360. & tamen si summas partiales addas, non plures inveneries, quam 29818. Error igitur hic est vel in totali, vel in partialibus summis. At totalis credenda videtur rectè tradi, quia sine dubio eam unusquisque memoriter retinuit, ut rem memorabilem: Partiales autem non item. Adeoque si error in totalem summam laberetur, statim unicuique pataret, & facile corrigeretur. Atque hoc ex eo planè confirmatur, quod in Nehem. cap. vii. ubi hoc caput Hezræ (quod Epistola genealogiæ vocatur) describitur, sicuti expresse ejusdem cap. Nehem. vers. 5. dicitur, summa totalis cum hac libri Hezræ

planè

planè convenit, partiales autem valde discrepant: quasdam enim majores, quasdam porro minores, quam in Hezra reperies, easque omnes simul confidere 3 1089. quare non dubium est, quin in solas summas partiales tam libri Hezræ quam Nehemiacæ plures mendæ irrepererint. Commentatorum autem, qui has evidentes contradictiones reconciliare conantur, unusquisque pro viribus sui ingenii, quicquid potest, fingit & interea, dum scilicet literas & verba Scripturæ adorant, nihil aliud faciunt, ut jam supra monuimus, quam Bibliorum Scriptores contemtui exponere, adeo ut viderentur nesciisse loqui, neque res dicendas ordinare: Imo nihil aliud faciunt, quam Scripturæ perspicuitatem planè obscurare: nam si ubique liceret Scripturas ad eorum modum interpretari, nulla esset sane oratio, de cuius vero sensu non possemus dubitare. Sed non est cur circa hæc diu detinear: mihi enim persuadeo, quod si aliquis historicus ea omnia imitari vellet, quæ ipsi Scriptoribus Bibliorum devotè concedunt, eum ipsi multis modis irridèrent. Et si putant eum blasphemum esse, qui Scripturam alicubi mendoSAM esse dicit, quæso quo nomine tum ipsoS appellabo, qui Scripturis quicquid lubet, affingunt? qui Sacros Historicos ita prostituunt, ut balbutire, & omnia confundere credantur? qui denique sensus Scripturæ perspicuos & evidentissimos negant? quid enim in Scriptura clarius, quam quod Hezras cum sociis in Epistola Genealogiæ, in cap. II. libri qui ejus dicitur, descripta, numerum eorum omnium, qui Hierosolymam profecti sunt, per partes comprehenderit, quandoquidem in iis, non tantum eorum numerus

rus traditur, qui suam Genealogiam, sed etiam eorum, qui eam non potuerunt indicare. Quid, inquam, clarius ex Nehemias viii. 5. quam quod ipse hanc eandem Epistolam simpliciter descripscerit? Si igitur, qui haec aliter explicant, nihil aliud faciunt, quam verum Scripturæ sensum & consequenter Scripturam ipsam negare, quod autem putant primum esse, una loca Scripturæ aliis accommodare, ridicula sane pietas, quod loca clara obscuris, & reata mendosiss accommodent, & sana putridis corruptant. Absit tamen ut eos blasphemos appellem, qui nullum animum maledicendi habent; nam errare humanum quidem est. Sed ad propositum revertor. Præter mendas quæ in summis Epistolæ Genealogiæ tam Hezrae quam Nehemias sunt concedendæ, plures etiam notantur in ipsis nominibus familiarium, plures insuper in ipsis Genealogiis, in historiis, & vereor ne etiam in ipsis prophetiis. Nam sane Prophetia Jeremias xxi. 1. de Jechonia nullo modo cum ejus historia (vide finem libri 2. Regum, & Jerem. & libr. i. Paral. 111. 17. 18. 19.) convenire videtur, & præcipue verba versus ultimi illius capituli, nec etiam video quatione de Tsidchia, cuius oculi, simulac filios necare vidit, effossi sunt, dicere potuit pacifice morieris &c. (vide Jeremias xxxiv. 5.). Si ex eventu Prophetiæ interpretandæ sunt, haec nomina mutanda essent, & pro Tsidchia Jeconias, & contra pro hoc ille sumendus videretur: Sed hoc nimis paradoxum, adeoque rem ut imperceptibilem relinquere malo, præcipue quia si hic quis est error, is Historico, non vitio exemplarium tribuendus est. Quod ad reliquos attinet, quos dixi, eos

hic

hic notare non puto, quandoquidem id non sine
magno lectoris tædio efficere possim; præsertim
quia ab aliis jam animadverfa sunt. Nam R. Se-
lomo ob manifestissimas contradictiones, quas in
erlati genealogiis observavit, coactus est in hæc
verba erumpere, nempe (vide ejus commentaria
in lib. I. Paralip. VIII.) quod Hezras (quem libros
Paralip. scrupulose putat) filios Benjamini alii nomi-
nibus appellat, ejusque genealogiam aliter, quam eam ha-
bemus in libr. Genesios diducit, & quod denique maximum
partem civitatum Levitarum aliter, quam Iosua, indi-
cat, inde evenit, quod discrepancy originalia invenit;
& paulo infra quod Genealogia Gibeonis & aliorum bis
& varie describitur, quia Hezras plures & varias unius-
eiusque Genealogie Epistolas invenit, & in his describen-
dis maximum numerum exemplarium secutus est, at quan-
do numerus discrepantium Genealogorum equalis erat,
tum utrorumque exemplaria descriptis, atque hoc mo-
do absolute concedit hos libros ex originalibus
non satis correctis nec satis certis descriptos fuisse;
In eo commentatores ipsi sæpius, dum loca con-
ciliare student, nihil plus agunt quam errorum
causas indicare; denique neminem sani judicium
credere existimo, quod Sacri Historici consulto
ita scribere voluerint, ut sibi passim contradicere
viderentur. At forte aliquis dicet, me hac ra-
tione Scripturam plane evertere, nam hac ratio-
ne eam ubique mendosam esse suspicari omnes pos-
sunt: Sed ego contra ostendi, me hac ratione
Scripturaræ consulere ne ejus loca clara, & pura
mendosis accommodentur, & corrumpantur: nec
quia quædam loca corrupta sunt, ideo de om-
nibus suspicari licet; nullus enim liber un-

quam sine mendis repertus est, an quæso ea de causa ubique mendoſos aliquis unquam ſuſpicatus eſt? nemo ſane: präſertim quando oratio eſt perſpicua, & mens authoris clare percipitur. His ea quæ cītca historiam Librorum Veteris Testamenti notare volueram abſolvi. Ex quibus facile colligimus ante tempus Machabæorum nullum canonem Sacrorum Librorum fuiffe, ſed hosquos jam habemus à Pharifæis ſecundi templi, qui etiam for- mulas precandi iſtituerunt, präe multis aliis ſelec- tōs eſſe, & ex ſolo eorum decreto receptos. Qui itaque authoritatem Sacrae Scripturæ demon- strare volunt, ii authoritatē uniuscujuſque libri offendere tenentur, nec ſufficit divinitatem unius probare ad eandem de omnibus concludendam: alias ſtatuendum concilium Phrifæorum in hac ele- ctione librorum errare non potuiffe, quod nemo unquam demonstrabit. Ratio autem quæ me cogit ſtatuere, ſolos Pharifæos libros Veteris Testamen- ti elegiſſe, & in canonem Sacrorum poſuiffe, eſt, quia in libro Daniēlis Cap. ultimo vers. 2. resur- rectio mortuorum prädictiſt, quam Tſaducæi negabant: deinde quia ipſi Pharifæi in Talmude hoc clarè indicant. Nempe Tractatus Sabbathi Cap. 2. fol. 30. pag. 2. dicitur אמר רבי יהודה אמר קהילת יהודיה דרב בקשׁו חכמים לגנו ספר קהילת מפני שדרבו טהראין רבי תורה ומפני מה לא גנוזהו מפני שתחילה רבי תורה וסוף רבי תורה dixit R. Iehuda nomine Rabi quæſiverunt periti abſcondere librum Eccleſiaſtiſ, quia ejus verba verbi legis (NB. libro legis Moſis) repugnant. Cur autem iſpum non abſconderum? quia ſecundum legem incipit & ſecun- dum

ואף ספר משלו, dum legem definit. Et Paulo infra בקשו לננו
& etiam librum Proverbiorum quasiverunt abscondere &c. & denique ejusdem Tractatus Cap.
 ז. fol. 13. pag. 2. ברכם זכור אורא האיש לטוב נחוניה בן חזקיה שמו שאלמלא הוא לנו ספר
יוזקאל מפני שהוא דבריו סותרין דברי תורה profecto illum virum benignitatis causa nomina, cui nomen Neghunja filius Hiskia; nam ni ipse fuisset, absconditus fuisset liber Ezechiel, quia ejus verba verbis legis repugnabant &c. Ex quibus clarissime sequitur, legis peritos concilium adhibuisse, quales libri ut sacri essent recipiendi, & quales excludendi. Qui igitur de omnium authoritate certus esse vult, consilium de integro ineat, & rationem cujusque exigat. Jam autem tempus esset libros etiam Novi Testamenti eodem modo examinare. Sed quia id à Viris cum scientiarum, tunc maxime linguarum peritissimis factum esse audio & etiam quia tam exactam linguæ Græcæ cognitionem non habeo, ut hanc provinciam suscipere audeam, & denique quia librorum, qui Hebræa lingua scripti fuerunt, exemplaribus destituimur, ideo huic negotio supercedere malo. Attamen ea notare puto, quæ ad meum institutum maxime faciunt, de quibus in sequentibus.

C A P U T X I.

*Inquiritur an Apostoli suas tanquam Apostoli
& Prophetæ; an vero tanquam Doctores scripserint.
Deinde Apostolorum officium ostenditur.*

Nemo qui novum Testamentum legit, dubitare potest Apostolos Prophetas fuisse. Verum quia Prophetæ non semper ex revelatione loquebantur, sed contra admodum raro, ut in fine Cap. i. ostendimus, dubitare possumus num Apostoli tanquam Prophetæ ex revelatione & expresso mandato ut Moses, Jeremias & alii, an vero tanquam privati, vel doctores Epistolas scripserint; præsertim quia in I. Epist. ad Corinh. xiv. 6. Paulus duo prædicandi genera indicat, ex revelatione unum, ex cognitione alterum, atque ideo, inquam, dubitandum, an in Epistolis prophetent, an vero doceant. Verum si ad earum stylum attendere volumus, eum à stylo prophetæ alienissimum inveniemus. Nam Prophetis usitatissimum erat, ubique testari, se ex Dei edicto loqui; nempe sic dicit Deus, *אָתָּה אֱלֹהִים*, *edictum Dei &c.* atque hoc non tantum videtur locum habuisse in publicis Prophetarum concionibus, sed etiam in Epistolis, quæ revelationes continebant, ut ex illa Eliæ Jehoram scripta patet (vide libr. 2. Paral. xxii. 12.) quæ etiam incipit כִּי אָמַר יְהוָה sic dicit Deus. At in Epistolis Apostolorum nihil simile legimus, sed contra in I. ad Corinh. vii. 40. Paulus secundum suam sententiam loquitur, *Imo perplurimi*

mis in locis animi ambigui & perplexi modi loquendi ocurrunt, ut (Epist. ad Rom. i i i. 28.) *arbitramur igitur, & (v i i i. 18.) arbitror enim ego*, & ad hunc modum plura. Præter hæc alii inveniuntur modi loquetidi, ab authoritate prophetica plane remoti. Nempe, *hoc autem dico ego, tanquam infirmus, non autem ex mandato* (vide I. Epist. ad Corinth. v i i. 6.) *confilsum do tanquam vir, quia Dei gratia fidelis est.* (vide ejusdem cap. vi i. 25) & sic alia multa, & notandum quod cum in prædicto cap. ait, se præceptum Dei vel mandatum habere vel non habere, non intelligit præceptum vel mandatum sibi à Deo revelatum, sed tantum Christi documenta, quæ discipulos in monte docuit. Prætereat si ad modum etiam attendamus, quo in his Epistolis Apostoli doctrinam Evangelicā tradunt, eum etiam à modo Prophetarum valde discedere videbimus. Apostoli namque ubique ratiocinantur, ita ut non prophetare, sed disputare videantur. Prophetiæ verò contrà mera tantum dogmata & decreta continent; quia in iis Deus quasi loquens introducit, qui non ratiocinatur, sed ex absoluto suæ naturæ imperio decernit. Et etiam quia Prophetæ authoritas ratiocinari non patitur; quisquis enim vult sua dogmata ratione confirmare, eō ipso ea arbitrali uniuscujusque judicio submittit. Quod etiam Paulus, quia ratiocinatur, fecisse videtur, qui in i. Epist. ad Corinth. x. 15. ait, *tanquam sapientibus loquor, judicare vos id quod dico.* Et denique quia Prophetæ res revelatas non ex virtute luminis naturalis, hoc est, non ratiocinando percipiebant, ut in Cap. i. ostendimus. Et quamvis in quinque libris etiam quædam per illationem con-

cludi videantur, si quis tamen ad ea attenderit, eadem nullo modo tanquam peremtoria argumenta sumi posse videbit. Ex. Gr. cum Moses Deut. xxxi. 27. Israëlitis dixit, *si dum ego vobis cum vixi, rebelles fuistis contra Deum, multo magis postquam mortuus ero.* Nullo modo intelligendum est, quod Moses ratione convincere vult Israëlitas post ejus mortem à vero Dei cultu necessario deflexuros, argumentum enim falsum esset, quod etiam ex ipsa Scriptura ostendi posset: nam Israëlitæ constanter perseverarunt vivente Josua, & Sénibus, & postea etiam vivente Samuële, Davide, Salomon &c. Quare verba illa Mosis moralis locutionum sunt, qua rhetorice & prout futurum populi defectionem vividius imaginari potuerat, prædictit: Ratio autem cur non dico Mosen ex se ipso, ut populo suam prædictionem verisimilem faceret, & non tanquam Prophetam ex revelatione hæc dixisse, est, quia vers. 21. ejusdem cap. narratur Deum hoc ipsum Mosi aliis verbis revelavisse, quem sane non opus erat, verisimilibus rationibus certiorem de hac Dei prædictione & decreto reddere, at necesse erat, ipsam in ipsius imaginatione vivide representari, ut in cap. i. ostendimus, quod nullo meliori modo fieri poterat, quam præsentem populi contumaciam, quam saepe expertus fuerat, tanquam futuram imaginando. Et ad hunc modum omnia argumenta Mosis, quæ in quinque libris reperiuntur, intelligenda sunt; quod scilicet non sunt ex scriniis rationis desumpta, sed tantum dicendi modi, quibus Dei decreta efficacius exprimebat, & vivide imaginabatur. Nolo tamen absolute negare Prophetas

ex

ex revelatione argumentari potuisse, sed hoc tantum affirmo, quo Prophetæ magis legitime argumentantur, eò eorum cognitio, quam rei revelatæ habent, ad naturalem magis accedit, atque ex hoc maxime dignosci Prophetas cognitionem supra naturalem habere, quod scilicet pura dogmata, sive decreta, sive sententias loquuntur; & ideo sumnum Prophetam Mosen nullum legitimum argumentum fecisse; & contra longas Pauli dœductiones & argumentationes, quales in Epist. ad Romanos reperiuntur, nullo modo ex revelatione supranaturali scriptas fuisse concedo. Itaque tam modi loquendi, quam differendi Apostolorum in Epistolis clarissime indicant easdem non ex revelatione, & divino mandato, sed tantum ex ipsorum naturali iudicio scriptas fuisse, & nihil continere præter fraternalis monitiones mixtas urbanitate (à qua sanè prophetica authoritas planè abhorret) qualis est illa Pauli excusatio in Epist. ad Rom. x v. 15. *Paulo audacius scripsi vobis fratres.* Possimus præterea hoc ipsum ex eo concludere, quod nullibi legimus, quod Apostoli jussi sint scribere, sed tantum prædicare quocunque irent, & dicta signis confirmare. Nam eorum præsentia, & signa absolute requirebantur ad gentes ad religionem convertendas, easque in eadem confirmandas, ut ipse Paulus in Epist. ad Rom. i. 11. expresse indicat, *quia valde*, inquit, *desidero ut videam vos, ut impetrari vobis donum Spiritus ut confirmemini.* At hīc objici posset quod eodem modo possemus concludere Apostolos nec etiam tanquam Prophetas prædicavisse: nam cum huc aut illuc prædicatum ibant, id non ex expresso mandato

dato, sicuti olim Prophetæ, faciebant. Legimus in Veteri Testamento quod Jonas Niniven prædicatum ivit, ac simul quod eò expresse missus est, & quod ei revelatum fuerit id, quod ibi prædicare debebat. Sic etiam de Mose prolixè narratur, quod in Ægyptum tanquam Dei legatus profectus est, & simul quid populo Israëlitico & Regi Pharaohi dicere, & quænani signa ad fidem faciendam coram ipsis facere tenebatur. Esaias, Jeremias, Ezechiel expresse jubentur Israëlitis prædicare. Et denique nihil Prophetæ prædicaverunt, quod Scriptura non testetur eos id à Deo accepisse. At de Apostolis nihil simile, cum huc, aut illuc ibant prædicatum in novo Testamento, nisi admodum raro legimus. Sed contra quædam reperiemus quæ expresse indicant, Apostolos ex proprio consilio loca ad prædicandum elegisse: ut contentio illa ad dissidium usque, Pauli & Barnabæ, de qua vide Act. xv. 17. 18. &c. Et quod sæpè etiam frustra aliquo ire tentaverint, ut idem Paulus in Epist. ad Rom. i. 13. testatur, nempe *bis temporibus multis volui venire ad vos & prohibitus sum.* & xv. 22. *propter hoc impeditus sum temporibus multis, quominus venirem ad vos.* Et Cap. denique ult. i. Epist. ad Corinth. 12. *De Apollo autem fratre meo multum petii ab eo, ut proficisceretur ad vos cum fratribus, & omnino nulla erat ei voluntas, ut veniret ad vos; cum autem ei erit opportunitas &c.* Quare tam ex his modis loquendi, & contentione Apostolorum, quam ex eo quod nec, cum ad prædicandum aliquo irent, testetur Scriptura, sicut de antiquis Prophetis, quod ex Dei mandato iverant, concludere debueram, Apostolos

- **Apostolos tanquam doctores, & non tanquam Prophetas etiam prædicavisse.** Verum hanc quæstionem facile solvemus, modo attendamus ad differentiam vocationis Apostolorum & Prophetarum Veteris Testamenti. Nam hi non vocati sunt ut omnibus nationibus prædicarent & prophetarent, sed quibusdam tantum peculiaribus, & propterea expressum & singulare mandatum ad unanquamque requirebant. At Apostoli vocati sunt, ut omnibus absoltite prædicarent, omnesque ad religionem converterent. Quocunque igitur ibant Christi mandatum exequabantur, nec ipsis optis erat, ut, antequam irent, res prædicandæ iisdem revelarentur; discipulis scilicet Christi, quibus ipse dixerat, quum autem tradiderint vos ne suu solliciti quomodo aut quid loquamini, dabitur enim robur in illa hora, quid loquemini &c. (vide Marth. x. 19, 20.) Concludimus itaque Apostolos ea tantrum: ex singulari revelatione habuisse, quæ viva voce prædicaverunt, & simul signis confirmaverunt (vide quæ in initio 2. Cap. ostendimus) quæ autem simpliciter nullis adhibitis, tanquam testibus, signis, scripto vel viya voce docuerunt, ea ex cognitione (naturali scilicet) locuti sunt, vel scripserunt, quæ de re vide 2. Epist. ad Corinthi. x. v. 6. Nec hic nobis moram iniciit, quod omnes Epistolas exordiantur ab Apostolatus approbatione, nam Apostolis, ut vox ostendatur non tantum virtus ad Prophetandum, sed etiam authoritas ad docendum concessa est. Et hac ratione concedimus eos tanquam Apostolos suas Epistolas scripsisse, & hac de causa exordium

dium à sui apostolatus approbatione unumquemque sumfisse: vel forte, ut animum lectoris facilius sibi conciliarent, & ad attentionem exciterent, voluerunt ante omnia testari, se illos esse, qui omnibus fidelibus ex suis prædicationibus innotuerant, & qui tum claris testimoniis ostenderant, se veram docere religionem & salutis viam. Nam quæcunque ego in hisce Epistolis dici video de Apostolorum vocatione, & Spiritu Sancto & Divino quem habebant, ad eorum, quas habuerant, prædicationes referri video, iistantum locis exceptis, in quibus Spiritus Dei, & Spiritus Sanctus pro mente sana, beata & Deo dicata, &c. (De quibus in primo Cap. diximus) sumitur. Ex. Gr. in r. Epist. ad Corinth. cap. vii l. 40. ait Paulus, beata autem est si ita maneat secundum sententiam meam, puto autem etiam ego, quod Spiritus Dei sit in me. Ubi per Spiritum Dei ipsam suam mentem intelligit, ut ipse orationis contextus indicat: hoc enim vult, viduam, quæ secundo non vult nubere marito, beatam judico secundum meam sententiam, qui cælebs vivere decrevi, & me beatum puto. Et ad hunc modum alia reperiuntur, quæ hic adferre supervacaneum judico. Cum itaque statuenda sit Epistolas Apostolorum à solo lumine naturali dictatas fuisse, videndum iam est, quomodo Apostoli ex sola naturali cognitione, res, quæ sub eandem non cadunt, docere poterant. Verum si ad illa, quæ circa Scripturæ interpretationem cap. vii l. hujus Tractatus diximus, attendamus, nulla hic nobis erit difficultas: Nam quamvis ea, quæ in Bibliis continetur, ut plurimum nostrum captum superent, possumus tamen secure de iisdem differere.

fere, modo nulla alia principia admissamus, quam
 ea, quæ ex ipsa Scriptura petuntur; atque hoc eodem
 etiam modo Apostoli ex rebus, quas vide-
 rant, quasque audiverant & quas denique ex reve-
 latione habuerant, multa concludere, & elicere,
 eaque homines si hibitum iis esset, docere poterant.
 Deinde quamvis religio, prout ab Apostolis prædi-
 cabatur, semper simplicem Christi historiam nar-
 rando, sub rationem non cadat, ejus tamen sum-
 manam, quæ potissimum documentis moralibus con-
 stat, ut tota Christi doctrina, potest unusquisque lu-
 mine naturali facile assequi. Denique Apostoli
 non indigebant lumine supernaturali ad religio-
 nem, quam antea signis confirmaverant, commu-
 nis hominum captivi ita acommodandam, ut facile
 ab unoquoque ex animo acciperetur; neque etiam
 eodem indigebant ad homines de eadem mone-
 dos; atque hic finis Epistolarum est, homines
 scilicet eā vitā docere & monere, quam unusquis-
 que Apostolorum optimam judicavit ad eosdem in
 religione confirmandos: & hic notandum id,
 quod paulo ante diximus, nempe, quod Apostoli
 non tantum virtutem acceperant ad historiam
 Christi tanquam Prophetæ prædicandam, eandem
 scilicet signis confirmingando, sed præterea etiam au-
 thoritatem docendi & monendi ea via, quam unus-
 quisque optimam esse judicaret; quod utrumque
 donum Paulus ^{z.} in Epist. ad Timoth. cap. I. II.
 clare his indicat in quo ego constitutus sum preco &
 Apostolus & doctor gentium. Et in I. ad eund. cap. I I. 7.
 cuius constitutus sum ego preco & Apostolus (verita-
 tem dico per Christum, non mentior) doctor gentium cum
 fide NB. ac veritate. His, inquam, clare utramque

approbationem nempe apostolatus & doctoratus
indicat; at authoritatem monendi quemcunque
& quandocumque voluerit in Epist. ad Philem.
vers. 8. his significat *quamvis multam in Christo liber-*
tatem habeam præcipiens tibi, quod convenit, tamen &c.
Vbi notandum, quod si ea, quæ Philemoni præ-
cipere oportebat, Paulus ut Propheta à Deo ac-
ceperat, & tanquam Propheta præcipere debe-
bat, tum profecto ipſi non licuisset Dei præceptum
in preces mutare. Quare necessario intelligendum
eum loqui de libertate monendi, quæ ipſi tau-
quam doctori, & non tanquam Prophetæ erat.
Attamen nondum satis clare sequitur, Apostolos
viam docendi, quam unusquisque meliorem ju-
dicasset, eligere potuisse, sed tantum eos ex offi-
cio Apostolatus non solum Prophetas, sed etiam
Doctores fuisse, nisi rationem in auxilium vo-
care velimus, quæ plane docet eum, qui autho-
ritatem docendi habet, habere etiam authorita-
tem eligendi, quam velit viam. Sed satius erit
rem omnem ex sola Scriptura demonstrare: Ex
ipſa enim clare constat, unumquemque Aposto-
lorum singularem viam elegisse; nempe ex his
verbis Pauli Epist. ad Rom. xv. 20. *Solicite curans,*
ut prædicarem non ubi invocatum erat nomen Christi, ne
adificarem supra alienum fundamentum. Sane si omnes
eandem docendi viam habebant & omnes supra
idem fundamentum Christianam religionem ædi-
ficaverant, nulla ratione Paulus alterius Apostoli
fundamenta aliena vocare poterat, utpote quæ
& ipsius eadem erant: Sed quandoquidem ipſa
aliena vocat necessario concludendum, unum-
quemque religionem diverso fundamento super-
ædifi-

ædificasse, & Apostolis in suo doctoratu idem contigisse quod reliquis doctoribus, qui singularē docendi methodum habent, ut semper magis eos docere cupiant, qui plane rudes sunt, & linguas vel scientias; etiam mathematicas, de quarum veritate nemo dubitat, ex nullo alio discere inceperunt. Deinde si ipsas Epistolas aliqua cum attentione percurramus, videbimus Apostolos in ipsa religione quidem convenire, in fundamentis autem admodum discrepare. Nam Paulus ut homines in religione confirmaret, & iis ostenderet salutem à sola Dei gratia pendere; docuit neminem ex operibus sed sola fide gloriari posse, neminemque ex operibus justificari (vide Epist. ad Rom. 11. 27, 28.) & porro totam illam doctrinam de prædestinatione. Jacobus autem contra in sua Epistola hominem ex operibus justificari & non ex fide tantum (vide ejus Epist. 11. 24.) & totam doctrinam religionis, missis omnibus illis Pauli disputationibus, paucis admodum comprehendit. Denique non dubium est, quin ex hoc, quod scilicet Apostoli diversis fundamentis religionem superædificaverint, ortæ sint multæ contentiones & schismata, quibus Ecclesia jam inde ab Apostolorum temporibus indesinenter vexata fuit, & profecto in æternum vexabitur, donec tandem aliquando religio à speculationibus philosophicis separetur & ad paucissima & simplissima dogmata, quæ Christus suos docuit, redigatur: quod Apostolis impossibile fuit, quia Euangeliū ignoratum erat hominibus, adeoque ejus ne doctrinæ novitas eorum aureb multum

læderet; eam, quoad fieri poterat, hominum sui temporis ingenio accommodaverunt, (vide Epist. x. ad Cor. cap. ix. 19, 20. &c.) & fundamentis tum temporis maxime notis, & acceptis superstruxerunt: & ideo nemo Apostolorum magis philosophatus est, quam Paulus, qui ad gentibus prædicandum vocatus fuit. Reliqui autem qui Iudeis prædicaverunt, philosophiæ scilicet contemtoribus, eorum etiam ingenio sese accommodaverunt (de hoc vide Epist. ad Galat. cap. II. 11. &c.) & religionem nudam à speculationibus philosophicis docuerunt. Jam autem felix profecto nostra esset ætas, si ipsam etiam ab omni superstitione liberara videremus.

C A P U T XII.

De vero Legis divine syngrapho, & quare ratione Scriptura Sacra vocatur, & quare ratione Verbum Dei. & denique ostenditur ipsam, quatenus Verbum Dei continet, incorruptam ad nos pervenisse.

Qui Biblia, ut ut sunt, tanquam Epistolam Dei, è cælo hominibus missam considerant, clamabunt sine dubio me peccatum in Spiritum Sanctum commisisse, qui scilicet Dei verbum mendosum, truncatum, adulteratum & sibi non constans statuerim, nosque ejus non nisi fragmenta habere, & denique syngraphum pacti Dei, quod cum Iudeis pepigit, periisse. Verum non dubito, si rem ipsam perpendere velint, quin statim clamare desinent; Nam tam ipsa ratio,

satio, quam Prophetarum & Apostolorum sententia aperte clamant Dei æternum verbum & patrem, veramque religionem hominum cordibus, hoc est, humanæ menti divinitus inscriptam esse, eandem verum esse Dei syngraphum, quod ipse suo sigillo, nempe sui idea, tanquam imagine suæ divinitatis confignavit. Primitus Judæis Religio tanquam lex scripto tradita est, nimirum quia tum temporis veluti infantes habebantur. Verum imposterum Moses (Deuter. cap. xxx. 6.) & Jeremias (xxxi. 33.) tempus futurum ipsis prædicant, quo Deus suam legem eorum cordibus inscribet. Adeoque solis Judæis, & præcipue Zaducæis competebat olim pro legè in tabulis scripta pugnare, at iis minime, qui ipsam mentibus inscriptam habent: qui igitur ad hæc attendere velit, nihil in supradictis reperiet, quod Dei verbo sive veræ Religioni, & fidei repugnat, vel quod eam infirmare possit, sed contra nos eandem confirmare, ut etiam circa finem cap. x. ostendimus; & ni hoc esset, plane de his tacere decrevissem, imo libenter concessissimum ad effugiendas omnes difficultates, in Scripturis profundissima latere mysteria: sed quia inde intolerabilis orta est superstitionis, & alia perniciosestia incommoda, de quibus in præfatione cap. vii. locutus sum, his minime supercedendum esse duxi; præsertim quia religio nullis superstitionis ornamentis indiget, sed contra de ipsius splendore admittitur, quando similibus figuris adoratur. At dicent, quamvis lex divina cordibus inscripta sit, Scripturam nihilominus Dei esse verbum, adeoque non magis de Scriptura, quam de Dei Verbo dicere licet, eandem truncatam, & depravatam esse:

esse: Verum ego contra vereor, ne nimis stu-
deant esse sancti & Religionem in superstitionem
convertant, imo ne simulacra & imagines, hoc
est cartam & atramentum pro Dei Verbo adorare
incipiant. Hoc scio, me nihil indignum Scrip-
turâ aut Dei verbo dixisse, qui nihil statuerim,
quod non evidentissimis rationibus verum esse de-
mostrayerim; & hac de causa etiam certo affirma-
re possim, me nihil dixisse quod impium sit, vel
quod impietatem redoleat. Fateor profanos
quosdam homines, quibus religio onus est, ex his
licentiam peccandi sumere posse, & sine ulla ratio-
ne, sed tantum ut voluptati concedant, hinc con-
cludere Scripturam ubique esse mendosam & falsi-
ficatam, & consequenter nullius etiam authorita-
tis. Verum similibus subvenire impossibile est se-
cundum illud tritum, quod nihil adeo recte dici
potest, quin male interpretando possit depravari.
Qui voluptatibus indulgere volunt, facile causam
quamcumque invenire possunt, nec olim ii, qui
ipsa originalia, arcam foederis, imo ipsos Prophetas
& Apostolos habebant, meliores fuerunt, nec
magis obtemperantes, sed omnes tam Judæi,
quam Gentiles iidem semper fuerunt, & in omni
ævo virtus admodum rara fuit. Attamen ut om-
inem amoveam scrupulum, ostendendum hic est
qua ratione Scriptura, & quæcunque res muta sa-
cra & divina dici debeat: deinde quid sit revera
verbum Dei & quod id non contineatur in certo
numero librorum: & denique Scripturam quæcun-
quis ea docet quæ ad obedientiam & salutem ne-
cessaria sunt, non potuisse corrupti. Nam ex
his facile unusquisque Judicare poterit, nos nihil
contra

contra Dei verbum dixisse, nec ullum locum impetrati dedisse.

Id sacrum & divinum vocatur, quod pietati & religioni exercenda destinatum est, & tamdiu tantum sacrum erit, quamdiu homines eo religiose utuntur: quod si prius esse desinat, & id etiam simul facrum esse desinet: at si idem ad res impias patrandas dicent, tum id ipsum quod antea sacrum erat immundum & profanum reddetur. Ex. Gr. locus quidem à Jacobo Patriarcha vocatus fuit בֵּית אֱלֹהִים Dei, quia ibi Deum ei revelatum coluit: sed à Prophetis ille ipse locus vocatus fuit בֵּית אֱלֹהִים iniquitatis (vide Hamos v. 5. & Hoseæ x. 5.) quia Israëlitæ ex instituto Jarobohami ibi idolis sacrificare solebant. Aliud exemplum, quod rem clarissime indicat. Verba ex solo usu certam habent significationem, & si secundum hunc eorum usum ita disponantur, ut homines eadem legentes ad devotionem moveant, tum illa verba sacra erunt, & etiam liber tali verborum dispositione scriptus. Sed si postea usus ita pereat, ut verba nullam habeant significationem, vel quod liber prorsus negligatur, sive ex malitia, sive quia eadem non indigent, tum & verba, & liber nullius usus, neque sanctitatis erunt: denique si eadem verba aliter disponantur, vel quod usus prævaluerit ad eadem in contrariam significationem sumenda, tum & verba & liber, qui antea sacri, impuri & profani erunt. Ex quo sequitur nihil extra mentem absolute, sed tantum respective ad ipsam, sacrum aut profanum aut impurum esse. Quod etiam ex multis Scripturæ locis evidentissime constat. Jeremias (ut unum aut alterum adferam)

Cap. vii. 4. ait Iudeos sui temporis falso vocavisse templum Salomonis, templum Dei: nam, ut ipse in eodem Capite pergit, Dei nomen illi templo tantum inesse poterat, quamdiu ab hominibus, qui ipsum colunt, & justitiam defendunt, frequentatur; quod si ab homicidis, furibus, idololatriis, aliisque nefariis hominibus frequenteretur; tum foveam potius esse transgressorum. Quid de arca foederis factum sit nihil Scriptura narrat, quod sepe miratus sum; hoc tamen certum est, eandem periisse, vel cum templo combustam fuisse, et si nihil magis sacrum, nec majoris reverentiae apud Hebreos fuit. Hac itaque ratione Scriptura etiam tamdiu sancta est; & ejus orationes divinæ, quamdiu homines ad devotionem erga Deum movere: sed si ab iisdem profici negligeretur, ut olim à Iudeis, nihil est præter chartam, & atramentum, & ab iisdem absoluere profanatur, & corruptioni obnoxia relinquitur, ideoque si tum corruptitur, aut perit, falso tum dicitur verbum Dei corruptum, aut perire: sicut etiam tempore Jeremiæ falso dicebatur templum, quod tum temporis templum Dei esset, flammis periisse. Quod ipse Jeremias etiam de ipsa lege ait: Sic namque impios sui temporis increpat אמרה תאמרו חכמים אגננו ותורת סופרים
 יזהה אתנו הלא לשקר עשה עט שקר סופרים
 qua ratione dicitis petiti sumus, & lex Dei nobiscum est,
 Certe frustra adornata fuit; calamus scribarum frustra
 (factus est), hoc est, falso dicitis vos, et si Scriptura penes vos est, legem Dei habere, postquam ipsam irritam fecistis. Sic etiam cum Moses primas tabulas fregit, ille minime verbum Dei pra-

ixā è manib[us] ejecit, atque fregit (nam quis hog de Mose, & verbo Dei suspicari posset) sed tan-
tum lapides, qui quamvis antea sacri essent, quia
iis inscriptum erat fædus, sūb quo Judæi Deo obe-
dire se obligaverant, tamen quia postea vitulum
adorando pactum illud irritum fecerant, nullus
prosperus tum erant sanctitatis; & eadem etiam de
causa secundæ cum arca perire potuerunt. Non
itaque mirum si jam etiam prima originalia Mosis
non extant, neque quod ea, quæ in superioribus
diximus libris, quos habemus, contigerint, quan-
do verum originale foederis divini, & omnium
sanctissimum totaliter perire potuerit. Desinant
ergo nos impietatis accusare, qui nihil contra ver-
bum Dei locti sumus, nec idem contaminavi-
mus, sed iram, si quam justam habere possint, in
antiquos vertant; quorum malitia Dei arcam,
templum, legem, & omnia sacra profanavit, &
corruptioni subjecit. Deinde si secundum illud
Apostoli in 2. Epistol. ad Corinth. 111. 3. Dei
Epistolam in se habent non atramento, sed Dei
Spiritu, neque in tabulis lapideis, sed in tabulis
carneis cordis scriptam, desinant literam adorare
& de eadem adeo esse solliciti. His puto me satis
explicuisse, qua ratione Scriptura Sacra & divina
habenda sit. Videndum jam est, quid propriæ
intelligendum sit per רְכָב' יְהֹוָה debet Iehera
(verbum Dei) רְכָב' dabat quidem significat verbum,
orationem, edictum & rem. Quibus autem de cau-
sis tes aliqua Hebraice dicitur Dei esse, & ad De-
um refertur in Cap. 1. ostendimus; atque ex his fa-
cile intelligitur, quid Scriptura significare velit
per verbum Dei, orationem edictum & rem.

Omnia

Omnia itaque hic reperere non est opus , nec etiam quæ in Cap. vi. de miraculis tertio loco ostendimus . Sufficit rem tantum indicare , ut , quæ de his hic dicere volumus , melius intelligantur . Nempe , quod verbum Dei quando de subiecto aliquo prædicatur , quod non sit ipse Deus , propriæ significat legem illam divinam , de qua in i. y. Cap. egimus : hoc est , religionem toti humano generi universalem , sive catholicam , qua de re vide Esaïæ 2. 10 &c. ubi verum vivendi modum docet , qui scilicet non in cæremoniis , sed in charitate , & vero animo consistit , eumque legem , & verbum Dei promiseue vocat . Sumitur deinde metaphorice pro ipso naturæ ordine , & fato (quia revera ab æterno divinæ naturæ decreto pendet & sequitur) & præcipue pro eo , quod hujus ordinis Prophetæ præviderant , idque quia ipsi res futuras per causas naturales non percipiebant , sed tanquam Dei placita vel decreta . Deinde etiam sumitur pro omni cuiuscunque Prophetæ edicto , quatenus id singulari sua virtute , vel dono prophetico , & non ex communi naturali lumine perceperat , idque potissimum quia revera Deum tanquam legislatorem percipere solebant Prophetæ , ut cap. 4. ostendimus . Tribus itaque his de causis Scriptura verbum Dei appellatur : nempe quia veram docet religionem , cuius Deus æternus est author : deinde quia prædictiones rerum futurarum , tanquam Dei decreta narrat ; & denique quia ii. qui revera fuerunt ejus authores , ut plurimum non ex communi naturali lumine , sed quodam sibi peculiari docuerunt , & Deum eadem loquenti introduxerunt . Et quamvis præter hæc plura in-

Scriptura continantur, quæ metè historica sunt,
& ex lumine naturali percepta, nomen tamen à po-
tiore sumitur. Atque hinc facile percipimus, qua
ratione Deus author Bibliorum sit intelligendus,
nempe propter veram religionem, quæ in iis doce-
tur: at non quod voluerit certum numerum libro-
rum hominibus communicare. Deinde hinc e-
tiam scire possumus, cur Biblia in libros Veteris &
novi Testamenti dividantur: videlicet quia ante
adventum Christi Prophetæ religionem prædicare
solebant, tanquam legem Patriæ, & ex vi pa-
tri tempore Moys initi: post adventum autem
Christi eandem tanquam legem Catholicam, & ex
sola vi passionis Christi omnibus prædicaverunt
Apostoli; at non quod doctrina diversi sint, nec
quod tanquam syngrapha fœderis scripti fuerint,
nec denique quod religio catholica, quæ maxime
naturalis est, nova esset, nisi respectu hominum,
qui eam non noverant; *in mundo erat*, ait Joha-
nes Euanglista Cap. i. 10. & *mandua non novit
eum*. Quamvis itaque pauciores libros tam Vere-
ris, quam novi Testamenti haberemus, non ta-
men Dei verbo (per quod proprie ut jam diximus,
vera religio intelligitur) destitueremur, sicuti non
putamus nos eodem jam destitutos esse, etsi multis
aliis præstantissimis scriptis caremus, ut libro Le-
gis, qui tanquam fœderis syngraphum religiose
in templo custodiebatur, & præterea libris Bellou-
rum, Chronologiarum, & aliis plurimi, ex qui-
bus hi, quos Veteris Testamenti habemus, decerpti
& collecti sunt: atque hoc multis præterea ratio-
nibus confirmatur. Nempe I. quia libri utriusque
Testamenti non fuerunt expresso mandato uno eo-
demque

demque tempore omnibus sacerdotiis scripti, sed casu quibusdam hominibus, idque prout tempus & eorum singularis constitutio exigebat, ut aperte indicant Prophetarum vocationes (qui ut impios sui temporis monerent, vocati sunt) & etiam Apostolorum Epistolæ. II. quia aliud est Scripturam & mentem Prophetarum, aliud autem mentem Dei, hoc est, ipsam rei veritatem intelligere, ut ex eo, quod in Cap. II. de Prophetis ostendimus, sequitur. Quod etiam in Historiis & miraculis locum habere ostendimus Cap. v. i. Atqui hoc de locis, in quibus de vera religione & vera virtute agitur, minimè dici potest. III. quia Libri Veteris Testamenti ex multis electi fuerunt, & a concilio tandem Pharisæorum collecti & probati, ut in Cap. x. ostendimus. Libri autem novi Testamenti decretis etiam Conciliorum quorundam in Canonem assunti sunt, quorum etiam decretis plures alii, qui sacra multis habebantur, ut spuri reiecti sunt, at horum Conciliorum (tam Pharisæorum quam Christianorum) membra non constabant ex Prophetis, sed tantum ex Doctoribus & peritis; & tamen fatendum necessario est, eos in hac electione verbum Dei pro norma habuisse: adeoque antequam omnes liberos probaverant, debuerunt necessario notitiam Verbi Dei habere. IV. quia Apostoli non tanquam Prophetæ, sed (ut in praecedente Capite diximus) tanquam Doctores scripsierunt, & viam ad docendum elegi-
runt, quam faciliorem judicaverunt fore discipulis, quos tum docere volebant: ex quo sequitur in iis (ut etiam in fine prædicti Capitis conclusimus) multa contineri, quibus jam ratione religio-

his carere possumus. V. Denique quia quatuor habentur in Nova Testamento Evangelistæ. & quis crederet, quod Deus quater Historiam Christi narrare voluerit, & scripto hominibus communicare? & quamvis quædam in uno contineantur, quæ in alio non habentur, & quod unus ad alios intelligendum saepe juvat, inde tamen non concludendum est, omnia, quæ in hisce quatuor narrantur, cognitu necessaria fuisse, & Deum eos elegisse ad scribendum, ut Christi historia melius intelligeretur, nam unusquisque suum Euangeliū diverso loco prædicavit, & unusquisque id, quod prædicaverat, scripsit, idque simpliciter, ut historiam Christi dilucide narraret, & non ad reliquos explicandum. Si jam ex eorum mutua collatione facilius & melius quandoque intelliguntur, id easū contingit & parcis tantum in locis, quæ quamvis ignorarentur, historia tamen æque perspicua efficit, & homines non minus beati. His ostendimus Scripturam ratione religionis tantum, sive ratione legis divinæ universalis, propriè vocari verbum Dei: Supereft jam ostendere eandem quatenus propriè sic vocatur, non esse mendosam depravatum neque truncatam. Atqui id hinc mendosum, depravatum atque truncatum voco, quod adeo perpetam scriptum & constructum est, ut sensus orationis ex usu linguae investigari, vel ex sola Scriptura depromi nequeat: nam affirmare nolo, quod Scriptura, quatenus legem Divinam continet, semper eisdem apices, eisdem literas, & denique eadē verba servavit (hoc enim Massoretis & qui literam superstitione adorant, demonstrandum relinquō) sed tantum quod sensus,

ratione

ratione cuius tantum oratio aliqua divina vocata
 potest, incorruptus ad nos pervenit, tametsi ver-
 ba quibus primo significatus fuit, saepius mutata,
 fuisse supponantur. Nam hoc, ut diximus, nihil
 Scripturæ divinitati detrahit; nam Scriptura
 æque divina esset, et si aliis verbis aut alia lingua
 scripta fuisset. Quod itaque legem divinam hac
 ratione incorruptam accepimus nemo dubitare
 potest. Nam ex ipsa Scriptura absque ulla diffi-
 cultate, & ambiguitate percipimus ejus summam
 esse, Denique supra omnia amare, & proximum
 tanquam se ipsum: atqui hoc adulterium esse non
 potest, nec à festinante & errante calamo scri-
 ptum; nam si Scriptura unquam aliud docuit, ne-
 cessario etiam reliqua omnia docere aliter debuit;
 quandoquidem hoc totius religionis fundamentum
 est, quo sublato tota fabrica uno lapsu ruit. A-
 deoque talis Scriptura illa eadem non esset, de
 qua hic loquimur, sed alius prorsus liber. Manet
 igitur inconcussum Scripturam hoc semper docuisse,
 & consequenter hic nullum errorum, qui statim
 sensum corrumpere possit, incidisse, qui statim
 ab unoquoque non animadverteretur, nec ali-
 quem hoc depravare potuisse, cujus malitia non
 illico pateret. Cum itaque hoc fundamentum
 statuendum sit incorruptum, idem necessario fa-
 tendum est de reliquis, quæ ex eo absque ulla con-
 troversia sequuntur, & quæ etiam fundamentalia
 sunt: ut, quod Deus existit, quod omnibus pro-
 videat, quod sit omnipotens & quod piis ex ipsius
 decreto bene sit, improbis vero male, & quod
 nostra salus à sola ejus gratia pendeat. Hæc enim
 omnia Scriptura perspicue ubique docet, & sem-

per docere debuit, alias reliqua omnia vana es-
sent, & sine fundamento: nec minus incorrupta
statuenda reliqua moralia, quandoquidem ab hoc
universalis fundamento evidentissime sequuntur.
Videlicet justitiam defendere, in opere auxilio esse, ne-
minem occidere, nihil alterius concupiscere. &c.
Horum, inquam, nihil nec hominum malitia deprava-
tare, nec vetustas delere potuit. Quicquid enim
ex his deletum esset, id statim iterum horum uni-
versale fundamentum dictavisset, & præcipue
documentum charitatis, quæ ubique in utroque
Testamento summè commendatur. Adde quod-
quamvis nullum facinus execrandum excogitari
possit, quod non sit ab aliquo commissum, ta-
men nemo est, qui ad facinora sua excusanda le-
ges delere tentet, aut aliquid, quod impium sit,
tanquam documentum æternum & salutare intro-
ducere: ita enim hominum naturam constitu-
tam videmus, ut unusquisque (sive Rex sive sub-
ditus sit) si quid turpe commisit, factum suum
talibus circumstantiis adornare studeat, ut ni-
hil contra justum & decorum commisisse creda-
tur. Concludimus itaque absolute totam legem
divinam universalem, quam Scriptura docet,
incorruptam ad nostras manus pervenisse. At
præter hæc alia adhuc sunt, de quibus non possu-
mus dubitare, quin bona fide nobis sint tradita.
Nempe summa Historiarum Scripturæ, quia
notissimæ omnibus fuerunt. Vulgus Judæorum
solebat olim nationis antiquitates Psalmis canta-
re. Summa etiam rerum à Christo gestarum
& ejus passio statim per totum Romanum Impe-
rium vulgata fuit. Quare minime credendum
est,

est, nisi maxima hominum pars in eo conveniret, quod incredibile est, id, quod harum historiarum præcipuum est, posteros aliter tradidisse, quam à primis acceperant. Quicquid igitur adulteratum est, aut mendosum, id tantum in reliquis contingere potuit: Videlicet in una aut altera historiæ aut Prophetiæ circumstantia; ut populus ad devotionem magis commoveretur; vel in anno aut altero miraculo; ut philosophos torquerent; vel denique in rebus speculativis, postquam à schismaticis in religionem introduci incepérunt; ut sic unusquisque sua figmenta autoritate divinâ abutendo statuminaret. Sed ad salutem parum refert, siue talia depravata sint, siue minus: quod in sequenti Cap. ex professo ostendam, et si ex iam dictis & præcipue ex Cap. II. jam constare puto.

C A P U T X I I I .

Ostenditur Scripturam non nisi simplicissima docere, nec aliud prater obedientiam intendere; nec de divina Naturâ aliud docere, quam quod homines certa vivendi ratione imitari possunt.

IN Cap. II. hujus tractatus ostendimus, Prophetas singularem tantum potentiam imaginandi, sed non intelligendi habuisse, Deumque nulla philosophiæ arcana, sed res simplissimas tantum iisdem revelariſſe, seſequere eorum præconceptis opinionibus accommodaviſſe. Ostendimus deinde in cap. V. Scripturam res eo modo tradere, &c docere, quo facillime ab unoquoque percipi poſſunt; quæ ſcilicet non ex axiomatis, &c defi-

definitionibus res deducit, & concatenat, sed tantum simpliciter dicit, & ad fidem faciendam, sola experientia, miraculis scilicet, & historiis dicta confirmat, quæque etiam tali stylo, & phrasibus narrantur, quibus maximè plebis animus commoveri potest: qua de re vide Cap. V I. circa ea, quæ loco II I. demonstrantur. Ostendimus denique in Cap. V I I. difficultatem intelligendi Scripturam in sola lingua, & non in sublimitate argumenti sitcom esse. His accedit, quod Prophetæ non peritis, sed omnibus absolute Judæis prædicaverunt. Apostoli autem doctrinam Euangelicam in Ecclesiis, ubi communis oratione erat conventus, docere solebant: ex quibus omnibus sequitur, Scripturæ doctrinam non sublimes speculationes, nequæ res philosophicas contihere, sed res tantum simplicissimas, quæ vel à quovis tardissimo possunt percipi; Non satis itaque mirari possum eorum, de quibus supra locutus sum, ingenia, qui scilicet tam profunda in Scriptura vident mysteria, ut nullâ humana lingua possint explicari; & qui deinde in religionem tot res philosophicæ speculationis introduxerant, ut Ecclesia, Accademia, & Religio scientia, vel potius altercatio videatur. Verum quid miror, si homines, qui lumen supra naturale habere jactant, philosophis, qui nihil præter naturale habent, nolint cognitione cedere. Id sane mirarer, si quid novi, quod solius esset speculationis docerent, & quod olim apud Gentiles Philosophos non fuerit tritissimum, (quos tamen cæcutisse ajunt) nam si inquiras quænam mysteria in Scriptura latere vident, nihil profecto reperies, præter Aristotelis, aut Platonis, aut alterius simi-

lis commenta, quæ sæpe facilius possit quivis Idio-
ta somniare, quam literatissimus ex Scriptura
investigare. Etenim absolute statuere nolumus
ad doctrinam Scripturæ nihil pertinere, quod so-
lius sit speculationis; nam in superiori Cap. quæ-
dam hujus generis attulimus, tanquam Scripturæ
fundamentalia; sed hoc tantum volo, talia ad-
modum pauca, atque admodum simplicia esse.
Quænam autem ea sint, & qua ratione determi-
nentur, hic ostendere constitui, quod nobis jam
facile erit, postquam novimus, Scripturæ inten-
tum non fuisse scientias docere; hinc enim facile
judicare possumus, eandem nihil præter obedien-
tiæ ab hominibus exigere, solamque contumaci-
am, non autem ignorantiam damnare. Deinde
quia obedientia erga Deum in solo amore proximi
consistit; (nam qui proximum diligit, eo scilicet
tine ut Deo obsequatur, is, ut Paulus ait in Epi-
stola ad Rom. xiiii. 8. Legem implevit) hinc se-
quitur, in Scriptura nullam aliam scientiam com-
mendari, quam quæ omnibus hominibus necessaria
est, ut Deo secundum hoc præscriptum obedire
possint, & quâ ignoratâ, homines necessario de-
bent esse contumaces, vel saltæ sine disciplinâ
obedientiæ; reliquas autem speculations, quæ
huc directe non tendunt, sive eæ circa Dei, sive
circa rerum naturalium cognitionem veritantur,
Scripturam non tangere, atque adeo à Religione
revelatâ separandas. At etsi hæc unusquisque,
uti diximus, jam facile videre potest, tamen,
quia hinc totius Religionis decisio pendet, rem
totam accuratius ostendere, & clarius explicare
volo: Ad quod requiritur, ut ante omnia osten-
damus,

damus, intellectualem, sive accuratam Dei cognitionem, non esse donum omnibus fidelibus commune sicuti obedientiam. Deinde cognitionem illam, quam Deus per Prophetas ab omnibus universaliter petuit, & unusquisque scire tenetur, nullam esse, praeter cognitionem Divinæ ejus Justitiae, & Charitatis, quæ ambæ ex ipsa Scriptura facile demonstrantur. Nam I. evidentissime sequitur ex Exodi vi. 2. ubi Deus Mosi, ad singularem gratiam, ipsi largitam, indicandum, ait

נָאֹרָא אֶל אַבְרָהָם אֶל יִצְחָק וְאֶל יַעֲקֹב בְּאֶל שְׁדֵי
 וּשְׁמֵי יְהוָה לֹא נָרוּעַתִּי לְהֶם
 & revelatus sum Abrabamo, Isaaco, & Iacobo El Sadai, sed nomine meo
 Jehovah non sum cogitus ipsis: ubi ad meliorem expli-
 cationem notandum El Sadai significare Hebraica
 Deum, qui sufficit, quia unicuique, quod ei suffi-
 cit, dat; & quamvis saepe Sadai abiolute pro Deo su-
 matur, non dubitandum tamen est, quin ubique no-
 men El Deus subintelligendum sit. Deinde notan-
 dum in Scriptura nullum nomen præter Jehovah re-
 periri, quod Dei absolutam essentiam, sine relatio-
 ne ad res creatas, indicet. Atque ideo Hebræi hoc
 solum nomen Dei esse proprium contendunt, reli-
 qua autem appellativa esse; & revera reliqua Dei
 nomina, sive ea substantiva sint, sive adjectiva, at-
 tributa sunt, quæ Deo competunt, quatenus cum
 relatione ad res creatas consideratur, vel per ipsas
 manifestatur. Ut אֵל El, vel cum littera הֵ He para-
 gogica אלֵה Elha, quod nihil aliud significat, quam
 potentem, ut notum; nec Deo competit, nisi per ex-
 cellentiam, sicuti cum Paulum Apostolum appella-
 mus, alias virtutes ejus potentia explicantur, ut El

(potens) magnus, tremendus, justus, misericors, &c. vel ad omnes comprehendendas simul hoc nomen in plurali numero usurpatur, & significatio ne singulari, quod in Scriptura frequentissimum. Jam quando quidem Deus Moysi dicit, se nomine Jehova non fuisse patribus cognitum, sequitur, eos nullum Dei attributum novisse, quod ejus absolutam essentiam explicat, sed tantum ejus effecta, & promissa, hoc est, ejus potentiam quatenus potestes visibiles manifestatur. Atqui hoc Deus Moysi non dicit, ad eosdem infidelitatis accusandum, sed contra ad eorum credulitatem, & fidem extollendam, qua quamvis non æque singularem Dei cognitionem ac Moses habuerint, Dei tamen promissa fixa rataque crediderunt, non ut Moses, qui, quamvis sublimiores de Deo cogitationes habuerit, de divinis tamen promissis dubitavit, Deoque objecit, quod, loco promissæ salutis, Iudeorum res in pejus mutaverit. Cum itaque Patres Dei singularare nomen ignoraverint, hocque Deus Moysi dicat factum, ad eorum animi simplicitatem & fidem laudandam, simulque ad commemorandam singularem gratiam Mosi concessam, hinc evidentissime sequitur, id quod primo loco statuimus, homines ex mandato non teneri Dei attributa cognoscere, sed hoc peculiare esse donum quibusdam tantum fidelibus concessum; nec opere præmium est hoc pluribus Scripturæ testimoniis ostendere; quis enim non videt divinam cognitionem non fuisse omnibus fidelibus æqualem? & neminem posse ex mandato sapientem esse, non magis, quam vivere, & esse? Viri, mulieres, pueri, & omnes ex mandato obtemperare quidem æque possunt,

funt, non autem sapere. Quod si quis dicat, non esse quidem opus Dei attributa intelligere, at omnino simplicitet, absque demonstratione credere; is sane nugabitur: Nam res invisibiles, & quæ solius mentis sunt objecta, nullis aliis oculis videri possunt, quam per demonstrationes, qui itaque eas non habent, nihil harum rerum plane vident; atque adeo quicquid de similibus auditum referunt, non magis eorum mentem tangit, sive indicat, quam verba Psittaci, vel automati, quæ sine mente, & sensu loquuntur. Verum antequam ulterius pergam, rationem dicere teneor, cur in Genesi sepe dicitur, quod Patriarchæ nomine Jehova prædicaverint, quod plane jam dictis repugnare videtur. Sed si ad illa, quæ cap. **VIII.** ostendimus, attendamus, facile hæc conciliare poterimus; in prædicto enim Cap. ostendimus scriptorem Pentateuchi res, & loca non iisdem præcisè nominibus indicare, quæ eodem tempore, de quo loquitur, obtinebant, sed iis, quibus tempore scriptoris melius innotuerant. Deus igitur in Genesi Patriarchis prædicatus nomine Jehova indicatur, non quia Patribus hoc nomine innotuerat, sed quia hoc nomen apud Judæos summæ erat reverentiae: hoc, inquam, necessario dicendum, quandoquidem in hoc nostro textu Exodi expresse dicitur, Deum hoc nomine non fuisse cognitum Patriarchis, & etiam quod Exodi **III. 13.** Mōses Dei nomen scire cupit: quod si antea notum fuisse, fuisse saltem & ipsi etiam notum. Concludendum igitur, ut volebamus; nempe fideles Patriarchas hoc Dei nomen ignoravisse. Deique cognitionem

nem donum Dei, non autem mandatum esse.
Tempus igitur est, ut ad secundum transeamus,
nempe, ad ostendendum Deum nullam aliam sui
cognitionem ab hominibus per Prophetas petere,
quam cognitionem divinæ suæ Justitiae, & Cha-
ritatis, hoc est talia Dei attributa, quæ homines
certa vivendi ratione imitari possunt: quod qui-
dem Jeremias expressissimis verbis docet Nam cap.
xxi. 15. 16. de Rege Josia loquens hæc ait

אָבֵד חַלְאָ אֲכֵל וְשַׁתְּחָ וְעָשָׂה מִשְׁפָט וְצְדָקָה
בָּאָרֶץ אֹזֶן טוֹב לֹו דָן רַזְן עַנְזָ וְאַבְיָן אֹזֶן טוֹב לֹו
חַלְאָ הִיא הַדּוֹעַת אֲוֹתִי נָאָם יְהוָה וָנוּ

Pater tuus quidem comedit, & bibit, & fecit Iudici-
um, & justitiam, cum ei bene (fuit) judicavit ius pau-
peris, & indigenis, cum ipsis bene (fuit) nam (NB.) hoc
est me cognoscere, dixit Iehova: nec minus clara
sunt, quæ habentur Cap. ix. 24. nempe **אָנָּה**

**בָּזְאת יִתְהַלֵּל הַמְתַהַלֵּל הַשְּׁפֵל וַיְדֻועַ כִּי אַנְיָהוָה
עָשָׂה חַקְרָה מִשְׁפָט וְצְדָקָה בָּאָרֶץ כִּי בָּאַלְתָּה**

חַפְצָתִי נָאָם יְהוָה sed in hoc tantum glorietur unus-
quisque, me intelligere, & cognoscere, quod ego Ieho-
va facio charitatem, iudicium, & justitiam in terra,
nam his delector, ait Iehova. Colligitur hoc etiam
præterea ex Exodi xxxiv. 6. 7. ubi Deus Moysi
cupienti ipsum videre, & noscere, nulla alia at-
tributa revelat, quam quæ divinam Justitiam &
Charitatem explicant. Denique illud Johannis,
de quo etiam in sequentibus, apparet hic notan-
dum venit, qui scilicet, quia nemo Deum vidit,
Deum per solam charitatem explicat, concludit,

que

qui cum reverè Deum habere, & noscere, qui charitatem habet. Videmus itaque Jeremiam, Mosen, Johannem, Dei cognitionem, quam unusquisque scire tenetur, paucis comprehendere, eamque in hoc solo, ut volebamus, ponere, quod. scilicet, Deus sit summe justus, & summe misericors, sive unicum veræ virtutæ exemplar. His accedit, quod Scriptura nullam Dei Definitionem expresse tradit, nec alia Dei attributa amplectenda præter modo dicta præscribat, nec ex professo, ut hæc, commendet: ex quibus omnibus concludimus, intellectualem Dei cognitionem, quæ ejus naturam, prout in se est, considerat, & quam naturam homines certa viveendi ratione imitari non possunt, neque tanquam exemplum sumere, ad veram vivendi rationem instituendam, ad fidem, & religionem revelatam nullo modo pertinere, & consequenter homines circa hanc sine scelere totum cœlo errare posse. Minime itaque mirum, quod Deus sese imaginationibus, & præconceptis Prophetarum opinionibus accommodaverit, quodque fideles diversas de Deo soverint sententias, ut in cap. II. multis exemplis ostendimus. Deinde minime etiam mirum, quod sacra volumina ubique adeo improoria de Deo loquantur, eique manus, pedes, oculos, aures, mentem, & motum localem tribuant, & præterea etiam animi commotiones, ut quod sit Zelotypus, misericors &c. & quod denique ipsum depingant tanquam Judicem, & in cœlis, tanquam in solio regio sedentem, & Christum ad ipsius dextram. Loquuntur nimirum secundum captum vulgi, quem Scriptura non doctuni, sed obedientem reddere studet. Com-

munes tamen Theologi quicquid horum lumine
naturali videre potuerunt cum divina natura non
convenire, metaphorice interpretandum, & quic-
quid eorum caput effugit, secundum literam ac-
cipiendum contenderunt. Sed, si omnia, quæ in
Scriptura hujus generis reperiuntur, essent ne-
cessario metaphorice interpretanda, & Intelli-
genda, tum Scriptura non plebi & rudi vulgo,
sed peritissimis tantum, & maxime Philosophis
scripta esset. Quinimo, si impium esset pie, &
simplicitate animi hæc, quæ modo retulimus, de
Deo credere; profecto maxime cavere debuissent
Prophetæ, saltem propter vulgi imbecillitatem,
à similibus phrasibus, & contra Dei attributa,
prout unusquisque eadem amplecti tenetur, ante
omnia ex professo, & clare docere, quod nullibi
factum est: adeoque minime credendum opinio-
nes absolute consideratas, absque respectu ad ope-
ra, aliquid pietatis, aut impietatis habere, sed
ea tantum de causa hominem aliquid pie, aut im-
pie credere dicendum, quatenus ex suis opinio-
nibus ad obedientiam movetur, vel ex iisdem li-
centiam ad peccandum, aut rebellandum sumit,
ita ut si quis vera credendo fiat contumax, is re-
vera impiam; & si contra falsa credendo obediens,
piam habeat fidem; veram enim Dei cognitionem,
non mandatum, sed donum divinum esse ostendi-
mus, Deumque nullam aliam ab hominibus pe-
tiisse, quam cognitionem divinæ suæ Justitiæ, &
Charitatis, quæ cognitio, non ad scientias, sed
tantum ad obedientiam necessaria est.

C A P U T X I V.

Quid sit fides, quinam fideles, fidei fundamenta determinantur, & ipsa à Philosophia tandem separatur.

AD veram fidei cognitionem apprime necessarium esse, scire, quod Scriptura accommodata sit non tantum captui Prophetarum, sed etiam variis, & inconstantie Judaeorum vulgi, nemo, qui vel leviter attendit, ignorare potest; qui enim omnia, quæ in Scriptura habentur promiscue amplectitur, tanquam universalem, & absolutam de Deo doctrinam, nec accurate cognovit, quidnam captui vulgi accommodatum sit, non poterit vulgi opiniones cum divina doctrina non confundere, & hominum commenta & placita, pro divinis documentis non venditare, Scripturæque auctoritate non abutiri. Quis, inquam, non videt, hanc maximam esse causam, cur sectarii tot, tamque contrarias opiniones, tanquam fidei documenta doceant, multisque Scripturæ exemplis confirmant, unde apud Belgas dudum in usum Proverbii abierit, geen letter sonder letter. Libri namque sacri non ab uno solo, nec unius ætatis vulgo scripti fuerunt, sed à plurimis, diversi ingenii, diversique ævi viris, quorum, si omnium tempus computare velimus, sere bis mille annorum, & forte multo longius invenietur. Sectarios tamen istos nolumus ea de causa impietatis accusare, quod scilicet verba Scripturæ suis opinionibus accommodant; sicuti enim olim ipsa captui vulgi accommodata fuit, sic etiam

etiam unicuique eandem suis opinionibus accommodare licet, si videt, se eâ ratione Deo, in iis, quæ justitiam, & charitatem spectant, pleniore animi consensu obedire posse; sed ideo eosdem accusamus quod hanc eandem libertatem reliquæ nolunt concedere, sed omnes, qui cum iisdem non sentiunt, quanquam honestissimi, & veræ virtuti obtemperantes sint, tanquam Dei hostes tamen persequuntur, & contra eos, qui iis assentantur, quamvis impotentissimi animi sint, tamen tanquam Dei electos diligunt, quo nihil profecto scelestius; & reipublicæ magis perniciosum ex cogitari potest. Ut igitur constet, quo usque, ratione fidei, uniuscujusque libertas sentiendi, quæ vult, se extendit; & quosnam, quamvis diversa sentientes, tanquam fideles tamen aspicere tene mus, fides, ejusque fundamentalia determinanda sunt; quod quidem in hoc capite facere constitui, simulque fidem à philosophia separare, quod totius operis præcipuum intentum fuit. Ut hæc igitur ordine ostendam, summum totius Scripturæ intentum repetamus, id enim nobis veram normam fidei determinandæ indicabit. Diximus in superiori capite, intentum Scripturæ esse tantum obedientiam docere. Quod quidem nemo inficias ire potest. Quis enim non videt, utrumque testamentum nibil esse præter obedientiæ disciplinam? nec aliud utrumque intendere quam quod homines ex vero animo obtemperent? Nam, ut jam omittam, quæ in superiori capite ostendi, Moses non studuit Israëlitas ratione convincere, sed pacto, juramentis, & beneficiis obligare, deinde populo legibus obtenerare.

pérare sub pœnia interminatus est, & præmissus eundem ad id hortatur; quæ omnia media non ad scientias, sed ad solam obedientiam sunt. Euangelica autem doctrina nihil præter simplicem fidem continet; nempe Deo credere, eumque revereri, sive, quod idem est, Deo obedire. Non opus igitur habeo, ad rem manifestissimam demonstrandam, textus Scripturæ, qui obedientiam commendant, & quorum perplures in utroque testamento reperiuntur, coacervare. Deinde quidnam unusquisque exequi debeat, ut Deo obsequatur, ipsa etiam Scriptura plurimis in locis quam clarissime docet, nempe totam legem in hoc solo consistere, in amore scilicet erga proximum, quare nemo etiam negare potest, quod is, qui ex Dei mandato proximum tanquam se ipsum diligit, revera est obediens, & secundum legem beatus, & qui contra odio habet, vel negligit, rebellis est, & contumax. Denique apud omnes in confessio est, Scripturam non solis peritis, sed omnibus cuiuscumque ætatis, & generis hominibus scriptam, & vulgatam fuisse: atque ex his solis evidentissime sequitur, nos ex Scripturæ jussu, nihil aliud teneri credere, quam id, quod ad hoc mandatum exequendum absolute necessarium sit. Quare hoc ipsum mandatum unica est totius fidei catholicæ norma, & per id solum omnia fidei dogmata, quæ scilicet unusquisque amplecti tenetur, determinanda sunt. Quod cum manifestissimum sit, & quod ex hoc solo fundamento, vel sola ratione omnia legitime possunt deduci, judicet unusquisque, qui fieri potuit, ut tot dissensiones in Ecclesia ortæ sint? & an aliæ potuerint esse causæ,

quam

quamque in initio Cap. VII. dictæ sunt? Eæ itaque ipsæ me cogunt hic ostendere modum, & rationem determinandi ex hoc invento fundamento fidei dogmata; nam ni hoc fecero, remque certis regulis determinavero, merito credas me huc usque parum promovisse, quandoquidem unusquisque quicquid velit sub hoc etiam prætextu, quod scilicet medium necessarium sit ad obedientiam, introducere poterit; præsertim quando de divinis attributis fuerit questio. Ut itaque rem totam ordine ostendam, à fidei definitione incipiam, quæ ex hoc dato fundamento sic definiri debet. Nempe quod nihil aliud sit, quam de Deo talia sentire, quibus ignoratis tollitur erga Deum obedientia, & hac obedientia posita, necessario ponuntur. Quæ definitio adeo clara est, & adeo manifeste ex modo demonstratis sequitur, ut nullâ explicatione indigeat. Quæ autem ex eadem sequuntur paucis jam ostendam; Videlicet I. fidem non perse, sed tantum ratione obedientiae salutiferam esse, vel, ut ait Jacob. 11. 17. fidem perse absque operibus mortuam esse; qua de re vide totura hujus Apostoli prædictum Caput. II. sequitur, quod is, qui verè est obedientia, necessario veram & salutiferam habet fidem; Obedientia enim positâ, & fidem necessario poni diximus, quod etiam idem Apostolus 11. 18. expresse ait, nempe his, ostendo mihi fidem tuam, absque operibus, & ego ostendam tibi ex operibus meis fidem meam. Et Iohannes in Epist. I. cap. IV. 7, 8. quisquis diligit (scilicet proximum) ex Deo natus est, & novit Deum, qui non diligit, non novit Deum; nam Deus est Caritas. Ex quibus iterum sequitur, nos neininem judicare posse fidem, aut infide-

infidelem esse , nisi ex operibus : Nempe , si opera bona sunt , quamvis dogmatibus ab aliis fidelibus dissentiat , fidelis tamen est ; & contra si mala sunt , quamvis verbis conveniat , infidelis tamen est . Obedientia enim positâ fides necessario ponitur , & fides absque operibus mortua est . Quod etiam idem Johannes vers . 13 . ejusdem cap . expresse docet . *Per hoc , inquit , cognoscimus , quod in eum amemus , & ipse manet in nobis , quod de Spiritu suo dedit nobis ,* nempe Charitatem . Dixerat enim antea , Deum esse Charitatem , unde (ex suis scilicet cum receptis principiis) concludit , cum revera Spiritum Dei habere , qui Charitatem habet . Imo , quia nemo Deum vidit , inde concludit , neminem Deum sentire , vel animadvertere , nisi ex sola Charitate erga proximum , atque adeo neminem etiam aliud Dei attributum noscere posse , præter hanc Charitatem , quatenus de eadem participamus . Quæ quidem rationes si non peremptoria sunt , satis tamen clare Johannis mentem explicant , sed longe clarius , quæ habentur cap . 11 . vers . 3 , 4 . ejusdem Epist . ubi expressissimis verbis id , quod hic volumus , docet . Et per hoc , inquit , scimus , quod ipsum dominum , si præcepta ipsius observamus . Qui dicit , novi eum , & præcepta ejus non observat , mendax est , & in eonon est veritas . Atque ex his iterum sequitur , eos revera Antichristos esse , qui viros honestos , & qui Justitiam amant , persequuntur , propter ea quod ab ipsis dissentunt , & cum ipsis eadem fidei dogmata non defendunt : Qui enim Justitiam & Charitatem amant , eos per hoc soli veri fideles esse scimus ; & qui fideles persequitur Antichristus est . Sequitur denique fidem non tam requirere vera , quam pia

pia dogmata , hoc est , talia , quæ animum ad obedi-
dientiam movent : Tametsi inter ea plurima sint ;
quæ nec umbram veritatis habent ; dummodo ta-
men is , qui eadem amplectitur , eadem falsa esse
ignoret , alias rebellis necessario esset ; quomodo
enim fieri posset , ut aliquis , qui Justitiam amare ,
& Deo obsequi studet , tanquam divinum adoret ,
quod a divina natura alienum scit esse : at animi
simplicitate errare possunt homines , & Scriptura
non ignorantiam , sed solam contumaciam , ut jam
ostendimus , damat ; imo ex sola fidei definitione
hoc necessario sequitur , cujus omnes partes ex
universali jam ostensio fundamento , & unico totius
Scripturæ intento , nisi nostra placita admisce-
re lubet , peti debent ; atqui hæc non expresse
exigit vera , sed talia dogmata , quæ ad obedienti-
am necessaria sunt , quæ scilicet animum in amore
erga proximum confirmant , cujus tantum ratione
unusquisque in Deo (ut cum Johanne loquar) &
Deus in unoquoque est . Cum itaque uniuscujus-
que fides ratione obedientiæ , vel contumaciæ tan-
tum , & non ratione veritatis , aut falsitatis , pia vel
impia sit habenda , & nemo dubitet , commune ho-
minum ingenium varium admodum esse , nec om-
nes in omnibus æque acquiescere , sed opiniones
diverso modo homines regere , quippe quæ hunc
ad devotionem , eæ ipsæ alterum ad risum , &
contemptum movent , hinc sequitur , ad fidem ca-
tholicam , sive universalem nulla dogmata perti-
nere , de quibus inter honestos potest dari con-
troversia : Quæ enim ejus naturæ sunt , respectu
unius pia , & respectu alterius impia esse possunt ;
quandoquidem ex solis operibus sunt judicanda.

Ad

Ad fidem ergo catholicam ea solummodo dogma-
ta pertinent, quæ erga Deum obedientia absolu-
te ponit, & quibus ignoratis obedientia est abso-
lute impossibilis; de reliquis autem, prout unus-
quisque, quia se ipsum melius novit, sibi, ad se
in amore Justitiæ confirmandum, melius esse vi-
derit, sentire debet. Et hac ratione, puto, nul-
lum locum controversiis in Ecclesia relinquere: Nec
jam verebor fidei universalis dogmata, sive uni-
versæ Scripturæ intenti fundamentalia enumera-
re, quæ (ut ex iis, quæ in his duobus capitibus osten-
dimus, evidentissime sequitur) omnia huc tendere
debent, nempe, dari ens supremum quod Justi-
tiæ & Charitatem amat, cuique omnes, ut salvi
sint, obedire tenentur, eumque cultu Justitiæ, &
Charitate erga proximum adorare, atque hinc fa-
cile omnia determinantur, quæque adeo nulla,
præter hæc, sunt. Videlicet, I. Deum, hoc est, ens
supremum, summe justum, & misericordem, si-
ve veræ vitæ exemplar existere; qui enim nescit,
vel non credit, ipsum existere, ei obedire ne-
quit, neque eum Judicem noscere. II. eum esse
unicum: Hoc enim etiam ad supremam devotio-
nem, admirationem, & amorem erga Deum ab-
solute requiri nemo dubitare potest. Devotio nam-
que, admiratio, & amor, ex sola excellentia unius
supra reliquos orientur. III. eum ubique esse pre-
sentem, vel omnia ipsi patere: Si res ipsum latere
crederentur, vel ipsum omnia videre ignoraretur,
de æquitate ejus Justitiæ, quâ omnia dirigit, dubita-
retur, vel ipsa ignoraretur. IV. ipsum in omnia su-
pernum habere jus, & dominium, nec aliquid jure
coactum, sed ex absoluto beneplacito, & singulari-

gratiā facere: Omnes enim ipsi absolute obedere tenentur, ipse autem nemini. V. Cultum Dei, ejusque obedientiam in sola Justitia, & Charitate, sive amore erga proximum consistere. VI. Omnes, qui hac vivendi ratione Deo obediant, salvos tantum esse, reliquos autem, qui sub imperio voluptatum vivunt, perditos: Si homines hoc firmiter non crederent, nihil causæ esset cur Deo potius, quam voluptatibus obtemperare mallerent. VII. Denique Deum pœnitentibus peccata condonare: Nullus enim est, qui non peccet, si igitur hoc non statueretur, omnes de sua salute desperarent, nec ulla esset ratio, cur Deum misericordem crederent; qui autem hoc firmiter credit, videlicet Deum ex misericordia, & gratia, qua omnia dirigit, hominum peccata condonate, & hac de causa in Dei amore magis incenditur, is revera Christum secundum Spiritum novit, & Christus in eo est. Atque hæc omnia, nemo ignorare potest apprime cognitu necessaria esse, ut homines, nullo excepto, ex præscripto Legis supra explicato, Deo obedere possint, nam horum aliquo sublato, tollitur etiam obedientia. Cæteruni quid Deus, sive illud veræ vitæ exemplar sit: an scilicet sit ignis, spiritus, lux, cogitatio &c. id nihil ad fidem, ut nec etiam qua ratione sit veræ vitæ exemplar, an scilicet propterea, quod animum justum, & misericordem habet, vel quia res omnes per ipsum sunt, & agunt, & consequentur nos etiam per ipsum intelligimus, & per ipsum id, quod verum æquum, & bonum est videimus? perinde est, quicquid de his unusquisque statuerit. Deinde nihil etiam ad fidem, si quis credat, quod Deus secundum

dum essentiam, vel secundum potentiam ubique sit, quod res dirigit ex libertate, vel necessitate naturae; quod leges tanquam princeps prescribat, vel tanquam aeternas veritates doceat; quod homo ex arbitrii libertate, vel ex necessitate divini decreti Deo obediat, quodque denique premium bonorum, & pœna malorum naturalis vel supernaturalis sit: Hæc, & similia, inquam, nihil refert, in respectu fidei, qua ratione unusquisque intelligat; dummodo nihil eum in finem concludat, ut majorem licentiam ad peccandum sumat, vel ut minus fiat Deo obtemperans; quinimo unusquisque, ut jam supra diximus, hæc fidei dogmata, ad suum captum accommodare tenetur, eaque sibi eò modo interpretari, quo sibi videtur eadem facilius, sine ulla hæsitatione, sed integro animi consensu amplecti posse, ut consequenter Deo pleno animi consensu obediat: Nam, ut jam etiam monuimus, sicuti olim fides secundum captum, & opiniones Prophetarum, & vulgi illius temporis revelata, scriptaque fuit, sic etiam jam unusquisque tenetur eandem suis opinionibus accommodare, ut sic ipsam, absque ulla mentis repugnantia, sineque ulla hæsitatione amplectatus; ostendimus enim, fidem non tam veritatem, quam pietatem exigere, & non nisi ratione obedientiae piam, & salutiferam esse; & consequenter neminem nisi ratione obedientiae fidelem esse. Quare non ille, qui optimas ostendit rationes, optimam necessario ostendit fidem, sed ille, qui optima ostendit opera Justitiae, & Charitatis. Quæ Doctrina, quam salutaris, quamque necessaria sit in republica, ut homines pacifice, & concorditer vivant: quoque, in-

quam , quantasque perturbationum , & scelerum causas præscindat , omnibus judicandum relinquo . Atque hic , antequam ulterius pergam , notandum venit , nos , ex modo ostensis , facile respondere posse ad objectiones , quas Cap. I. movimus , quando de Deo cum Israëlitis ex Monte Sinai loquente verba fecimus : Nam quamvis vox illa , quam Israëlitæ audiverunt , illis hominibus nullam philosophicam , seu mathematicam certitudinem de Dei existentia dare potuerat , sufficiebat tamen ad eosdem in admirationem Dei , prout ipsum antea noverant , rapiendos , & ad obedientiam instigandos : qui finis illius spectaculi fuit . Nam Deus non volebat Israëlitas suæ essentiæ absoluta attributa docere , (nulla enim tum temporis revelavit) sed eorum animum contumacem frangere , & ad obedientiam trahere ; ideoque non rationibus , sed tubarum strepitu , tonitru , & fulminibus eosdem adorsus est . (Vide Exodi xx. 20 .)

Supereft jam , ut tandem ostendam , inter fidem , sive Theologiam , & Philosophiam nullum esse commercium , nullamve affinitatem , quod jam nemo potest ignorare , qui harum duarum facultatum , & scopum , & fundamentum novit , quæ sane toto cœlo discrepant : Philosophia enim scopeus nihil est , præter veritatem : Fidei autem , ut abunde ostendimus , nihil præter obedientiam , & pietatem . Deinde philosophiaæ fundamenta notiones communes sunt , & ipsa ex sola natura peti debent . Fidei autem : historiæ , & lingua ; & ex sola Scriptura , & revelatione petenda , ut in VII. cap. ostendimus . Fides igitur summam unicuique libertatem ad philosophandum concedit , ut quicquid

quid velit, de rebus quibuscumque sine scelere sentire possit, & eos tantum, tanquam hæreticos, & scismaticos damnat, qui opiniones docent, ad contumaciam, odia, contentiones, & iram suadendum: & eos contra fideles tantum habet, qui Justitiam & Charitatem, pro viribus suæ rationis, & facultatibus, suadent. Denique, quoniam hæc, quæ hic ostendimus, præcipua sunt, quæ in hoc tractatu intendo, volo, antequam ulterius pergam, lectorum enixissime rogare, ut hæc duo capita attentius legere, & iterum, atque iterum perpendere dignetur; & sibi persuasum habeat, nos non eo scriptisse animo, ut nova introduceremus, sed ut depravata corrigeremus, quæ tandem aliquando correcta videre speramus.

C A P U T X V.

Nec Theologiam Rationi, nec Rationem Theologie ancillari; ostenditur & ratio, qua nobis S. Scripture autoritatem persuademus.

Qui Philosophiam à Theologia separare nesciunt, disputant, num Scriptura rationi, an contra ratio Scripturæ debeat ancillari, hoc est, an sensus Scripturæ rationi, an vero ratio Scripturæ accommodari debeat: atque hoc à scepticis, qui rationis certitudinem negant, illud autem à Dogmatikis defenditur. Sed tam hos quam illos toto calo errare ex jam dictis constat. Nam utram sequamur sententiam, vel rationem vel Scripturam corrumpere necesse est. Ostendimus enim Scripturam non res philosophicas, sed solam pietatem docere, & omnia, quæ in eadem con-

tinentur, ad captum & præconceptas opiniones vulgi fuisse accommodata. Qui igitur ipsam ad Philosophiam accommodare vult, is sanè Propheticis multa, quæ ne per somnium cogitarunt, affinget, & perperam eorum mentem interpretabitur. Qui autem contra rationem & Philosophiam Theologiaz ancillam facit, is antiqui vulgi præjudicia tanquam res divinas tenetur admittere, & iisdem mentem occupare & obcæcare; adeoque uterque, hic scilicet sine ratione, ille vero cum ratione insaniet. Primus, qui inter Pharisæos apertè statuit Scripturam rationi esse accommodandam, fuit Maimonides (cujus quidem sententiam Cap. VII, recensuimus, multisque argumentis refutavimus) & quamvis hic author magnæ inter eos fuerit authoritatis, eorum tamen maxima pars hac in re ab eo recedit, & pedibus it in sententiam ejusdam R. Jehudæ Alpakhar, qui errorem Maimonidis vitare cupiens in alterum ei contrarium incidit. Statuit scilicet * rationem Scripturæ ancillari debere, eique prorsus submitti; nec aliquid in Scriptura propterea metaphorice explicandum sensit, quod literalis sensus rationi, sed tantum, quia ipsi Scripturæ, hoc est, claris ejus dogmatibus repugnat; atque hinc banc universalem regulam format; videlicet, quicquid Scriptura dogmaticè docet & expressis verbis affimat, id ex sola ejus autoritate, tanquam verum absolute admittendum; nec ullum aliud dogma in Bibliis reperietur, quod ei directe repugnet, sed tantum per consequentiam, quia scilicet modi loquendi

N.B. * Memiri me hæc olim legisse in Epistola contra Maimonidem, quæ inter Epistolæ, quæ Maimonidis dicuntur, babetur.

loquendi Scripturæ saepe videntur supponere aliquid contrarium ei, quod expresse docuit: & propterea tantum, eadem loca metaphorice explicanda. Ex. Gr. Scriptura clare docet, Deum esse unicum (vide Deut. v 1. 4.) nec ullibi alias locus reperitur directè affirmans, dari plures Deos: at quidem plura ubi Deus de se, & Prophetæ de Deo in plurali numero loquuntur, qui modus tantum loquendi supponit, non autem ipius orationis intentum indicat, plures esse Deos, & ideo ipsa omnia metaphorice explicanda, scilicet non quia rationi repugnat, plures dari; sed quia ipsa Scriptura directè affirmat, unicum esse Deum. Sic etiam quia Scriptura Deut. I v. 15. directè (ut putat) affirmat, Deum esse incorporeum; ideo, ex sola scilicet hujus loci & non rationis autoritate, tenemur credere Deum non habere corpus, & consequenter ex sola Scripturæ autoritate omnia loca metaphorice explicare tenemur, quæ Deo manus, pedes &c tribuunt, quorumque solus modus loquendi videtur Deum corporeum supponere. Hæc est hujus authoris sententia, quem quatenus Scripturas per Scripturas explicare vult, laudo: at miror quod vir ratione prædictus ipsam destruere studeat. Verum quidem est Scripturam per Scripturam explicandam esse, quamdiu de solo orationum sensu, & mente Prophetarum laboramus, sed postquam verum sensum eruiimus, necessariò judicio & ratione utendum, ut ipsi assensum præbeamus. Quod si ratio, quævis reclamat Scripturæ, tamen plane submittenda est, quæso an id cum, vel sine ratione, ut cæci facere debemus? Si hoc, stultè

sane & sine judicio agimus; si illud? ex solo igitur rationis imperio Scripturam amplectimur, quam igitur, si eidem repugnaret, non amplectemur. Et quæso quis mente aliquid amplecti potest reclamante ratione? quid enim aliud ost mente aliquid negare, quam quod ratio reclamat? & profecto non satis mirari possum, quod rationem, donum maximum, & lucem divinam mortuis literis, & quæ humana malitia depravari potuerunt, submittere vélint, & quod nullum existimetur scelus, contra mentem, verum Dei verbi syngraphum, indignè loqui, eamque corruptam, cæcam & perditam statuere; at maximum habeatur scelus, talia de litera & verbi Dei idolo cogitare. Pium esse putant, rationi & proprio judicio nihil fidere, at impium de fide eorum dubitare, qui nobis Libros Sacros tradiderunt, quod quidem mera stultitia est, non pietas. Sed quæso quid eos sollicitat? quid timent? an Religio & fides defendi non possunt, nisi homines datâ operâ omnia ignorent & rationi prorsus valedicant? profecto, si hoc credunt, Scripturas magis timent, quam fidunt. Sed longè absit quod Religio & pietas rationem, aut quod ratio Religionem sibi ancillari velir, & quod utraque suum regnum summâ cum concordiâ obtinere nequeat; qua de re statim, nam hic ante omnia istius Rabinî Regulam examinare libet. Is, uti diximus, vult nos id omne, quod Scriptura affirms aut negat, tanquam verum amplecti, vel tanquam falsum rejicere teneri: deinde Scripturam nunquam aliquid expressis verbis affirmare vel negare, contrarium ei quod in alio loco affirmavit vel nega-

negavit. Quæ duo quam temere dicta sint, nemo ignorare potest. Nam ut jam omissam quod non animadverterit, Scripturam diversis libris constare, diversis temporibus, diversis hominibus, & denique à diversis authoribus scriptam esse, tum hoc alterum, quod hæc ex propria authoritate, & ratione & Scriptura nihil tale dicentibus, statuat; debuisset enim ostendere omnia loca, quæ non nisi per consequiam aliis repugnant, posse ex natura linguae, & ratione loci commodè metaphorice explicari: Deinde Scripturam ad nostras manus incorruptam venisse. Sed rem ordine examinemus, & quidem circa primum rogo, quid si ratio reclamet, an nihilominus tenemur id, quod Scriptura affirmat vel negat, tanquam verum amplecti, vel tanquam falsum rejicere? at forte addet, nihil in Scriptura reperiri, quod rationi repugnet. Verum ego insto, ipsam expresse affirmare & docere, Deum esse zelotypum (nempe in ipso decalogo & Exod. xxix. 14. & Deut. iv. 24. & pluribus aliis locis) atqui hoc rationi repugnat, Ergo nihilominus tanquam verum ponendum. Imo si quædam in Scriptura reperiantur, quæ supponant Deum non esse zelotypum, ea necessario metaphorice essent explicanda, ut nihil tale supponere videantur. Sic etiam Scriptura expresse dicit, Deum in montem Sinai descendisse (vide Exod. xix. 20. &c.) ipsique aliquos motus loca'es tribuit, nec ullibi docet expresse, Deum non moveri, adeoque hoc etiam omnibus tanquam verum admittendum, & quod Salomon dicit, Deum nullo loco comprehendi (vide 1 Reg. viii. 27.) quandoquidem non

expressus statuit, sed tantum inde sequitur, Deum non moveri, id necessario ita explicandum, ne videatur Deo motum localem detrahere. Sic etiam cœli pro Dei habitaculo, & solio suspendi essent, quia Scriptura id expresse affirmat. Et ad hunc modum plurima secundum opiniones Prophetarum & vulgi dicta, & quæ sola ratio & Philosophia, non autem Scriptura, docet falsa esse, quæ tamen omnia ex opinione istius authoris, quia nulla in his rationi consultatio est, tanquam vera essent supponenda. Deinde falso affirmat, unum locum alteri per consequentiam tantum repugnare, non autem directè. Nam Moses directè affirmat, *Deum est ignem* (vide Deut. i v. 24.) & directè negat, *Deum ullam habere similitudinem cuni rebus visibilibus* (vide Deut. i v. 12.) &, si regerat, hoc non directè, sed tantum per consequentiam negare Deum esse ignem, adeoque illi accommodandum, ne id negare videatur; ago concedamus, *Deum esse ignem*, vel potius, ne cum ipso insaniamus, hæc missa faciamus & aliud exemplum in medium proferamus. Nempe Samuel directè negat, *Deum sententia pénitentia* (vide s. Samuel xv. 29.) & Jeremias contra affirmat, *Deum pénitentia boni & mali quod decreverat* (vide Jerem. xvii. 8. 10.) quid? an ne hæc quidem sibi invicem directe opponuntur? quem igitur ex istis duobus metaphorice explicare vult? Utraque sententia universalis est & utriusque contraria, quod una directe affirmat, id altera directe negat. Adeoque ipse ex ipsius regula, hoc ipsum tanquam verum amplecti & simul tanquam falsum rejicere tenetur. Deinde quid refert, quod locus

locus aliquis non directe, sed tantum per consequentiam alteri repugnet, si consequentia clara sit, & loci circumstantia, & natura metaphoricas explicationes non patiantur, quorum plurima in Bibliis reperiuntur, de quibus vide Cap. secundum (ubi ostendimus Prophetas diversas, & contrarias habuisse opiniones) & præcipue omnes illas contradictiones, quas in Historiis esse ostendimus (nempe Capitibus i x. & x.) nec opus habeo hic omnia recensere, nam dicta sufficiunt ad absurdum, quæ ex hac sententia & regula sequuntur, ejusque falsitatem & authoris præcipitatem ostendendum. Quare tam hanc, quam illam Maimonidis sententiam explodimus & pro inconsueto statuimus, quod nec Theologia rationi, nec ratio Theologizæ ancillari teneatur, sed unaquæque suum regnum obtineat. Nempe, uti diximus, ratio regnum veritatis & sapientiæ, Theologia autem pietatis, & obedientiæ: nam rationis potentia, ut jam ostendimus, non eo usque se extendit, ut determinare possit, quod homines sola obedientia absque rerum intelligentia possint esse beati: Theologia vero nihil præter hoc dictat, nihilque præter obedientiam imperat, & contra rationem nihil vult, neque potest: Fidei enim dogmata (ut in præcedente capite ostendimus) eatenus tantum determinat, quatenus obedientiæ sufficit, quomodo autem præcise ratione veritatis intelligenda sint, rationi determinandum relinquit, quæ revera mentis lux est, sine qua nihil videt præter insomnia, & figmenta. Atque hic per Theologiam præcise intelligo revelationem, quatenus indicat scopum, quem diximus

Scri-

Scripturam intendere (nempe rationem & modum obediendi, sive veræ pietatis & fidei dogmata) hoc est id quod propriè vocatur Dei verbum, quod in certo numero librorum non consistit, (qua de re vide Cap. XII) Theologiam enim sic acceptam, si ejus præcepta sive documenta virtù spes & finis, cum ratione convenire, & si ejus intentum & finem, nulla in re eidem repugnare comperies, & propterea omnibus universalis est. Quod ad totam Scripturam in genere attinet, jam etiam Cap. VII. ostendimus, ejus sensum ex sola ejus historia, & non ex universalis historia Naturæ, quæ solius Philosophiæ fundamentum est, determinandum esse; nec nobis moram injicere debet, si postquam ejus verum sensum sic investigavimus, ipsam hic illic rationi repugnare comperiamus. Nam quicquid hujus generis in Bibliis reperitur, vel quod homines salva charitate ignorare possunt, id certò scimus Theologiam sive verbum Dei non tangere, & consequenter unumquemque de iis, quicquid velit, sentire posse absque celere. Absolute igitur concludimus, quod nec Scriptura rationi, nec ratio Scripturæ accommodanta sit. Verum enim vero quandoquidem Theologiæ fundamentum, quod scilicet homines vel sola obedientia salvantur, ratione non possumus demonstrare, verum sit, an falsum, potest ergo nobis etiam objici, cur igitur id credimus? si sine ratione, tanquam cæci, id ipsum amplectimur, ergo nos etiam stultè & sine judicio agimus. Quod si contra statuere velimus, hoc fundamentum ratione demonstrari posse, erit ergo Theologia Philosophiæ pars, nec ab eadem esset separanda. Sed ad hæc

respondeo me absolute statuere hoc Theologie
 fundamentale dogma non posse lumine naturali
 investigari, vel saltem neminem fuisse, qui ip-
 sum demonstraverit, & ideo revelationem maxi-
 me necessariam fuisse: at nihilominus nos judi-
 cio uti posse, ut id jam revelatum morali saltem
 certitudine amplectamur: Dico morali certitu-
 dine, nam non est quod spectemus, nos de eo
 certiores esse posse, quam ipsos Prophetas, qui
 bus primo revelatum fuit, & quorum tamen cer-
 titudo non nisi moralis fuit, ut jam ostendimus
 Cap. II. hujus Tractatus. Si igitur tota errant
 via, qui Scripturæ authoritatem mathematicis
 demonstrationibus ostendere conantur. Nam
 Bibliorum authoritas ab authoritate Prophetarum
 dependet, adeoque ipsa nullis fortioribus argu-
 mentis demonstrari potest, quam iis quibus Pro-
 phetæ olim suam populo persuadere solebant;
 imo nullo alio fundamento nostra de eâdem
 certitudo fundari potest, quam eo quo Pro-
 phetæ suam certitudinem & authoritatem fun-
 dabant. Nam totam Prophetarum certitudi-
 nem his tribus consistere ostendimus. Nem-
 pe I. distincta & vivida imaginatione. II. Sig-
 no. III. denique & præcipue, animo ad
 æquum & bonum inclinato; nec ullis aliis ra-
 tionibus fundabantur, adeoque neque etiam
 populo, cui olim viva voce, nec nobis,
 quibus scripto loquuntur, ullis aliis rationibus
 suam authoritatem demonstrare poterunt. At
 primum, quod scilicet res vividè imagina-
 bantur, Prophetis tantum constare poterat,
 quare tota nostra de revelatione certitudo
 in

in reliquis duobus tantum, nempe Signo, & doctrina fundari potest & debet. Quod quidem Moses etiam expresse docet. Nam Deut. xviiij. jubet populum obedire Prophetæ, qui nomine Dei verum signum dedit, sed si falso aliquid, etsi nomine Dei, prædixerit, mortis tamen eundem damnare, ut & etiam eum, qui populum à vera religione seducere voluerit, tametsi suam autoritatem signis & portentis confirmaverit: qua de re vide Deut. xiij. unde sequitur verum Prophetam à falso dignosci ex doctrina & miraculo simul, talem enim Moses verum esse declarat, eiisque absque ullo fraudis timore credere jubet: atque eos falsos esse ait & reos mortis, qui falso, etsi nomine Dei, aliquid prædixerint, vel qui falsos Deos, etsi vera miracula fecissent, docuerunt. Quare nos etiam hac tantum de causa Scripturæ, hoc est ipsis Prophetis credere tenemur, nimirum propter doctrinam signis confirmatam. Nam quoniam videmus Prophetas Charitatem & Justitiam supra omnia commendare, & nihil aliud intendere, hinc concludimus, eos non dolo malo, sed ex vero animo docuisse, homines obedientia & fide beatos fieri, & quia hoc insuper signis confirmaverunt, hinc nobis persuademus, eos non temere id dixisse, neque deliravisse, dum prophetabant; in quo etiam magis confirmamur, dum attendimus quod nihil morale docuerunt, quod cum ratione planissime non conveniat, nam non temere est, quod verbum Dei in Prophetis cum ipso verbo Dei in nobis loquente omnino conveniat. Atque hæc, inquam, nos æquè certi ex Bibliis, ac olim Judæi ex viva voce Prophetarum hæc

hæc eadem concludebant. Nam supra in fine Cap. xii. ostendimus Scripturam ratione doctrinæ & præcipuarum historiarum incorruptam ad nostras manus pervenisse. Quare hoc torius Theologizæ & Scripturæ fundamentum, quamvis mathematiæ demonstratione ostendi nequeat, sano tamen judicio amplectimur. Nam inscitia quidem est id, quod tot Prophetarum testimoniiis confirmatum est, & ex quo magnum solamen iis, qui ratione non ita pollut, oritur, & Republicæ nostra mediocris utilitas sequitur, & quod absolute sine periculo aut damno credere possumus, nolle tamen amplecti, idque ea sola de causa, quia mathematicè demonstrari nequit: quasi vero ad vitam sapienter instituendam, nihil tanquam vetum admittamus, quod ulla dubitandi ratione in dubium revocari queat, aut quod plerique nostræ actiones non admodum incertæ sint, & alea plenæ. Evidem fateor, qui putant Philosophiam & Theologiam sibi invicem contradicere, & propterea alterutram è suo regno deturbandam existimant, & huic aut illi valedicendum, eos non absque ratione studere Theologizæ firma fundamenta jaceat, tamque mathematicè demonstrate conari; quis enim nisi desperatus & insanus rationi temere valedicere yeller, vel artes & scientias contemnere, & rationis certitudinem negare? at interim eos absolute excusare non possumus, quandoquidem rationem in auxilium vocare volunt ad eandem repellendam, & certa ratione eandem incertam reddere cohantur. Imo dum student mathematicis demonstrationibus Theologizæ veritatem & autoritatem ostendere, &

rationi

rationi & lumini naturali autoritatem adimere,
 nihil aliud faciunt quam ipsam Theologiam sub
 rationis imperium trahere, & planè videntur sup-
 ponere, Theologiæ autoritatem nullum habere
 splendorem, nisi lumine naturali rationis illustre-
 tur. Et, si contra jactant se interno Spiritus San-
 ti testimonio omnino acquiescere, & nulla alia
 de causa rationem in auxilium vocare, quam pro-
 pter infideles, ad eosdem scilicet convincendos,
 nil tamen fidei eorum dictis habendum, nam jam
 facile ostendere possumus, eos vel ex affectibus,
 vel vana gloria id dicere. Ex præcedente enim
 capite evidentissimè sequitur, Spiritum Sanctum
 non nisi de bonis operibus testimonium dare; quæ
 etiam Paulus ideo in Epist. ad Galat. v. 22. fructus
 Spiritus Sancti vocat, & ipse revera nihil aliud
 est, præter animi acquiescentiam, quæ ex bonis
 actionibus in mente oritur. De veritate autem &
 certitudine rerum, quæ solius sunt speculationis,
 nullus Spiritus testimonium dat, præter ratio-
 nem, quæ sola, ut jam ostendimus, veritatis
 regnum sibi vindicavit. Si quem ergo præter hunc
 Spiritum contendunt habere, qui ipsos de veri-
 tate certos reddit, id falsò jactant, & non nisi ex
 affectuum præjudicio loquuntur, vel præ magno
 timore, ne à Philosophis vincantur & publicè ri-
 sui exponantur, ad sacra confugiunt; sed frustra,
 nam quam aram sibi parare potest, qui rationis
 majestatem lœdit? verum eos missos facio, quan-
 doquidem me mæ causæ satisfecisse puto, quod
 ostenderim, qua ratione Philosophia à Theolo-
 gia separanda sit, & in quo utraque potissimum
 consistat, & quod neutra neutri ancilletur, sed
 quod

quod unaquæque subi regnum sint illa alterius repugnantia obtineat, & quod denique, ubi data fuit occasio, etiam ostenderim absurdas, incommodas & damnas, quæ secuta sunt ex eo, quod homines has duas facultates miris modis inter se confuderint, nec accurate inter ipsas distinguere, unamque ab alia separare sciverint. Jam antequam ad alia pergam, hic expresse monere volo, (tametsi jam dictum sit,) circa utilitatem, & necessitatem sacrae scripturæ, sive revelationis, quod ipsam permagnam statuo. Nam, quandoquidem non possumus lumine naturali percipere, quod simplex obedientia via ad salutem sit, sed sola revelatione doceat, id ex singulari Dei gratia, quam ratione assequi non possumus, fieri, hinc sequitur Scripturam magnum admodum solamen mortali bus attulisse. Quippe omnes absolute obedire possunt, & non nisi paucissimi sunt, si cum toto humano genere comparentur, qui virtutis habitum solo rationis ductu acquirunt, adeoque, nisi hoc ex Scripturæ testimonium haberemus, de omnium fere salute dubitaremus.

C A P U T X V I .

De Reipublice Fundamentis; de jure uniuscuiusque naturali & civili; deque Summarum Potestatum Iure.

Huc usque Philosophiam à Theologia separare curavimus & libertatem philosophandi ostendere, quam hæc unicuique concedit. Quare tempus est ut inquiramus quousque hæc libertas sentiendi, & quæ unusquisque

quisque sentit, dicendi in optima Republica se extendat. Hoc ut ordine examinemus, de fundamētis Reipublicæ differendum, & prius de jure naturali uniuscujusque, ad Rēpublicam & Religionem nondum attendentes.

Per jus & institutum naturæ nihil aliud intelligo, quam regulas naturæ uniuscujusque individui secundum quas unumquodque naturaliter determinatum concipimus ad certō modō existendum & operandum. Ex. Gr. Pisces à natura determinati sunt ad natandum, magni ad minores comedendum, adeoque pisces summo naturali jure aquā potiuntur, & magni minores comedunt. Nam certum est naturam absolute consideratam jus summum habere ad omnia, quæ potest, hoc est, jus naturæ eo usque se extendere, quo usque ejus potentia se extendit; naturæ enim potentia ipsa Dei potentia est, qui summum jus ad omnia habet: sed quia universalis potentia totius naturæ, nihil est præter potentiam omnium individuorum simul, hinc sequitur unumquodque individuum jus summum habere ad omnia, quæ potest, sive, jus uniuscujusque eo usque se extendere, quo usque ejus determinata potentia se extendit: Et quia lex summa naturæ est, ut unaquæque res in suo statu, quantum in se est, conetur perseverare, idque nulla alterius sed tantum sui habita ratione, hinc sequitur unumquodque individuum jus summum ad hoc habere, hoc est, (uti dixi) ad existendum & operandum prout naturaliter determinatum est. Nec hic ullam agnoscimus differentiam inter homines & reliqua naturæ individua, neque inter homines ratione præditos & inter alios, qui veram

tam rationem ignorant, neque inter fatuos, delirantes, & sanos. Quicquid enim unaquaque res ex legibus suæ naturæ agit, id summo jure agit, nimis quia agit, prout ex natura determinata est, nec aliud potest. Quare inter homines, quamdiu sub imperio solius naturæ vivere considerantur, tam ille qui rationem nondum novit, vel qui virtutis habitum nondum habet, ex solis legibus appetitus summo jure vivit, quam ille qui ex legibus rationis vitam suam dirigit. Hoc est sicuti sapiens jus summum habet ad omnia, quæ ratio dictat, sive ex legibus rationis vivendi; sic etiam ignarus, & animi impotens summum jus habet, ad omnia, quæ appetitus suadet, sive ex legibus appetitus vivendi. Atque hoc idem est, quod Paulus docet, qui ante legem, hoc est, quamdiu homines ex naturæ imperio vivere considerantur, nullum peccatum agnoscit.

Jus itaque naturale uniuscujusque hominis non sana ratione, sed cupiditate & potentia determinatur. Non enim omnes naturaliter determinati sunt ad operandum secundum regulas & leges rationis; sed contra, omnes ignari omnium rerum nascuntur, & antequam veram vivendi rationem noscere possunt & virtutis habitum acquirere, magna ætatis pars, et si bene educati fuerint, transit, & nihilominus interim vivere tenentur, seque, quantum in se est, conservare, nempe ex solo appetitus impulsu: quandoquidem natura iis nihil aliud dedit & actualem potentiam ex sana ratione vivendi denegavit, & propterea non magis ex legibus sanæ mentis vivere tenentur, quam felis ex legibus naturæ leoninæ. Quicquid itaque unusquis-

que, qui sub solo naturæ imperio consideratur, sibi utile vel ductu sanæ rationis, vel ex affectu-
um impetu judicat, id summo naturæ jure appe-
tere, & quacunque ratione, sive vi, sive dolo,
sive precibus, sive quocunque demum modo faci-
lius poterit, ipsi capere licet, & consequenter
pro hoste habere eum, qui impedire vult, quomi-
nus animum expleat suum.

Ex quibus sequitur Jus & Institutum naturæ, sub quo omnes nascuntur, & maxima ex parte vi-
vunt, nihil nisi quod nemo cupit, & quod nemo
potest, prohibere; non contentiones, non odia,
non iram, non dolos, nec absolute aliquid quod
appetitus suadet aversari: nec mirum, nam natura
non legibus humanæ rationis, quæ non nisi homi-
num verum utile, & conservationem intendunt,
intercluditur, sed infinitis aliis, quæ totius na-
turæ, cuius homo particula est, æternum ordi-
nem respiciunt: Ex cuius sola necessitate omnia in-
dividua certo modo determinantur ad existendum
& operandum. Quicquid ergo nobis in natura
ridiculum, absurdum, aut malum videtur, id
inde venit, quod res tantum ex parte novimus,
totiusque naturæ ordinem & cohærentiam maxi-
mia ex parte ignoramus, & quod omnia ex usu
nostræ rationis dirigi volumus, cum tamen id
quod ratio malum esse dictat, non malum sit re-
spectu ordinis & legum universæ naturæ; sed tan-
tum solius nostræ naturæ legum respectu.

Verum enim vero quanto sit hominibus utilius
secundum leges, & certa nostræ rationis dictami-
na vivere, quæ uti diximus, non nisi verum homi-
num utile intendunt, nemo potest dubitare. Præ-
terea

terea nullus est qui non cupiat secure extra metum, quoad fieri potest, vivere; quod tamen minime potest contingere, quamdiu unicuique ad lumen omnia facere licet, nec plus juris rationi, quam odio & iræ conceditur: nam nullus est qui inter inimicitias, odia, iram & dolos non anxie vivat, quæque adeo quantum in se est non concutur vitare. Quod si etiam consideremus homines absque munquo auxilio miserrime, & absque rationis cultu necessario vivere, ut in Cap. V. ostendimus, clarissime videbimus homines ad secure, & optime vivendum necessario in unum conspirare debuisse, ac proinde effecisse, ut jus quod unusquisque ex natura ad omnia habebat, collective haberent, neque amplius ex vi & appetitu uniuscujusque, sed ex omnium simul potentia, & voluntate determinaretur. Quod tamen frustra tentassent, si, nisi quod appetitus suadet, sequi vellet (ex legibus enim appetitus unusquisque diversè trahitur) adeoque firmissime statuere, & pacisci debuerunt ex solo rationis dictamine (cui nemo aperte repugnare audet, ne mente carere videatur) omnia dirigere, & appetitum quatenus in damnum alterius aliquid suadet, frenare, nemini que facere, quod sibi fieri non vult, jusque denique alterius tanquam suum defendere. Qua autem ratione pactum hoc iniri debeat ut ratum fixumque sit, hic jam videndum. Nam lex humanæ naturæ universalis est, ut nemo aliquid, quod bonum esse judicat, negligat, nisi spe majoris boni, vel ex metu majoris damni; nec aliquod malum perferat, nisi ad maius evitandum, vel spe majoris boni: Hoc est, unusquisque de duobus bonis quod ipse maius esse

esse judicat; & de duobus malis, quod minus sibi
videtur, eliget. Dico expresse quod sibi eligenti
majus aut minus videtur, non quod res necessario
ita se habeat, ut ipse judicat. Atque haec lex adeo
firmiter naturae humanae inscripta est, ut inter æter-
nas veritates sit ponenda, quas nemo ignorare po-
test. At ex ea necessario sequitur neminem absque
dolo promissurum, se jure, quod in omnia habet,
cessurum, & absolute neminem promissis statu-
rum, nisi ex metu majoris mali vel spe majoris boni.
Quod ut melius intelligatur, ponatur Latronem
mecogere ut ei promittam mea bona, ubi ve-
lit, ipsi daturum. Jam quandoquidem, ut jam
ostendi, meum jus naturale sola mea potentia de-
terminatur, certum est quod si possum dolo me
ab hoc Latrone liberare, ipsi quicquid velit pro-
mittendo, mihi id naturæ jure facere licere, dolo
scilicet quicquid velit pacisci. Vel ponatur, me
absque fraude alicui promisisse me spatio viginti
dierum non gustaturum cibum neque ullum ali-
mentum, & postea vidisse me stulte promisisse,
nec sine damno maximo promisso stare posse,
quandoquidem ex jure naturali de duobus malis
minus eligere teneor, possum ergo summo jure
fidem talis pacti rumpere, & dictum indictum ut
sit facere. Atque hoc, inquam, jure naturali licere,
sive vera & certa ratione videam, sive ex opinione
videre videar me male promisisse: sive enim id
vere, sive falso videam, maximum timebo ma-
lum, quodque adeo ex naturæ instituto omni mo-
do vitare conabor. Ex quibus concludimus pa-
ctum nullam vim habere posse, nisi ratione utili-
tatis, qua sublata pactum simul tollitur, & irri-
tum

tum manet. Ac propterea stulte alterius fidem in aeternum sibi aliquem expostulare, si simul non conatur efficere, ut ex ruptione pacti ineundi plus damni quam utilitatis ruptorem sequatur: quod quidem in Republica instituenda maxime locum habere debet. At si omnes homines facile solo ductu rationis duci possent, summamque Reipublicæ utilitatem & necessitatem noscere, nullus esset, qui dolos prorsus non detestaretur; sed omnes summa cum fide ex cupiditate summi hujus boni, nempe Reipublicæ conservandæ, pactis omnino starent, & fidem summum Reipublicæ praesidium, supra omnia servarent; sed longe abest ut omnes ex solo ductu rationis facile semper duci possint: nam unusquisque à sua voluptate trahitur, & avaritiâ, gloriâ, invidiâ, irâ &c. saepissime mens ita occupatur, ut nullus locus rationi relinquatur: quapropter quamvis homines certis signis simplicis animi promittant, & paciscantur se fidem servaturos, nemo tamen nisi promisso aliud accedit, de fide alterius potest esse certus; quandoquidem unusquisque naturæ jure, dolo agere potest, nec pactis stare tenetur, nisi spe majoris boni vel metu majoris mali. Verum quia jam ostendimus jus naturale sola potentia uniuscujusque determinari, sequitur quod quantum unusquisque potentiaz, quam habet, in alterum vel vi, vel sponte transfert, tantum etiam de suo jure alteri necessario cedere, & illum summum jus in omnes habere, qui summam habet potestatem, qua omnes vicogere, & metu summi supplicii, quod omnes universaliter timent, retinere potest: quod quidem jus tamdiu tantum retinebit, quamdiu hanc

potentiam quicquid velit exequendi, conservabit; alias precariò imperabit, & nemo fortior, nisi velit, ei obtemperare tenebitur.

Hac itaque ratione sine ulla naturalis juris repugnantia, societas formari potest, pactumque omne summa cum fide semper servari; si nimisrum unusquisque omnem, quam habet, potentiam in societatem transferat, quæ adeo summum naturæ jus in omnia, hoc est, summum imperium sola retinebit, cul unusquisque vel ex libero animo, vel metu summi supplicii parere tenebitur. Talis vero societatis jus *Democratia* vocatur, quæ proinde definitur cætus universus hominum qui collegialiter summum jus ad omnia, quæ potest, habet. Ex quo sequitur summam potestatem nulla lege teneri, sed omnes ad omnia ei parere debere: hoc enim tacitè vel expresse pacisci debuerunt omnes, cum omnem suam potentiam se defendendi, hoc est, omne suum jus in eam transtulerunt. Quippe si aliquid sibi servatum volebant, debuerant simul sibi cavere, quo id tuto defendere possent; cum autem id non fecerint, nec absque imperii divisione, & consequenter destructione facere potuerint, eo ipse se arbitrio summæ potestatis absolute submiserunt: quod cum absolute fecerint, idque (ut jam ostendimus) & necessitate cogente, & ipsa ratione suadente, hinc sequitur quod, nisi hostes imperii esse velimus, & contra rationem, imperium summis viribus defendere suadentem, agere, omnia absolute summæ potestatis mandata exiqui tenemur, tametsi absurdissima imperet; talia enim ratio exequi etiam jubet, ut de duobus malis minus eligamus. Adde quod hoc periculum, se scilice t

licet alterius imperio & arbitrio absolute submit-tendi, facile unusquisque adire poterat; nam, ut ostendimus, summis potestatibus hoc jus, quicquid velint imperandi, tamdiu tantum competit, quamdiu revera summatam habent potestatem: quod si eandem amiserint, simul etiam jus omnia impe-randi amittant, & in eum vel eos cadit, qui ipsum acquisiverunt, & retinere possunt. Quapropter raro admodum contingere potest, ut summæ potestates absurdissima imperent, ipsis enim maxime incumbit, ut sibi prospiciant, & imperium retineant, communi bono consulere, & omnia ex rationis dictamine dirigere: violenta enim imperia, ut ait Seneca, nemo continuit diu. Quibus accedit, quod in democratico imperio minus timenda sunt absurdæ. Nam fere impossibile est, ut major unius ~~cattus~~ pars, si magnus est, in uno absurdo conveniat: deinde propter ejus fundatum & finem, qui, ut etiam ostendimus, nullus aliis est quam absurdæ appetitus vitare, & homines sub rationis limites, quoad ejus fieri potest, continere, ut concorditer & pacifici vivant; quod fundamentum si tollatur, facile tota fabrica ruet. His ergo providere summæ tantum potestati in-cumbit, subditis autem, uti diximus, ejus man-data exequi, nec aliud jus agnoscere, quam quod summa potestas jus esse declarat. At forsan aliquis putabit, nos hac ratione subditos servos facere, quia putant servum esse eum, qui ex man-dato agit: & liberum, qui animo suo morem gerit, quod quidem non absolute verum est; nam revera is qui à sua voluptate ita trahitur, & nihil quod si-bi utile est, videre neque agere potest, maxime

servus est, & sibi ille liber qui integro animo ex solo ductu rationis vivit. Actio autem ex mandato, hoc est, obedientia libertatem quidem aliquo modo tollit, at non illico servum facit, sed actionis ratio. Si finis actionis non est ipsius agentis, sed imperantis utilitas, tum agens servus est, & sibi inutilis: at in Republica & imperio, ubi salus totius populationis imperantis, summa lex est, qui in omnibus summis potestati obtemperat, non sibi inutilis servus, sed subditus dicendus; & ideo illa Respublica maxime libera est, cujus leges sana ratione fundatae sunt, ibi enim unusquisque, ubi velit, liber esse potest, hoc est, integro animo ex ductu rationis vivere. Sic etiam liberi, tametsi omnibus parentum mandatis obedire tenentur, non tamen servi sunt; nam parentum mandata liberorum utilitatem maxime spectant. Magnam ergo differentiam inter servum, filium, & subditum agnoscimus, qui propterea sic definiuntur, nempe, servus est, qui mandatis domini, quae utilitatem imperantis tantum spectant, obtemperare tenetur: Filius autem qui id quod sibi utile est ex mandato parentis agit; subditus denique qui id quod communis & consequenter quoque sibi utile est, ex mandato summæ potestatis agit. Atque his imperii democratici fundamenta satis clare ostendisse putto; de quo præ omnibus agere malui, quia maxime naturale videbatur, & maxime ad libertatem, quam natura unicuique concedit, accedere. Nam in eo nemo jus suum naturale ita in alterum transfert, ut nulla sibi imposterum consultatio sit, sed in majorem totius Societatis partem, cuius ille unam facit. Atque hac ratione omnes manent, ut

antea

antea in statu naturali, aequales. Deinde de his solo imperio ex professo agere volui, quia ad meum intentum maxime facit, qui de utilitate libertatis in Republica agere constitueram. Reliquarum ergo potestatum fundamentis supersedeo, nec nobis, ut earum jus noscamus, scire jam opus est, unde ortum habuerint, & saepe habeant, id enim ex modo ostensissatis superque constat. Nam quisquis summam habet potestatem, sive unus sit, sive pauci, sive denique omnes, certum est ei summum jus, quicquid velit, imperandi, competere: & praeterea quisquis potestatem se defendendi sive sponte, sive vi coactus in alium transtulit, eum suo jure naturali plane cessisse & consequenter eidem ad omnia absolute parere decreuisse, quod omnino præstare tenetur, quandiu Rex, sive Nobiles, sive Populus summam, quam acceperunt, potestatem, quæ juris transferendi fundamentum fuit, conservant, nec his plura addere opus est.

Imperii fundamentis & jure ostensis, facile erit determinare, quid jus civile privatum, quid injuria, quid justitia, & injustitia in statu civili sit: deinde quis confoederatus, quis hostis & quid denique crimen læse majestatis sit. Per jus enim civile privatum nihil aliud intelligere possumus, quam uniuscujusque libertatem ad se in suo statu conservandum, quæ editis summae potestatis determinatur, solaque ejusdem autoritate defenditur. Nam postquam unusquisque jus suum ex proprio beneplacito vivendi, quo sola sua potestate determinabatur, hoc est, suam libertatem & potentiam se defendendi in alium transtulit, ex sola illius ratione jam vivere tenetur, & solo ejusdem

ejusdem præsidio se defendere. Injuria est, cum civis vel subditus ab alio aliquod damnum contra jus civile, sive edictum summæ potestatis pati cogitur: Injuria enim non nisi in statu civili potest concipi: sed neque à summis potestatibus, quibus jure omnia licent, ulla fieri potest subditis; ergo in privatis tantum, qui jure tenentur invicem non lèdere, locum habere potest. Justitia est animi constantia tribuendi unicuique quod ei ex jure civili competit: Injustitia autem est specie juris alicui detrahere, quod ei ex vera legum interpretatione competit: vocantur etiam æquitas & iniquitas, quia qui constituti sunt ad lites dirimendas nullum respectum personarum, sed omnes æquales habere tenentur, & jus uniuscujusque æque defendere; non diviti invidere, neque pauperem contemnere. Confœderati sunt homines duarum ciuitatum, qui, ne belli discrimine in periculum veniant, vel ob aliam quamcumque utilitatem inter se contrahunt se invicem non lèdere, sed contra necessitate cogente opitulari, idque unoquoque suum imperium retinente. His contractus tamdiu erit validus, quamdiu ejus fundatum nempe ratio periculi, sive utilitatis in medio erit: quippe nemo contrahit, nec pactis stare tenetur, nisi spe alicujus boni, vel sollicitudine alicujus mali: quod fundatum si tollatur pactum ex se se tollitur; quod etiam experientia fatis superque docet. Nam quamvis diversa imperia inter se contrahant se invicem non lèdere, conantur tamen, quantum possunt, impedire quominus alterutrum potentius evadat; nec fidem dantis habent nisi utriusque ad contrahendum finem & utili-

& utilitatem satis perspectam habuerint , alias dolum timent , nec injuria ; quis enim dictis & promissis ejus qui summam potestatem , & jus retinet ad quidlibet faciendum , & cui sui imperii salus & utilitas summa lex debet esse , acquiesceret , nisi stultus , qui summarum potestatum jus ignorat : & si præterea ad pietatem , & religionem attendamus , videbimus insuper neminem , qui imperium tenet , absque scelere promissis stare posse cum damno sui imperii ; quicquid enim promisit quod in damnum sui imperii cadere videt , id præstare non potest , nisi fidem subditis datam solvendo , qua tamen maxime tenetur , & quam etiam servare , sanctissime promittere solent . Porro hostis est quicumque extra civitatem ita vivit , ut neque ut confederatus , neque ut subditus imperium civitatis agnoscit : hostem enim imperii non odium , sed jus facit , & jus civitatis in eum , qui ejus imperium nullo contrahendigenere agnoscit , idem est ac in eum qui damnum intulit ? quippe quacunque ratione poterit , eundem vel ad deditio[n]em , vel ad confæderationem jure potest cogere . Denique crimen læsæ majestatis in subditis sive civibus tantum , qui pacto tacito vel expresso omne suum jus in civitatem transtulerunt , locum habet , atque is subditus tale crimen commisso dicitur , qui jus summae potestatis aliqua ratione arripere , seu in alium transferre conatus est . Dico conatus est , nam si non essent condemnandi nisi post factum commissum , sero plerumque post jus arreptum , aut translatum in alium id conaretur civitas . Dico deinde absolute qui aliqua ratione jus summae potestatis arripere conatur , nullam scilicet agnos-

agnoscendo differentiam, sive inde datum sive
incrementum totius Reipublicæ quam clarissime
sequeretur. Quacunque enim ratione id conatus
est, majestatem læsit & jure damnatur, quod quidem
in bello omnes fatentur jure optimo fieri; nempe
si quis stationem suam non servat, sed inscio im-
peratore hostem adit, quamvis bono consilio, sed
suo, rem agressus fuerit, hostemque expugna-
verit; capit is tamen jure damnatur, quia jura-
mentum jusque imperatoris violavit. At quod
omnes absolute cives hoc jure semper teneantur,
non æquè clarè omnes vident, ratio tamen eadem
prosorsus est. Nam quandoquidem Respublica so-
lo summæ potestatis consilio debet conservari, &
dirigi, hocque jus ei soli competere absolute pa-
eti sunt, si quis ergo solo suo arbitrio, & inscio
supremo consilio negotium aliquod publicum ag-
gressus est exequi, quamvis inde incrementum ci-
vitatis, uti diximus, certo sequeretur, jus ta-
men summæ potestatis violavit, & majestatem læ-
sit, atque jure merito damnatur.

Supereft jam, ut omnem scrupulum amovea-
mus, respondere an id s̄quod supra affirmavimus,
quod scilicet unusquisque, qui rationis usum non
habet, in statu naturali ex legibus appetitus sum-
mo jure naturæ vivit, non aperte juri divino re-
velato repugnet? nam cum omnes absolute (sive
rationis usum habeant sive minus) æque teneren-
tur ex mandato divino proximum tanquam se ip-
sum amare, non ergo sine injuria alteri damnum
inferre possumus & solis legibus appetitus vivere.
Verum huic objectioni, si tantum ad statum natu-
ralem attendimus, facile respondere possumus;

nam

nam is & natura & tempore prior est religione. Nemo enim ex natura scit, se ulla erga Deum teneri obedientia, immo nec ulla ratione hoc assequi, sed tantum ex revelatione signis confirmata unusquisque id habere potest. Quare ante revelationem nemo jure divino, quod non potest non ignorare, tenetur. Et ideo status naturalis cum statu religionis minime confundendus, sed absque religione, & lege, & consequenter absque peccato & injuria concipiendus, ut jam fecimus; & Pauli autoritate confirmavimus. Nec tantum ratione ignorantiae statum naturalem ante jus divinum revelatum, & absque eodem concipimus, sed etiam ratione libertatis, qua omnes nascuntur. Si enim homines ex natura jure divino tenerentur, vel si jus divinum ex natura jus esset, superfluum erat ut Deus cum hominibus contractum iniret, & pacto & juramento eosdem obligaret. Quare absolute concedendum jus divinum ab eo tempore incepisse, à quo homines expresso pacto Deo promiserunt in omnibus obedire, quo sua libertate naturali quasi cesserunt, jusque suum in Deum transstulerunt, sicuti in statu civili fieri diximus. Sed de his in sequentibus prolixius agam. Verum instari adhuc potest, quod summæ potestates æque ac subditi hoc jure divino tenerentur, quas tamen diximus jus naturale retinere, & iis omnia jure licere. Quare ad hanc integrum amovendam difficultatem, quæ non tam ex ratione status, quam juris naturalis oritur, dico quod unusquisque in statu naturali eadem ratione tenetur jure revelato, ac tenetur ex dictamine sanæ rationis vivere; nempe quia ipsi utilius est & ad salutem necessarium;

um; quod si nollet, cum suo periculo licet. Atque addeo ex solo proprio, non autem ex alterius decreto vivere, neque aliquem mortalem judicem, nec jure religionis vindicem agnoscere tenetur. Atque hoc jus summam potestatem retinuisse affirmo, quæ quidem homines consulere potest, at neminem judicem agnoscere tenetur, nec ullum mortalem præter se alicujus juris vindicem, nisi prophetam, qui expresse à Deo missus fuerit, quique id indubitatis signis ostenderit. At nec tunc quidem hominem, sed Deum ipsum judicem agnoscere cogitur. Quod si summa potestas nollet Deo in jure suo revelato obedire, id ipsi cum suo periculo, & damno licet, nullo scilicet jure civili vel naturali repugnante: Jus enim civile ab ejus decreto tantum pendet: Jus autem naturale pendet à legibus naturæ, quæ non Religioni, humanum tantum utile intendentि, sed ordini universæ naturæ, hoc est, æterno Dei decreto nobis incognito accommodatae sunt. Quod quidem alii obscurius concepisse videntur, qui scili statuunt, hominem contra voluntatem Dei revelatam quidem, sed non contra ejus æternum decretum, quo omnia prædeterminavit, posse peccare. Si quis autem jam roget, quid si summa potestas aliquid contra religionem, & obedientiam, quam Deo expresso pacto promisimus, imperet? divino an humano imperio obtemperandum? Sed quia de his in sequentibus prolixius agam, hic breuiter tantum dico, Deo supra omnia obediendū, quando certam, & indubitatem habemus revelationem: Sed quia circa religionem maxime errare solent homines, & pro ingeniorum diversitate multa magno certamine fingere,

ut

ut experientia plus quam satis testatur, certum est, quod si nemo summæ potestati jure teneretur obtemperare in iis quæ ipse ad religionem pertinere putat, tum jus civitatis à diverso uniuscujusque judicio & affectu penderet. Nam nemo eodem teneretur, qui id contra suam fidem, & superstitionem statutum judicaret, atque adeo unusquisque sub hoc prætextu licentiam ad omnia sumere posset: & quandoquidem hac ratione jus civitatis prorsus violatur, hinc sequitur summæ potestati, cui soli jura imperii conservare, & tutari tam jure divino, quam naturali incubuit, jus summum competere de religione statuendi, quicquid judicat, & omnes ad ejusdem de eadem decreta, & mandata, ex fide ipsi data, quam Deus omnino servari jubet, obtemperare teneri. Quod si ii, qui summum tenent imperium, sint Ethnici, vel cum iis nihil contrahendum, sed potius quam jus suum in eos transferant, extrema pati deliberandum, vel si contraxerint, jusque suum in eos transculerint, quandoquidem eo ipso se, religionemque defendendi privaverunt, iis obtemperare tenentur, fidemque servare, vel ad id cogi, excepto eo cui Deus certa revelatione singulare contra Tyrannum promiserit auxilium, vel nominatim exceptum voluit. Sic videmus ex tot Judæis, qui Babylone erant, tres tantum juvenes, qui de Dei auxilio non dubitabant, Nabucodonozori obtemperare noluisse: reliqui autem sine dubio excepto etiā Danièle, quem Rex ipse adoraverat, jure coacti obtemperaverunt, animo forte reputantes se ex Dei decreto Regi deditos, Regemque summum obtinere imperium & divina directione conservare.

Contra Eleazarus stante adhuc utsunquē Patria, exemplum constantias suis dare voluit, ut eum lecuti omnia potius tolerarent, quam paterentur jūs suum & potestatem in Græcos transferri, & omnia experirentur, ne in Ethnicorum fidem jurare cogerentur; quod etiam quotidiana experientia confirmatur. Qui enim Christianum imperium obtinent ad majorem ejus securitatem non dubitant fædus cum Turcis & Ethnicis pangere, subditosque suos, qui eō habitatum eunt, jubere ne majorem libertatem ad aliquid humanum aut divinum exercendum sumant, quam expresse contraxerunt, vel illud imperium concedit. Ut patet ex contractu Belgarum cum Japonensibus, de quo supra diximus.

C A P U T X V I I.

Ostenditur neminem omnia in Summam Potestatem transferre posse, nec esse necesse: De Republica Hebreorum, qualis fuerit vivens Mose, qualis post ejus mortem antequam Reges elegerint, deque ejus prastantia: & denique de causis cur Respublica divina interire, & vix absque seditionibus subsistero potuerit.

Contemplatio præcedentis Capitis de jure summarum potestatum in omnia, deque jure naturali uniuscujusque in eandem translato, quamvis cum praxi non parum conveniat, & praxis ita institui possit, ut ad eandem magis ac magis accedat, nunquam tamen fiet,

fiet, quin in multis merè theoretica maneat. Nam nemo unquam suam potentiam & consequenter neque suum jus ita in alium transferre poterit, ut homo esse desinat; nec talis ulla summa potestas unquam dabitur quæ omnia, ita ut vult, exequi possit: Frustra enim subdito imperaret, ut illam odio habeat qui eum sibi beneficio junxit, ut amet qui ei damnum intulit, ut contumeliis non offendatur, ut à metu liberari non cupiat, & alia plurima hujusmodi quæ ex legibus humanæ naturæ necessario sequuntur, atque hoc ipsam etiam experientiam clarissime docere existimo; nam nunquam homines suo jure ita cesserunt, suamque potentiam in alium ita transtulerunt, ut ab iis ipsis, qui eorum jus, & potentiam acceperunt, non timerentur, & imperium, non magis propter cives, quamquam suo jure privatos, quam propter hostes periclitaretur; & satis si homines jure suo naturali ita privari possent, ut nihil in posterum possent, nisi volentibus iis, qui supremum Jus retinuerunt, tum profecto impune violentissime in subditos regnare liceret: quod nemini in mentem venire posse credo. Quare concedendum unumquemque multa sibi sui juris reservare, quæ propterea à nullius decreto sed à suo solo pendent. Attamen ut rectè intelligatur quo usque imperii jus & potestas se extendat, notandum imperii potestatem non in eo præcise contineri, quod homines metu cogere potest, sed absolute in omnibus quibus efficere potest, ut homines ejus mandatis obsequantur: non enim ratio obtemperandi, sed obtemperantia subditum facit. Nam quacunq; ratione homo deliberet summæ potestatis man-

data exequi , sive ideo sit quod peccatum timet , sive quod aliquid inde sperat , sive quod Patriam amat , sive alio quocunque affectu impulsus , tamen ex proprio suo consilio deliberat , & nihilominus ex summæ potestatis imperio agit . Non igitur ex eo quod homo proprio consilio aliquid facit , illoco concludendum eum id ex suo , & non imperii jure agere ; nata quandoquidem tam cum ex amore obligatus , quam cum metu coactus ad malum evitandum , semper ex proprio consilio , & decreto agit , vel imperium nullum esset , nec ullum jus in subditos , vel id necessario ad omnia se extendit , quibus effici potest , ut homines ipsi cedere deliberent , & consequenter quicquid subditus facit , quod mandatis summæ potestatis responderet , sive id amore obligatus , sive metu coercitus , sive (quod quidem magis frequens) ex spe & metu simul , sive ex reverentia , quæ passio est ex metu & admiratione composita , sive quacunque ratione ductus , ex jure imperii , non autem suo agit . Quod etiam hinc quam clarissime constat , quod obedientia non tam externam , quam animi internam actionem respi- ciat ; adeoque ille maxime sub alterius imperio est , qui alteri integro animo ad omnia ejus mandata obtemperare deliberat , & consequenter eum maximum tenere imperium , qui in subditorum animos regnat ; quod si qui maxime timentur , maximum tenerent imperium , tum profecto id Tyrannorum subditi tenerent , qui à suis Tyrannis maxime timentur . Deinde quamvis non perinde animis , ac linguis imperari possit , sunt tamen animi aliqua ratione sub imperio summæ potestatis , quæ multis modis efficere potest , ut permagna hominum pars , quic-

quicquid vult, credat, amet, odio habeat &c.
Adeoque etsi hæc non directo mandato summæ po-
testatis fiant, fiunt tamen sepe, ut experientia
abunde testatur, ex autoritate ipsius potentiarum;
& ipsius directione, id est, ex ipsius jure: quare
sine ulla intellectus repugnantia concipere possu-
mus homines, qui ex solo imperii jure credunt,
amant, odio habent, contemnunt & absolute
nullo non affectu corripiuntur.

At quanquam hac ratione jus & potestatem impe-
rii satis amplam concipimus, nunquam tamen fiet,
ut ullum ad eō magnum detur, ut ii, qui id tenent,
potentiam absolute ad omnia, quæ velint, habeant,
quod me jam satis clare ostendisse, puto. Quia au-
tem ratione imperium formati posset, ut nihilomi-
nis secure semper conservetur, jam dixi meum in-
tentum esse, id ostendere, attamen ut ad id,
quod volo perveniam, ea notabo, quæ in hunc si-
nem divina revelatio Mosen olim docuit, & deinceps
Hebræorum historias, & successus perpendemus,
ex quibus tandem videbimus, quænam præcipue
subditis, ad majorem imperii securitatem, & incre-
mentum concedenda sunt à summis potestatibus.

Quod imperii conservatio præcipue pendeat à
subditorum fide, eorumq; virtute & animi constan-
tia in exequendis mandatis, ratio, & experientia
quam clarissime docent: qua autem ratione iidem
duci debeant, ut fidem & virtutem constanter ser-
vent, non æque facile est videre. Omnes namque,
tam qui regunt, quam qui reguntur, homines sunt
ex labore scilicet proclives ad libidinem. Imo qui
tantum varium multitudinis ingenium experti sunt,
de eo fere desperant: quia non ratione, sed solis affe-

cibis gubernatur, præceps ad omnia. & facil-
 lime vel avaritia vel luxu corrumpitur: Unul-
 quisque solus omnia se scire putat, & omnia ex suo
 ingenio moderari vult, & eatehus aliquid æquum
 vel iniquum, fasque nefasque existimat, quatenus
 in suum lucrum vel damnum cadere judicat, præ-
 gloria æquales contemnit, nec ab iis dirigi pati-
 tur: præ invidia melioris laudis, vel fortunæ,
 quæ nunquam æqualis est, malum alterius cupit,
 eoque delectatur: nec opus est omnia recensere,
 norunt quippe omnes quid sceleris fasidium præ-
 sentium & rerum novandarum cupiditas, quid
 præceps ira, quid contempta paupertas frequenter
 luadeant hominibus, quantumque eorum animos
 occupent agitantque. His ergo omnibus præve-
 nire & imperium ita constituere, ut nullus locus
 fraudi relinquatur, imo omnia ita instituere, ut
 omnes cuiuscunque ingenii sint, jus publicum pri-
 vatis commodis præferant, hoc opus hic labor est.
 Rei quidem necessitas multa excogitare coëgit, at-
 tamen nunquam eo perventum est, ut imperium
 non magis propter cives, quam hostes periclitare-
 tur, & qui id tenent, non magis illos, quam hos
 timerent. Testis invictissima ab hostibus Roma-
 norum Respublica, toties à suis civibus victa &
 miserrime oppressa, ac præcipue in bello civili
 Vespasiani contra Vitellium: Qua de re vide Ta-
 citum in initio libri IV. Histor. ubi miserrimam
 urbis faciem depingit. Alexander simplicius (ut ait
 Curtius in fine libri VIII.) famam in hoste quam in
 cive æstimabat, quippe à suis credebat magnitu-
 dinem suam posse destrui &c. Et fatum suum ti-
 mens amicos hæc præcatur. *Vos modo me ab intestina
 fraude*

fraude & domesticorum infidus præstare scitum, belli
 martisque discrimen impavidus subibo. Philippus in acie
 superior quam in theatro fuit, hostium maxum saepe rieavit,
 suorum effugere non valuit. Alterum quoque Regum exi-
 tui si reputaveritis, plures sunt quam ab hoste intercep-
 tannerabim (vide Q. Curtii lib. 9. 5. 6.) Hac igitur
 de caula Reges, qui olim imperium usurpaverant,
 ad se scilicet lectoros præstandos, persuadere conati
 sunt, se genus suum à Diis immortalibus ducere.
 Nimirum quia putabant, si modo subditi & omnes
 eisdem non ut æquales alpicerent, sed Deos esse
 crederent, libenter se ab iisdem regi paterentur,
 sed que facile ipsis dederent. Sic Augustus Roma-
 nis perhiasit se ab Aenea, qui Veneris filius & inter
 Deos eredebatur, originem suam ducere: Se tem-
 plis, & effigie numismum, per flamines & sacerdo-
 tes coli voluit. (Tac. Annal. lib. 1.) Alexander ut
 Jovis filius salutari voluit; quod quidem consilio
 non atitem ex superbia fecisse videtur, ut ejus re-
 sponsio ad Hermolai invectivam indicat. Illud, in-
 quid, puto risu dignum fuit, quod Hermolaus postulabat
 me, ut aversaret Iovem, cuius oraculo cognoscor. An
 etiam quid Dii respondant in mea potestate est? obtulerit
 nonen filii mihi, recipere (NB.) ipsis rebus quas agimus,
 hanc alienum fuit. Utinam Indi quoque Deum esse me
 credant. Nam enim bella constat, & saepe quod false
 credidum est veri vicem obtinuit. (Curtii lib. 8. 9. 8.)
 Quibus paucis acutæ rem simulatam ignaris persua-
 dere pergit, & simul causam simulationis innuit.
 Quod etiam Cleo in sua oratione, qua Macedoni-
 bus conabatur persuadere ut Regi assentarentur,
 fecit; postquam enim laudes Alexandri cum admis-
 ratione narrando, ejusdemque merita recensendo,

simulationi speciem veri dedit, ad rei utilitatem sic transit. Persas quidem, non p[er]iculum solum, sed etiam prudenter Reges suos inter Deos colere: Majestatis enim salutis esse tutelam & tandem cocludit, semet ipsum, cum Rex iniisset convivium, prostraturum bumi corpus. Debere idem facere caeres & imprimis sapientia predicas. (vide ejusdem lib. 8. s. 5.) Sed prudentiores erant Macedones, nec homines nisi prorsus barbari sint, tam apertefalli & ex subditis inutiles sibi servi fieri patiuntur. Alii autem facilius persuadere potuerunt Majestatem sacram esse & vicem Dei in terra gerere, & à Deo, non autem ab hominum suffragio, & consensu constitui, singularique praevidentia & auxilio divino conservari, atque defendi. Et ad hunc modum Monarchæ ad sui imperii securitatem alia excogitaverunt, quæ omnia missa facio, & ut ad ea, quæ volo, perveniam, ea tantum uti dixi notabo & perpendam, quæ in hunc finem olim divina revelatio Mosen docuit.

Diximus jam supra Cap. V. quod, postquam Hebræi Ægypto exiverunt nullo alterius nationis jure amplius tenebantur, sed iis ad lubitum nova jura instituere, & quas volebant, terras occupare licebat. Nam postquam ab intoleranda Ægyptiorum oppressione liberati, & nulli mortalium ullo pacto addicti erant, jus suum naturale ad omnia quæ possent, iterum adepti sunt, & unusquisque de integro deliberare poterat, num id retinere, an vero eodem cedere, idque in alium transferre volebat. Igitur in hoc statu naturali constituti, ex consilio Mosis, cui omnes maximam fidem habebant, suum jus in neminem mortalium, sed tantum in Deum transferre deliberaverunt, nec diu cunctati

cunctati omnes æque uno clamore promiserunt,
 Deo ad omnia ejus mandata absolute obtemperare, nec aliud jus agnoscere, nisi quod ipse revelatione prophetica ut jus statueret. Atque hæc promissio, sive juris in Deum translatio eodem modo facta est, ac in communi societate supra concepiimus fieri, quando homines jure suo naturali cedere deliberant. Expresso enim pacto (vide Exod. xx 1 v. 7.) & juramento jure suo naturali libere, non autem vi coacti, neque minis territi cesserunt, & in Deum transtulerunt. Deinde ut pactum ratum fixumque esset, & absque fraudis suspicione, nihil Deus cum ipsis pepigit, nisi postquam experti sunt ejus admirandam potentiam, qua sola servati fuerant, & qua sola in posterum servari poterant (vide Exod. x 1 x. 4. 5.) Nam hoc ipso quod se sola Dei potentia servari posse crediderunt, omnem suam naturalem potentiam se conservandi, quam ex se habere antea forte putaverant, in Deum transtulerunt, & consequenter omne suum jus. Imperium ergo Hebraeorum Deus solus tenuit, quodque adeo solum ex vi pacti Regnum Dei jure vocabatur, & Deus jure etiam Rex Hebraeorum: & consequenter hujus imperii hostes, hostes Dei, & cives, qui id usurpare vellent, rei læsa divinæ Majestatis, & jura denique imperii, jura & mandata Dei. Quare in hoc imperio jus civile & Religio, quæ, ut ostendimus, in sola obedientia erga Deum consistit, unum & idem erant. Videlicet Religionis dogmata non documenta, sed jura & mandata erant, pietas justitia, impietas crimen & injustitia æstimabatur: Qui à Religione deficiebat, civis esse desinebat, & eo solo hostis habebatur.

batur, & qui pro Religione moriebatur, pro Patria mori reputabatur, & absolute jus civile & Religio nullo prorsus discrimine habebantur. Et hac de causa hoc imperium Theocratisa vocari potuit; quandoquidem ejus cives nullo jure nisi à Deo revelato tenebantur. Verum enim vero haec omnia opinione magis, quam re constabant; Nam Hebrei revera jus imperii absolute relinquere, ut ex jam dicendis constabit; nempe ex modo, & ratione quā hoc imperium administrabatur, & quam hic explicare constitui.

Quandoquidem Hebrei suum jus in nullum alium transulerunt, sed omnes & que ut in Democratisa suo jure cesserunt, unoque ore clamaverunt, quicquid Deus loquetur (nullo expresso mediatore) facientur, hinc sequitur omnes ab hoc pacto aequales prorsus manifeste, jusque Deum consulendi, legesque accipiendi, & interpretandi omnibus aequaliter fuisse, & absolute omnem imperii administrationem omnes & que tenuisse. Hac ergo de causa omnes & que prima vice Deum adiverunt, ut quae imperare vellent, audirent; sed in hac prima salutatione adeo perterriti fuerunt, & Deum loquentem adeo attoniti audierunt, ut supremum sibi tempus adesse putaverint: Pleni igitur metu Mosen de novo sic adeun: Ecce Deum in igne loquenter audivimus, nec causa est cur mori volimus, his certe ingens ignis nos vorabit, si iterum nobis vox Dei audienda est, certe moriemur. Tu igitur adi; & audi omnia Dei nostri dicta, & tu (non Deus) nobis loqueris: Ad omnes, quod Deus tibi loquetur, obediemus idque exequimur. His clare primum pactum aboleverunt, suumque jus Denim consulendi ejusque edicta interpretandi

tandi in Mosen absolute transtulerunt: Non enim hic, ut antea, ad omnia quæ Deus ipsis, sed quæ Deus Mosis loqueretur, obedire promiserunt. (vide Deuter. v. post decalog. & xvi 11. 15, 16.) Moses ergo solus legum divinarum lator, & interpres mansit, & consequenter etiam supremus Iudex, quem nemo judicare poterat, & qui solus apud Hebræos vicem Dei, hoc est, supremam maiestatem habuit: quandoquidem solus jus habebat Deum consulendi, & populo divina responsa dandi, ipsumque ad ea exequenda cogendi. Solus, inquam, nam si quis, vivente Mose nomine Dei prædicare aliquid volebat, quamvis verus propheta esset, reus tamen erat, & supremi juris usurpator (vide Numa. xi. 28.) & hic notandum, quod, et si Mosen populus elegerit, successorem tamen loco Mosis eligere jure non potuit: Nam simulac jus suum Deum consulendi in Mosen transtulerunt, & absolute promiserunt ipsum loco divini oraculi habere, omne jus plane amiserunt, & quem Moses successorem eligeret, tanquam à Deo electum admittere debebant. Quod si talem elegisset, qui ut ipse totam imperii administrationem haberet, nempe jus Deum in suo tentorio solus consulendi, & consequenter autoritatem leges instituendi & abrogandi, de bello & pace decernendi, legatos mittendi, judices constituendi, successorem eligendi, & absolute summæ potestatis omnia officia administrandi, imperium merè monarchicum fuisset, nec ulla alia esset differentia, nisi quod communiter monarchicum imperium ex Dei decreto, ipsi etiam Monarchæ occulto; Hebræorum autem à Dei decreto Monarchæ tantum revelato certa ratione

ratione regatur, vel regi debuerit. Quæ quidem differentia Monarchæ dominium, & jus in omnes non minuit, sed contra auger. Cæterum quod ad populum utriusque imperii, æque uterque subjectus est, & ignarus divini decreti: Nam uterque ab ore Monarchæ pendet, & quid fas nefasque sit ab eo solo intelligit, nec propterea quod populus credit, Monarcham nihil nisi ex Dei decreto ipsi revelato, imperare, eidem minus, sed contra magis revera subjectus est. At Moses nullum tamquam successorem elegit, sed imperium ita administrandum successoribus reliquit, ut nec populare, nec aristocraticum, nec monarchicum, sed Theocraticum vocari potuerit. Nam jus leges interpretandi, & Dei responsa communicandi penes unum, & ius & potestas imperium administrandi secundum leges jam explicatas, & jam communicata responsa, penes alium erat. Quæ de re vide Nume. xxvii. 21. Et ut hæc melius intelligantur, administrationem totius imperii ordine exponam. Primo iussus est populus domum ædificare, quæ quasi Dei, hoc est, supremæ illius imperii Majestatis aula esset. Atque hæc non sumtibus unius sed totius populi ædificanda fuit, ut domus, ubi Deus consulendus erat, communis esset juris. Regiae hujus divinæ aulici, & administratores Levitæ electi sunt: horum autem supremus, & quasi à Rege Deo secundus electus est Aharon frater Mosis, in cuius locum ejus filii legitimi succedebant. Hic ergo, ut Deo proximus, summus legum divinarum interpres erat, & qui populo divini oraculi responsa dabat, & qui denique pro populo Deo supplicabat. Qued si cum his

his jus eadem imperandi haberet, nihil restabat, ut absolutus esset monarca, sed eo privatus erat, & absolute tota tribus Levi communi imperio ita destituta fuit, ut ne quidem partem cum reliquis tribubus habuerit, quam jure possideret, unde saltem vivere posset, sed ut à reliquo populo ale-retur, instituit, at ita, semper maximo honore à communi plebe haberetur, utpote sola Deo dica-ta. Deinde, militia ex reliquis duodecim tribu-bus formata, jussi sunt Canahitarum imperium in-vadere, idque in duodecim partes dividere, & tri-bubus per sortes destribuere. Ad hoc ministe-rium electi sunt duodecim principes, ex unaqua-que tribu unus, quibus simul cum Iosua, & sum-mo pontifice Eleazaro, jus datum est terras in æ-quales duodecim partes dividere, & per sortes distribuere. Militiae autem summus imperator Iosua electus est, qui solus in rebus novis jus habe-bat Deum consulendi, at non ut Moses solus in suo tentorio, vel in tabernaculo, sed per summum pontificem, cui soli responsa Dei dabantur: dein-de Dei mandata per pontificem communicata sta-tuendi, & populum ad ea cogendi, media ad ea-dem exepuenda excogitandi & adhibendi, ex mil-itia quot velit, & quos velit eligendi, legatos suo nomine mittendi, & absolute omne jus belli à solo ejus decreto pendebat: In ejus autem locum ne-mo legitime succedebat, nec ab aliquo nisi à Deo immediate eligebatur, idque cogente universi po-puli necessitate: alias omnia belli & pacis à princi-pibus Tribuum administrabantur, ut mox osten-dam. Denique omnes ab anno vigesimo ætatis us-que ad sexagesimum arma ad militandum capere jussit,

jussit, & ex solo populo exercitus formare, qui non in fidem imperatoris, nec summi pontificis, sed Religionis sive Dei jurabant: qui adeo exercitus, sive ordines Dei vocabantur, & Deus contra apud Hebreos Deus exercituum, & hac de causa arca fæderis in magnis præliis, à quorum discrimine totius populi vel victoria, vel clades pendebat, in medio exercitu ibat, ut populus Regem suum quasi præsentem videns, extremis viribus pugnaret. Ex his à Mose successoribus mandatis facile colligimus, ipsum administratores, non autem dominatores imperii elegisse. Nam nemini jus dedit, Deum solus & ubi vellet consulendi, & consequenter nemini autoritatem dedit, quam ipse habebat, leges statuendi, & abrogandi, de bello & pace discernendi, administratores tam templi, quam civitatum eligendi; quæ omnia summi imperii tenentis officia sunt: summus enim pontifex jus quidem habebat leges interpretandi, & responsa Dei dandi, at non ut Moses, quandocunque volebat, sed tantum ab imperatore, vel summo concilio vel similibus rogatus: & contra summus exercitus imperator, & concilia, Deum quando volebant consulere poterant, at non nisi à summo pontifice Dei responsa accipere; quare Dei dicta in ore Pontificis non decreta, ut in ore Mosis, sed tantum responsa erant: à Josua autem & conciliis accepta, tunc demum vim mandati & decreti habebant. Deinde hic summus pontifex, qui Dei responsa à Deo accipiebat, militiam non habebat, nec imperium jure possidebat: & contra qui terras jure possidebant, leges statuere jure non poterant. Summus

deinde

deinde pontifex tam Aharon, quam filius ejus Eleazarus, uterque à Mose quidem electus fuit, mortuo autem Mose nemo jus eligendi pontificem habuit, sed filius patri legitima succedebat. Imperator exercitus à Mose etiam electus fuit, & non ex jure summi pontificis, sed jure Mosis ipsi dato, personam Imperatoris induit: & ideo mortuo Iosua pontifex neminem ejus loco elegit, nec principes de novo imperatore Deum consuluerunt, sed unusquisque in militem suæ tribus, & omnes simul in universam militem jus Iosuæ retinuerunt: & videtur non opus fuisse supremo imperatore, nisi quando conjunctis viribus contra communem hostem pugnare debebant; quod quidem maxime locum habuit tempore Iosuæ, quo locuta fixum nondum omnes habebant, & omnia communis juris erant: at postquam omnes tribus terras jure belli possessas, & quas adhuc possideret in mandatis erat, inter se diviserunt, nec amplius omnia omnium erant, eo ipso ratio communis imperatoris cessavit, quandoquidem tribus diverse non tam concives quam confederatae ab ea divisione reputari debuerunt: Respectu Dei & Religionis concives quidem estimari debuerunt; at respectu iuris quod una in aliam habebat, non nisi confederatae: eodem fore modo, (si templum commune deras) ac Præpotentes Confederati Belgarum Ordines: Nam divisio rei communis in partes nihil aliud est, quam quod unusquisque suam partem solus jam possideat, & reliqui jure, quod in illam partem habebant, cedant. Hac igitur de causa Moses principes tribuum elegit, ut post divisionem imperium unusquisque curam suæ partis haberet,

Beret, niempe Deum per summum pontificem de rebus sua tribus consulendi, suae militiae imperandi, urbes condendi & muniendi, judices in unaquaque urbe constituendi, hostem sui singula ris imperii invadendi, & absolute omnia belli & pacis administrandi. Nec alium judicem praeter Deum noscere tenebatur, vel quem Deus prophetam expresse misisset: Alias si à Deo defecisset, reliquæ tribus ipsum non tanquam subditum judicare, sed tanquam hostem, qui fidem contractus solverat, invadere debebant. Quorum exempla in Scriptura habemus. Mortuo enim Josua filii Israëlis, non summus novus imperator, Deum consuluerunt, intellecto autem quod tribus Iudeæ omnium prima hostem suum invadere debebat, ipsa sola cum Simeone contrahit, ut junctis viribus utriusque hostem invaderent, in quo contractu reliquæ tribus non fuerunt comprehensa (vide Judic. I. 1, 2, 3.) sed unaquaque separatim (ut in prædicto Cap. narratur) bellum contra suum hostem gerit, & quem vult in ditionem & fidem accipit, et si in mandatis esset, nulli ulla pacti conditione parcere, sed omnes exterminare: propter quod peccatum reprehenduntur quidem, à nemine autem in judicium vocantur. Nec erat quod propterea bella contra invicem movere inciperent, & rebus alterius alii se immiserent, contrâ Benjaminitas, qui reliquos offenderant & pacis vinculum ita solverant, ut nullus ex confederatis se cure apud ipsos hospitium habere posset, hostili ter invadunt, & ter prælio commisso tandem viatores, omnes nocentes & innocentes jure belli æque trucidant, quod postea sera pænitentia lamentati sunt.

His

His exemplis , quæ de jure uniuscujusque tribus modo diximus , plane confirmantur. At forsitan aliquis rogabit , quisnam successorem principis cujusque tribus eligebat ? verum de hac re nihil certi ex ipsa Scriptura possum colligere , hoc tamen conjicio , quod quandoquidem unaquæque tribus in familias erat divisa , quarum capita ex senioribus familias eligebantur , ex his qui senior erat , loco principis jure succedebat : ex Senioribus enim Moses septuaginta coadjutores , qui cum ipso supremum concilium formabant , elegit ; qui post mortem Josuæ imperii administrationem habuerunt , senes in Scriptura vocantur , & denique apud Hebreos nihil frequentius , quam per senes judices intelligere , quod omnibus notum existimo ; Sed ad nostrum propositum parum refert hoc certo scire ; sufficit , quod ostenderim , neminem post mortem Mosis omnia summi imperatoris officia habuisse : nam quandoquidem omnia non ab unius viri , neque unius concilii , neque populi decreto pendebant , sed quædam ab una tribu , alia à reliquis æquali utriusque jure administrabantur , sequitur evidentissime imperium ab obitu Mosis neque monarchicum neque aristocraticum , neque populare mansisse , sed uti diximus Theocraticum . I. quia imperii domus regia templum erat , & sola ejus ratione , ut ostendimus , omnes tribus concives erant . II. quia omnes cives in fidem Dei supremi sui iudicis jurare debebant , cui soli in omnibus absolute obedire promiserant . Et denique quia summus omnium imperator , quando eo opus erat , à nemine nisi à solo Deo eligebatur . Quod Moses nomine Dei populo expresse prædictit

Deuter. xix. 15. & re ipsa electio Gideonis, Samsonis & Samuëlis testatur ; quare non dubitandum quin reliqui fideles duces simili etiam modo electi fuerint , etsi id ex eorum historia non constet.

His positis tempus est ut videamus quantum hæc ratio imperii constituendi animos moderari poterat , & tam eos qui regebant , quam qui regabantur ita continere , ut neque hi rebelles , neque illi Tyranni fierent.

Qui imperium administrant , vel qui id tenent , quicquid facinoris committunt , id semper specie juris adumbrare , & populo id à se honeste factum persuadere student , quod facile etiam obtinent , quando tota juris interpretatio ab iis solis pendet . Nam non dubium est , quin eo ipso maximam ad omnia quæ volunt , & eorum appetitus suaderet , libertatem sumant , & contra magnam iisdem adimi , si jus leges interpretandi apud alium sit , & simul si vera earundem interpretatio omnibus ita pateat , ut nemo de eadem dubitare possit . Ex quo manifestum fit , magnam Hebraeorum principibus causam facinorum sublatam fuisse , eo quod jus omne leges interpretandi Levitis datum fuerit . (vide Deuter. xxii. 5.) qui nullam imperii administrationem nec partem cum cæteris habebant ; & quorum tota fortuna & honor à vera legum interpretatione pendebat . Deinde quod universus populus jussus est singulis septem annis certo in loco congregari , ubi à Pontifice leges edoceretur , & præterea ut unusquisque solus continuo , & summa cum attentione librum legis legeret , & perlegeret . (vide Deuter. xxxi. 9. &c. & vi. 7.)

Prin-

Principes igitur maxime sui saltē causā curare debebant, ut omnia secundum leges præscriptas, & omnibus satis perspectas administrarent, si à populo maximo honore coli volebant, qui tum eos utpote Dei imperii ministros, & vicem Dei gerentes veneraretur; alias summum subditorum odium, quale Theologicum esse solet, fugere non poterant. Ad hæc, nempe ad effrænatam Principum libidinem coercendam, aliud permagni momenti accessit, videlicet quod militia ex omnibus civibus (nullo à vigesimo usque ad sexagesimum ætatis annum excepto) formabatur, & quod Principes nullum extraneum militem mercere conducere poterant. Hoc, inquam, permagni fuit momenti, nam certum est Principes sola militia, cui stipendia solvunt, populum opprimere posse. Deinde eos nihil magis timere quam libertatem militum concivium, quorum virtute, labore, & magno sui sanguinis impendio imperii libertas & gloria parta est. Ideo Alexander, cum secundo contra Dariū dimicandum erat, auditō Parmenionis consilio, non ipsum qui consilium dedit, sed Polyperonta, qui cum eodem stabant, increpuit. Nam ut ait Curtius lib. 4. §. 13. Parmenionem nuper acrius quam vellet increpitum rursus castigare non sustinuit, nec Macedonum libertatem, quam maxime, ut jam diximus, timebat, opprimere potuit, nisi postquam numerum militum ex captivis longe supra Macedonas auxit, tum enim animo suo impotenti, & diu civium optimorum libertate coercito, morem genere potuit. Si hæc itaque militum concivium libertas humani imperii

principes, qui soli totam laudem victoriarum usurpare solent, retinet, multo magis Hebraeorum principes coercere debuit, quorum milites non pro Principis, sed pro Dei gloria pugnabant, & solo Dei responso accepto prælium committebant.

Accescit deinde quod omnes Hebraorum Principes solo religionis vinculo associati erant: quare, si aliquis ab eadem defecisset, jusque divinum uniuscujusque violare incepisset, eo hostis à reliquis haberi potuerat, & jure opprimi.

Accescit III. timor novi alicujus Prophetæ: modo enim probatæ vitæ aliquis receptis quibusdam signis ostenderet se Prophetam esse, eo ipso jus summum imperandi habebat, nempe sicuti Moses Dei nomine ei soli revelati, & non tantum ut principes per pontificem consulti; & non dubium est quin tales populum oppressum facile ad se trahere poterant, & levibus signis quicquid vellent persuadere; cum contra si res recte administrabantur, princeps in tempore providere poterat, ut Propheta prius ejus judicio stare deberet; ut ab eo examinaretur, num probatæ vitæ esset, num certa & indubitata signa suæ legationis haberet, & denique num id quod nomine Dei dicere volebat, cum recepta doctrina, & communibus legibus patriæ conveniret: quod si nec signa satis responderent, vel doctrina nova esset, eum jure mortis damnare poterat, alias sola principis autoritate & testimonio recipiebatur.

Accessit IV. quod Princeps reliquos nobilitate non excellebat, nec jure sanguinis; sed tantum ratione ætatis & virtutis administratio imperii ei competit.

Acces-

Accessit denique quod Principes, & universa militia non magis desiderio belli quam pacis teneri poterant. Nam militia, uti diximus, ex solis civibus constabat, quare tam res belli, quam pacis ab iisdem hominibus administrabantur. Qui igitur in castris miles, is in foro civis erat, & qui in castris dux, is in curia judex, & qui denique in castris imperator, princeps in civitate erat. Quare nemo bellum propter bellum, sed propter pacem, & ad tuendam libertatem desiderare poterat, & forte Princeps ne summum Pontificem adire teneretur, & coram ipso praeter dignitatem stare, à rebus novis quantum poterat, abstinebat. Hæc de rationibus, quæ Principes intra suos limites continebant. Videndum jam qua ratione populus retinebatur: sed hanc etiam imperii fundamenta clarissime indicant; si quis enim ad ea vel leviter attendere velit, videbit statim hæc amorem adeo singularem in civium animis parere debuisse, ut nihil difficilius aliquis in mentem inducere potuerit, quam patriam prodere, vel ab ea deficere: sed contra omnes ita affecti esse debuerint, ut extrema potius, quam alienum imperium paterentur. Nam postquam suum jus in Deum transtulerunt, suumque regnum Dei regnum esse, seque solos filios Dei, reliquas autem nationes Dei hostes esse crediderunt, in quas propterea odio infensissimo affecti erant (nam & hoc plium esse credabant, vide Psalm. cxxxix. 21. 22.) nihil magis abhorrire potuerunt, quam in fidem alicuius extranei jurare, eique obedientiam promittere: nec majus flagitium, nec quid magis execrandum excogitari apud ipsos poterat, quam patriam,

hoc est, ipsum regnum Dei, quem adorabant, prodere; imo aliquo extra patriam tantum habitatum ire pro flagitio habebatur, quia Dei cultus, quo semper tenebantur, non nisi in patrio solo exerceri concedebatur; utpote quæ sola tellus sancta, reliqua autem immunda & profana haberetur. Ideo David, quia exulare co-
gebatur, sic cotati Saulo conqueritur. *Si quis te contra me infligant, homines sunt, maledicti sunt, quia me secludunt, ne spatiis in Dei hereditate, sed dicunt vade, & Deos alienos cole.* Et hac etiam de causa nullus civis, quod hic apprime notandum, exilii damnabatur: nam qui peccat supplicio quidem dignus est, non autem flagitio. Amor ergo Hebraeorum erga patriam non simplex amor, sed pietas erat, quæ simul & odium in reliquas nationes ita quotidiano cultu fovebantur, & alebantur, ut in naturam verti debuerint: quotidianus enim cultus non tantum diversus omnino erat (quo fiebat ut omnino non singulares, & à reliquis prorsus essent separati) sed etiam absolute contrarius. Quare ex quotidiana quadam exprobratione continuum odium oriri debuit, quo nullum firmius animis hærere potuit: utpote odium ex magna devotione seu pietate ortum, quodque plium credebatur, quo sane nullum majus nec pertinacius dari potest: nec causa communis deerat, qua odium semper magis ac magis intenditur, nempe ejus reciprocatio; nam nationes eos contrâ odio infensissimo habere debuerunt. Quantum autem hæc omnia, videlicet humani imperii libertas, erga patriam devotio, in omnes reliquos

quos jus absolutum, & odium non tantum licitum, sed etiam pium, omnes infenos habere, morum & rituum singularitas, quantum, inquam, haec Hebreorum animos firmare valuerint ad omnia singulari constantia & virtute pro Patria tolerandum, ratio quam clarissime docet, & ipsa experientia testata est; nunquam enim stante urbe, sub alterius imperio durare potuerunt, & ideo Hierosolymam rebellem civitatem vocitabant (vide Hebræ 1 v. 12. 15.) Secundum imperium (quod primi vix umbra fuit, postquam Pontifices jus etiam principatus usurpaverunt) difficilime à Romanis destrui potuit, quod ipse Tacitus lib. 2. Histor. his testatur. *Profligaverat bellum Iudaicum Vespasianus, oppugnatione Hierosolymorum reliqua, duro magis & arduo opere ob ingenium genitum & pervicaciam superstitionis, quam quod satis virium obsexis ad tolerandas necessitates supereret.* Verum præter hæc, quorum æstimatio à sola opinione penderet, aliud in hoc imperio, quod solidissimum est, singulare fuit, quo cives maxime retineri debuerunt, ne de defectione cogitarent, & ne unquam desiderio tenerentur deserendæ patriæ, nimirum ratio utilitatis quæ omnium humanarum actionum robur & vita est, atque hæc, inquam, in hoc imperio singularis erat: Nam cives nullibi majore jure bona sua possidebant, quam hujus imperii subditi, qui cum principe æqualem partem terrarum, & agrorum habebant, & unusquisque suæ partis æternus dominus erat, nam si quis paupertate coactus fundum suum, vel agrum vendiderat, adventante jubilæo ei de integro restitui debebat, & ad hunc modum alia instituta erant, ut nemo à fixis suis

bonis alieniari posset. Deinde paupertas nullibi tolerabilius esse poterat, quam ubi charitas erga proximum, hoc est, erga concivem summa pietate coli debebat, ut Deum suum Regem propitium haberent. Civibus igitur Hebræis non nisi in sua patria bene esse poterat, extra eandem autem damnum maximum & dedecus. Deinde ad eosdem non tantum in patrio solo retinendum, sed ad bella etiam civilia vitandum, & causas contentionum tollendum hæc epprime conducebant; nempe quod nemo suo æquali, sed soli Deo serviebat, & quod charitas & amor erga concivem summa æstimabatur pietas, qui non parum fovebatur communi odio, quo reliquas nationes, & hæc eos contra, habebant. Præterea apprime conducebat summa obedientiæ disciplina, qua educabantur, quod scilicet omnia ex determinato legis præscripto facere debebant: non enim ad libitum arare licebat, sed certis temporibus & annis, & non nisi uno bestiarum genere simul: sic etiam non nisi certa ratione certoque tempore seminare, & metere licebat, & absolute eorum vita continuus obedientiæ cultus erat (qua de re vide Cap. V. circa usum Cæremoniarum) quare eidem omnino assuefactis ipsa non amplius servitus sed libertas videri debuit: unde sequi etiam debuit, ut nemo negata, sed mandata cuperet; ad quod etiam non parum conduxisse videtur, quod certis anni temporibus otio & lætitiae se dare tenebantur, non ut animo, sed ut Deo ex animo obtemperarent. Ter in anno Dei convivæ erant (vide Deuter. xv 1.) septimo septimanæ die ab omni opere cessare, seseque otio dare debebant & præter

prater hæc alia tempora signata erant, quibus læti-
tiae actus honesti, & convivia non quidem conce-
debantur sed mandabantur; nec puto quod aliquid
hoc efficacius ad hominum animos flectendos ex-
cogitari potest; nam nulla re magis capiuntur ani-
mi, quam lætitiam, quæ ex devotione, hoc est, ex
amore & admiratione simul oritur. Nec facile fasti-
dio rerum usitatarū capi poterant, nam cultus die-
bus festis destinatus rarus, & varius erat. His acce-
dit summa templireverentia, quam propter singula-
rem ejus cultum, & res, quas tenebantur observare,
antequam alicui eò ire liceret, religiosissime semper
servaverunt, atq; adeo ut hodierni adhuc non sine
magno horrore illud Manassæ flagitium legant,
quod scilicet, idolum in ipso templo ponere susti-
nuerit. Erga leges etiam quæ in intimo sacrario re-
ligiosissime custodiebantur, non minor erat populo
reverentia. Quare populi rumores & præjudicia
hic minime temenda erant: Nemo enim de rebus
divinis judicium ferre audet, sed ad omnia quæ ipsis
imperabantur ex autoritate divini responsi in
templo accepti, vel legis à Deo conditæ, sine ulla
rationis consultatione obtemperare debebant. At-
que his me summam rationem hujus imperii, eri
breviter, satis tamen clare exposuisse puto. Su-
pereft jam ut causas etiam inquiramus, quare fa-
ctum sit, ut Hebræi toties à lege defecerint, cur
toties subacti fuerint, & cur tandem imperium
omnino vastari potuerit. At forsitan aliquis dicet,
id evenisse ex gentis contumacia: verum hoc pue-
rile est; nam cur hæc natio reliquis contumacior
fuit: an natura? hæc sane nationes non creat, sed in-
dividua, quæ quidem in nationes non distinguun-

tur nisi ex diversitate linguae, legum & morum
receptorum, & ex his duobus, legibus scilicet
& moribus, tantum oriri potest, quod unaquæque
natio singulare habeat ingenium, singularem
conditionem & denique singularia præjudicia. Si
igitur concedendum esset, quod Hebræi supra re-
liquos mortales contumaces fuerint, id vitio le-
gum vel receptorum morum imputari deberet.
Et sane hoc verum est, quod si Deus eorum impe-
rium constantius voluisse, aliter etiam jura &
leges condidisset, aliamque rationem id admini-
strandi insituisse: quare quid aliud dicere pos-
sumus, nisi quod Deum suum iratum habuerint,
non tantum ut Jeremias xxxxi. 31. ait ab urbe
condita, sed jam inde à legibus conditis. Quod
Ezechiël xx. 25. etiam testatur, inquiens, ego
etiam dedi ipsis statuta non bona, & jura quibus non
riverent, eo quod impurari ipsos muneribus suis remit-
tendo omnem aperturam vulva (id est primogenitum)
ut eos vastarem, ut scirent quod ego sum Iehova. Quæ
verba, & causa vastationis imperii, ut recte in-
telligantur, notandum, quod primum intentum
fuit totum sacrum ministerium primogenitis tra-
dere non Levitis (vide Numer. viii. 17.) sed
postquam omnes præter Levitas, vitulum ado-
raverunt, repudiati & impurati sunt primogeniti,
& Levitæ eorum loco electi (Deutero. x. 8.)
Quæ mutatio, quo eam magis ac magis considero,
in verba Taciti me cogit erumpere, illo tempore
non fuisse Deo curæ securitatem illorum, fuisse
ultionem. Nec satis mirari possum tantam animo
cœlesti fuisse iram, ut ipsas leges, quæ semper
solum universi populi honorem, salutem & secu-
ritatem

ritatem intendunt, animo se vindicandi, & ad populum puniendum condiderit, ita ut leges non leges, hoc est, populi salus, sed potius poenæ & supplicia visæ sint. Omnia enim numera quæ Levitis & sacerdotibus dare tenebantur, ut etiam quod primogeniti redimi debebant, & argentum pro capite Levitis dare, & denique quod Levitis solis ad sacra accedere concedebatur, eos continuo suæ impunitatis, & repudiationis arguebant. Habebant deinde Levites quod iis continuo exprobarent: Nam non dubium est, quin inter tot millia multi importuni Theologastrí reperti fuerint: unde populo desiderium facta Levitarum, qui absque dubio homines erant, observandi, &, ut sit, omnes ob unius delictum accusandi, hinc continuo rumores: Deinde fastidium, homines otiosos & invitos, nec sanguine iis conjunctos aleendi; præcipue si annona cara erat. Quid igitur mirum, si in otio, quando manifesta miracula cessabant, nec homines exquisitissimæ authoritatis dabantur, populi animis irritatus, & avarus languescere inciperet, & tandem à cultu, quamvis divino, sibi tamen ignominioso & etiam suspecto deficeret, & novum cuperet; & quod Principes, qui semper ut jus summam imperii soli obtineant, viam affectant, ut populum sibi alligarent, & à Pontifice averterent, omnia ei concederent, novosque cultus introdacerent. Quod si ex prima intentione Respublica constituta fuisset. Ius omnibus tribubus & honor æqualis semper fuisset, & omnia securissime sese habuissent: nam quis jus facrum suorum consanguitetorum violare vellet? quid aliud mallent quam suos consanguineos?

Sanguineos fratres & parentes, ex pietate Reli-
 gionis alere? quam ab iisdem legum interpretatio-
 nem edoceri? & quam denique ab iisdem divina
 responsa expectare? Deinde hæc ratione omnes
 tribus longe arctius invicem unitæ mansissent, si
 nimirum omnibus æquale jus fuisset sacra admini-
 strandi: quin imo nihil timendum esset, si ipsa
 Levitarum electio aliam causam quam iram & vin-
 dictam habuisset. Sed sicuti, diximus, Deum suum,
 iratum habuerunt, qui ipsis, ut verba Ezechiëlis
 iterum repetam, suis muneribus impuravit, re-
 mittendo omnia aperturam vulvæ, ut eosdem
 vastaret. Confirmantur hæc præterea ipsis histo-
 riis. Simul ac populus in desertis otio abundare
 cœpit, multi, & non de plebe viri hanc electio-
 nem ægre ferre inceperunt, & hinc occasionem
 ceperunt credendi Mosen nihil ex mandato divi-
 no, sed ad libitum omnia instituere, quia scilicet
 suam tribum præ omnibus elegerit, & jus pontifi-
 catus in æternum suo fratri dederit; quapropter
 ipsum tumultu concitato adeunt clamantes omnes
 æque sanctos esse, ipsumque supra omnes contra
 jus extolli. Nec eos ulla ratione sedare potuit, sed
 exhibito in signum fidei miraculo omnes extincti
 sunt; unde nova & universalis populi totius sedi-
 tio orta est, credentis scilicet eos non Deo judice,
 sed arte Mosis extinctos esse, qui tandem post ma-
 gnam cladem vel pestilentiam fessus sedavit, ast
 ita ut omnes mori mallingent, quam vivere. Quare
 tunc temporis seditio magis desierat, quam con-
 cordia cœperat. Quod ita Scriptura testatur Deut.
 x x x i i. 21. ubi Deus Mosis, postquam ei præ-
 dixit populum post ejus mortem à divino cultu de-
 fectu-

fecturum, hæc ait, *novi enim ipius appetitum & quid
bodie machinatur, dum nondum eundem duxero ad ter-
ram, quam juravi.* Et Paulo post Moses ipsi populo,
*nam ego novi rebellionem tuam & contumaciam tuam. Si
dum ego vobiscum vixi, rebelles fuisti contra Deum, multo
magis eritis post mortem meam.* Et revera sic etiam
contigit, ut notum. Unde magnæ mutationes, ma-
gnaque ad omnia licentia, luxus & socordia quibus
omnia in deterius ire cæperunt, donec s̄epe sub-
acti jus divinum plane ruperunt, & regem morta-
lem voluerunt, ut imperii regia non Templum sed
aula esset, & ut omnes tribus non amplius juris di-
vini, & pontificatus, sed Regum respectu concives
mancerent. At hinc ingens materia novis seditioni-
bus; ex quibus etiam tandem imperii totius ruina
sequuta est; Nam quid aliud Reges minus ferrè
possunt, quam precario regnare, & imperium in
imperio pati? qui primi ex privatis eleæti sunt, gra-
du dignitatis, ad quem ascenderant, contenti fue-
runt, at postquam filii jure successionis regno poti-
ti sunt, omnia paulatim mutare cæperunt, ut omne
jus imperii soli tenerent, quo maxima ex parte ca-
rebant, quādiū jus legum ab iisdem non pende-
bat, sed à Pontifice qui eas in sacrario custodiebat,
easq; populo interpretabatur. Adeoque tanquam
subditi legibus tenebantur, nec jure eas abrogare
poterant, vel novas æquali authoritate condere.
Deinde quia jus Levitarum Reges æque, ac subdi-
tos, ut profanos, sacra administrare prohibebat; &
denique quia tota sui imperii securitas à sola vo-
luntate unius, qui propheta videbatur, pendebat,
cujus rei exempla viderant: nimirum quanta cum
libertate Samuel Saulo omnia imperabat, &
quā

quam facile unam ob noxam jus regnandi in Davidem transferre potuerit: quare & imperium in imperio habebant, & precario regnabant. Ad hæc ergo superanda, alia templa Diis dicare concesserunt, ut nulla Levitis amplius consultatio esset; deinde plures, qui nomine Dei prophetarent, quæsi verunt, ut Prophetas haberent quos veris opponerent. Sed quicquid conatis sunt, numquam voti compotes esse potuerunt. Prophetæ enim ad omnia parati tempus opportunum expectabant, nempe imperium successoris, quod semper dum memoria præcedentis viget, precarium est: tum facile autoritate divina aliquem in Regem infensum, & virtute clarum inducere poterant ad jus divinum vindicandum, & imperium vel eis partem jure possidendum. Verum nec Prophetæ aliquid hac ratione promovere poterant; nam et si Tyrannum è medio tollerent, manebant tamen causæ: Quare nihil aliud faciebant quam novum Tyrannum multo civium sanguine emere. Discordiis igitur bellisque civilibus finis nullus, causæ autem jus divinum violandi semper eadem, quæ etiam non nisi simul cum toto imperio è medio tolli potuerunt.

His videmus quomodo Religio in Hebreorum Rempublicam introducta fuerit, & qua ratione imperium æternum esse potuerit, si justa legislatoris ira in eodem persistere concessisset. Sed quia id fieri non potuit tandem interire debuit. Atque hic de solo primo imperio locutus sum, nam secundum vix umbra fuit primi, quandoquidem jure Persarum, quorum subditierant, tenebantur, & postquam libertatem adepti sunt, Pontifices jus principi-

principatus usurpaverunt, quod imperium absolutum obtinuerunt. Linde Sacerdotibus regnandi & pontificatum simul adipiscendi ingens libido, quare de hoc secundo minime opus fuit plura dicere. An vero primum prout ipsum durabile concepimus, imitabile fit, vel pium, id quod ejus fieri potest imitari, id ex sequentibus patebit. Hic tantum coronidis loco notari velim, id quod jam supra innuimus nempe ex his quae in hoc capite ostendimus, constare jus divinum sive religionis ex pacto oriri, sine quo nullum est nisi naturale, & ideo Hebrei nulla pietate erga gentes, quae pacto non interfuerunt, ex iussu religionis tenebantur, sed tantum in concives.

C A P U T X V I I I .

Ex Hebreorum Republica, & historiis quadam dogmata Politica concluduntur.

QUAMVIS Hebreorum imperium, quale ipsum in praecedenti Capite concepimus, æternum esse potuerit, idem tamen nemo jam imitari potest, nec etiam consulendum est. Nam si qui suum jus in Deum transferre vellent, id cum Deo, sicuti Hebrei fecerunt expresse pacisci deberent, adeoque non tantum voluntas jus transferentium, sed etiam Dei, in quem esset transferendum, requireretur. At Deus contra per Apostolos revelavit, Dei pactum non amplius atramento, nec in tabulis lapideis, sed Dei Spiritu in corde scribi. Deinde talis imperii forma iis forsitan tantum utilis esse posset, qui sibi solis absque

absque externo commercio vivere, seseque intra
suos limites claudere, & a reliquo orbe segregari
velint, at minime iis, quibus necesse est cum aliis
commercium habere; quapropter talis imperii
forma paucissimis tantum ex usu esse potest. Ve-
rumentimvero, tametsi in omnibus imitabile non
sit, multa tamen habuit dignissima, saltem ut no-
tarentur, & quæ forsan imitari consultissimum es-
set. Attamen, quia mea intentio, ut jau monui,
non est, de Republica ex professo agere, eorum
pleraque missa faciam, & tantum ea, quæ ad me-
um scopum faciunt, notabo. Nempe quod con-
tra Dei Regnum non pugnet, summam majesta-
tem eligere, quæ sumnum imperii jus habeat:
Nam postquam Hebræi suum jus in Deum transtu-
lerunt, jus sumnum imperandi Mosi tradiderunt,
qui que adeo solus autoritatem habuit leges Dei
nomine condendi, & abrogandi, sacrorum mini-
stros eligendi, judicandi, docendi, & castigandi, &
omnibus deniq; omnia absolute imperandi. Dein-
de quod, quamvis sacrorum ministri legum inter-
pretes fuerint, eorum tamen non erat, cives judica-
re, nec aliquem excommunicare; hoc enim tan-
tum judicibus, & principibus ex populo electis
competebat: (vide Josuæ vi. 26. Judicum xxii. 18.
& primo Samuëlis xiv. 24.) Præter hæc, si etiam
ad Hebræorum successus, & historias atten-
dere velimus, alia, digna etiam ut notentur, re-
periemus. Videlicet I. quod nullæ in Religio-
ne sectæ fuerint, nisi postquam Pontifices in se-
cundo imperio autoritatem habuerunt decretan-
di, & negotia imperii tractandi, quæ authoritas
ut æterna esset, jus sibi principatus usurpaverunt: &
tandem

tandem Reges appellari voluerunt. Ratio in promptu est; in primo namque imperio nulla decretalia nomen à Pontifice habere poterant, quandoquidem nullum ius decretandi habebant, sed tantum Dei responsa, à principibus, vel conciliis rogati, dandi; ac propterea nulla tum iis libido esse potuit, nova decretandi, sed tantum assueta, & recepta administrandi, & defendendi; Nam nulla alia ratione libertatem suam invitatis principibus conservare tuto poterant, nisi leges incorruptas servando. At postquam potestatem etiam ad imperii negotia tractandum, jusque principatus juxta pontificatum adepti sunt, unusquisque tam in religione, quam in reliquis sui nominis gloriam incepit querere, omnia scilicet pontificali authoritate determinando, & quotidie nova de cæmoniis, de fide, & omnibus decretando, quæ non minus sacra, nec minoris authoritatis esse voluerunt, quam leges Mosis; ex quo factum, ut religio in exitiabilem superstitionem declinaret, & legum verus sensus, & interpretatio corrumperetur; ad quod etiam accessit, quod dum pontifices viam ad principatum in initio restorationis affectabant, omnia, ut plebem ab se traherent, assentabantur; plebis scilicet facta, et si impia, approbando, & Scripturam pessimis ejus moribus accommodando: Quod quidem Malachias de iis conceptissimis verbis testatur; is enim, postquam sacerdotes sui temporis increpuit, eos Dei nominis contemptores appellando, sic eos castigare pergit. *Læbia pontificis custodiunt scientiam, & lex ex ipsis ore queritur, quia Dei missarius est: At vos recessisti à via, fecisti, ut lex multis esset offendiculo: Pactum Levi corrup-*

sitis, ait Deus exercituum; & sic porro eos accusare pergit, quod leges ad libitum interpretabantur, & nullam Dei rationem, sed tantum personarum habebant. At certum est, Pontifices hæc nunquam tam caute facere potuisse, ut a prudentioribus non animadverteretur, qui proinde, crescente audacia, contenderunt, nullas alias leges teneri debere, quam quæ scriptæ erant; cæterum decreta, quæ decepti Pharisei (qui, ut Josephus in Antiquitatibus habet, ex communi plebe maxime constabant) traditiones patrum vocabant, minime custodienda esse. Quicquid fuerit, nullo modo possumus dubitare, quin Pontificum adulatio, religionis, & legum corruptio, harumque incredibilis augmentatio magnam admodum, & frequentem occasionem dederint disputationibus, & altercationibus, quæ nunquam componi potuerunt; nam ubi homines ardore superstitionis, magistratu alterutram partem adjuvante, litigare incipiunt, nequaquam sedari possunt, sed nefario in sectas dividuntur.

I I. Notatu dignum est, quod Prophetæ, viri scilicet privati, libertate sua monendi, increpandi, & exprobrandi, homines magis irritaverunt, quam correxerunt; qui tamen à Regibus moniti, vel castigati facile flectebantur. Imo Regibus etiam piis sæpe intolerabiles fuerunt, propter authoritatem, quam habebant judicandi quid pie vel impie factum esset, & vel Reges ipsos castigandi, si quod negotium publicum, vel privatum contra eorum judicium agere sustinebant: Rex Aſa, qui ex testimonio Scripturæ pie regnavit, prophetam Hananiam in pistrinum dedit,

(vide

(*vide z. Paralip. xv i.*) quia ipsum libere reprehendere, & increpare sustinuit, ob pactum cum Rege Armeniae factum; & praeter hoc alia reperiuntur exempla, quæ ostendunt, religionem plus detrimenti, quam incrementi ex tali libertate accepisse, ut jam taceam, quod hinc etiam, quod Prophetæ tantum sibi jus retinuerint, magna bella civilia orta fuerint.

III. Dignum etiam ut notetur est, quod quādiū populus regnum tenuit, non nisi unum bellum civile habuerit, quod tamen absolute extinctum fuit, & victores victorum ita miseriti sunt, ut omnibus modis curaverint, eosdem in antiquam suam dignitatem, & potentiam restituere. At postquam populus regibus minime assuetus imperii primari formam in monarchicam mutavit, civibus bellis nullus fere finis fuit, & prælia adeo atrocia commiserunt, ut omnium famam exuperaverint; in uno enim prælio (quod fidem fere superat) quingenta millia Israëlitarum necati sunt à Judæis; & in alio contra Israëlitæ Judæorum multos trucidant, (numerus in Scriptura non traditur) ipsum Regem capiunt, Hierosolymæ murum fere demoliuntur, & ipsum Templum (ut iræ nullum modum fuisse noscatur) omnino spoliant, & ingenti fratrum prædâ onusti, & sanguine satiati, acceptis obsidibus, & Rege in jam fere vastato suo regno relicto, arma deponunt, non fide, sed imbecillitate Judæorum securi facti; Nam paucis post annis, Judæorum viribus refectis, novum prærium rursus committunt, in quo iterum Israëlitæ victores evadunt, centum & viginti millia Judæorum trucidant, mulieres, & liberos eorum ys-

que ad ducenta millia captivos ducunt, magnamque prædam iterum rapiunt; atque his, & aliis præliis, quæ in historiis obiter narrantur, consumpti, præda tandem hostibus fuerunt. Deinde si etiam tempora reputare velimus, quibus absoluta pace frui licuit, magnam reperiemus discrepantiam; saepe enim ante reges quadraginta, & semel (quod omni opinione majus) octoginta annos sine bello externo, vel interno concorditer transegerunt. At postquam Reges imperium adepti sunt, quia non amplius ut antea pro pace, & libertate, sed pro gloria certandum erat, omnes præter unum Salomonem (cujus virtus, sapientia, scilicet, melius in pace, quam in bello constare poterat) bella gessisse legimus, accessit deinde exitiabilis regnandi libido, quæ plerisque iter ad regnum admodum cruentum fecit. Denique leges durante populi regno incorruptæ manserunt, & constantius observatæ fuerunt. Nam ante reges paucissimi fuerunt Prophetæ, qui populum monerent, post electum autem Regem, permulti simul fuerunt; Hobadias namque centum a cæde liberavit, eosque abscondidit, ne cum reliquis occiderentur; nec videmus quod populus ullis falsis Prophetis deceptus fuit, nisi postquam imperium regibus cessit, quibus plerique assentari student. Adde quod populus, cuius plerumque animus, pro re nata, magnus, vel humiliis est, facile se in calamitatibus corrigebat, & ad Deum convertebat, legesque restituebat, & hoc modo sese etiam omni periculo expediebat: contra reges, quorum animi semper æque elati sunt, nec flecti absque ignominia possunt, pertinaciter vitiis adhæserunt, usque ad supremum urbis excidium.

Ex

Ex his clarissime videmus s. quam perniciosum & religioni, & Reipublicæ sit, sacrorum ministris jus aliquod decretandi, vel imperii negotia tractandi, concedere; & contra omnia multo constantius esse habere, si hi ita contineantur, ut de nulla re, nisi rogati respondeant, & ut interim recepta tantum, & maxime usitata doceant, exerceantque.

II. Quam periculosum fit ad jus divinum referre res mere speculativas, legesque de opinionibus condere, de quibus homines disputare solent, vel possunt; ibi enim violentissime regnatur, ubi opiniones, quæ uniuscujusque juris sunt, quo nemo cedere potest, pro crimine habentur; imo plebis ira, ubi hoc fit, maxime regnare solet: Pilatus namque, ut Pharisæorum ira concederet, Christum, quem innocentem noverat, crucifigere jussit. Deinde ut Pharisæi ditiores à suis dignitatibus deturbarent, quæstiones de religione movere cœperunt, & T saducæos impietatis accusare; & ad hoc Pharisæorum exemplum, pessimi quique hypocritæ eadem rabie agitari, quam zelum juris divini vocant, viros probitate insignes, & virtute claros, & ob id plebi invisos, ubique persecuti sunt, eorum scilicet opinones publice detestando, & sævam multitudinem irâ in eosdem incendendo. Atque hæc procax licentia, quia specie religionis adumbratur, non facile coerceri potest, præcipue ubi summæ potestates sectam aliquam introduxerunt, cujus ipse authores non sunt. Quia tum non ut juris divini interpretes, sed ut sectarii habentur, hoc est, ut qui sectæ doctores juris divini interpretes agnoscunt; & ideo magistratum authoritas circa hæc apud plebem

parum valere solet, at plurimum doctorum authoritas, quorum interpretationibus vel reges submitti debere putant. Ad hæc ergo mala vitanda nihil Reipublicæ tutius excogitari potest, quam pietatem, & religionis cultum in solis operibus, hoc est, in solo exercitio charitatis, & justitiae ponere, & de reliquis liberum unicuique judicium relinquere; sed de his postea fusius. III. Videmus quam necesse sit, tam Reipublicæ, quam religioni, summis potestatibus jus, de eo, quod fas, nefasque sit, discernendi, concedere: Nam si hoc jus, de factis discernendi, ipsis divinis Prophetis concedi non potuit, nisi cum magno Reipublicæ, & Religionis damno, multo minus iis concedendum erit, qui nec futura prædicere sciunt, nec miracula possunt facere. Verum de hoc in sequenti ex professo agam. IV. Denique videmus quam exitiale sit populo, qui sub regibus non consuevit vivere, quique jam leges conditas habet, Monarcham eligere: Nam nec ipse tantum imperium sustinere, nec regia authoritas pati poterit leges, & Jura populi ab alio minoris authoritatis instituta, & multo minus animum inducere ad easdem defendendum, præsertim quia in iis instituendis nulla ratio Regis, sed tantum populi, vel concilii, qui regnum tenere putabat, haberí potuit; atque adeo Rex jura populi antiqua defendendo, ejus potius servus quam dominus videretur. Novus ergo Monarcha summo studio novas leges statuere conabitur, & jura imperii in suum usum reformatre, & populum eo redigere, ut pon tam facile Regibus dignitatem adimere possit, quam dare. At hic præterire nequaquam possum, non minus periculosum

culosum etiam esse Monarcham è medio tollere, tametsi omnibus modis constet eundem tyrannum esse: Nam populus regiæ authoritati assuetus, eâque solâ retentus, minorem contemnet, & ludibrio habebit, ac proinde, si unum è medio tollat, necesse ipsi erit, ut olim Prophetis, alium loco prioris eligere, qui non sponte, sed necessario tyrannus erit. Nam quâ ratione videre poterit civium manus cæde regiâ cruentatas, eosque parrocchio, tanquam re bene gesta, gloriari? quod non, nisi ad exemplum in ipsum solum statuendum, commiserunt. Sane, si Rex esse vult, nec populi Regum judicem, suumque dominum agnoscere, nec precario regnare, prioris mortem vindicare debet, & contrâ sui causâ exemplum statuere, ne populus iterum tale facinus committere audeat. At mortem tyranni civium nece non facile vindicare poterit, nisi simul ejusdem prioris tyranni causam defendat, ejusque facta approbet, & consequenter omnia prioris tyranni vestigia sequatur. Hinc igitur factum, ut populus sæpe quidem tyrannum mutare, at nunquam tollere, nec imperium monarchicum in aliud alterius formâ mutare potuerit. Hujus rei fatale exemplum populus Anglicanus dedit, qui causas quæsivit, quibus specie juris monarcham è medio tolleret; at, eo sublato, nihil minus facere potuit, quam formam imperii mutare, sed post multum sanguinem effusum huc perventum est, ut novus Monarcha alio nomine salutaretur, (quasi tota questio de solo nomine fuisset) qui nulla ratione persistere poterat, nisi stirpem regiam penitus delendo, regis amicos vel amicitiâ suspectos necando, & otium

pacis rumoribus aptum, bello disturbando, ut
 plebs novis rebus occupata, & intenta cogitatio-
 nes de cede regia alio diverteret. Sero igitur
 animadverit populus se pro salute patriæ nihil
 aliud fecisse, quam jus legitimi regis violare, res-
 que omnes in pejorem statum mutare. Ergo gra-
 dum, ubi licuit, revocare decrevit, nec quievit,
 donec omnia in pristinum suum statum restaurata
 vidiit. At forsan aliquis exemplo populi Romani
 objiciet, populum facile posse tyrannum è medio
 tollere, sed ego, eodem nostram sententiam omni-
 no confirmari existimo: Nam quamvis populus
 Romanus longe facilius tyrannum è medio tolle-
 re, & formam imperii mutare potuerit, propterea
 quod jus regem, ejusque successorem eligendi
 penes ipsum populum erat, & quod ipse (utpote
 ex seditionis, & flagitiosis hominibus conflatus)
 nondum regibus obedire consueverat; nam ex sex,
 quos antea habuerat tres interfecerat; tamen nihil
 aliud fecit, quam loco unius plures tyrannos eli-
 gere, qui ipsum externo, & interno bello misere
 conflictum semper habuerunt, donec tandem im-
 perium iterum in monarcham, mutato etiam tan-
 tum, ut in Anglia, nomine, cessit. Quod autem
 ad ordines Hollandiæ attinet, hi nunquam, quod
 scimus, Reges habuerunt, sed Comites, in quos
 nunquam jus imperii translatum fuit: Nam, ut ipsi
 præpotentes Ordines Hollandiæ in inductione,
 tempore comitis Leycestriæ ab ipsis editâ, palam
 faciunt, sibi autoritatem semper reservaverunt,
 ad eosdem comites sui officii monendum & pote-
 statem sibi retinuerunt, ad hanc suam authorita-
 tem, & civium libertatem defendendum, seque
 de

de iisdem, si in tyrannos degenerarent, vindicandum, & eos ita retinendum, ut nihil, nisi concidentibus, & approbantibus Ordinibus, efficere possent. Ex quibus sequitur, jus supremæ maiestatis semper penes Ordines fuisse, quod quidem ultimus comes conatus est usurpare; quare longe abest, quod ab eo defecerint, cum pristinum suum imperium pene jam amissum restauraverunt. His igitur exemplis id, quod diximus, omnino confirmatur, quod scilicet uniuscujusque imperii forma necessario retinenda est, nec absque periculo totali ipsius ruinæ mutari potest; & hæc sunt, quæ hic operæ pretium notare duxi.

C A P U T X I X.

Ostenditur, jus circa sacra penes summæ potestates omnino esse, & Religionis cultum externum Reipublicæ paci accommodari debere, si recte Deo obtemperare velimus.

Cum supra dixi, eos, qui imperium tenent, jus ad omnia sòlos habere, & à solo eorum decreto jus omne pendere; non tantum civile intelligere volui, sed etiam sacrum; nam hujus etiam & interpres esse debent, & vindices; atque hoc hic expresse notare volo, & de eo ex professo in hoc capite agere, quia plurimi sunt, qui pernegant, hoc jus, nempe circa sacra summis potestatibus competere, neque eos interpres juris divini agnoscere volunt; unde etiam licentiam sibi sumunt, easdem accusandi, & traducendi, ita ab Ecclesia (ut olim Ambrosius Theodosium cæsarem) excommunicandi.

Sed

Sed eos hac ratione imperium dividere, imo viam
 ad imperium affectare, infra in hoc ipso capite
 videbitur; nam prius ostendere volo, Religionem
 vim juris accipere ex solo eorum decreto, qui
 jus imperandi habent; & Deum nullum singulare
 regnum in homines habere, nisi per eos, qui im-
 perium tenent, & præterea quod Religionis cul-
 tus, & pietatis exercitium Reipublicæ paci, &
 utilitati accommodari, & consequenter à solis sum-
 mis potestatibus determinari debet, quæque adeo
 ejus etiam interpretes debent esse. Loquor ex-
 pressè de pietatis exercitio, & externo Religionis
 cultu; non autem de ipsa pietate, & Dei interno
 cultu, sive mediis, quibus mens interne disponi-
 tur ad Deum integritate animi colendum; inter-
 nus enim Dei cultus, & ipsa pietas uniuscujusque
 juris est (ut in fine Cap. VII. ostendimus) quod
 in alium transferri non potest. Porro quid hic per
 Dei Regnum intelligam ex Cap. XIV. satis con-
 stare existimo; in eo enim ostendimus, eum legem
 Dei adimplere, qui justitiam, & charitatem ex
 Dei mandato colit: unde sequitur illud Regnum
 esse Dei, in quo justitia & charitas vim juris, & man-
 dati habent. Atque hic nullam agnosco differen-
 tiam, sive Deus verum justitiae & charitatis cultum
 lumine naturali, sive revelatione doceat, impe-
 retque; nihil enim refert, quomodo ille cultus
 revelatus sit, modo sumum jus obtineat, sum-
 maque lex hominibus sit. Si igitur jam ostendam
 justitiam, & charitatem vim juris, & mandati
 non posse accipere, nisi ex jure imperii, facile
 inde concludam, (quandoquidem jus imperii pe-
 nes summas potestates tantum est) Religionem
 vim

vim juris accipere ex solo eorum decreto, qui jus
 imperandi habent, & Deum nullum singulare
 regnum in homines habere, nisi per eos qui impe-
 riū tenent. At quod cultus justitiae, & charitatis
 vim juris non accipit, nisi ex jure imperii ex ante-
 cedentibus patet; ostendimus enim Cap. XVI. in
 statu naturali non plus juris rationi, quam appe-
 titui esse, sed tameos, qui secundum leges appe-
 titus, quam eos, qui secundum leges rationis vi-
 vunt jus ad omnia, quæ possunt, habere. Hac de
 causâ in statu naturali peccatum concipere non po-
 tuimus, nec Deum tanquam judicem homines
 propter peccata punientem, sed omnia secundum
 leges universæ naturæ communes ferri, & eundem
 casum (ut cum Salomone loquar) justo, ac impio,
 puto, ac impuro &c. contingere, & nullum locum
 justitiae, nec charitati esse. At, ut veræ rationis
 documenta, hoc est, (ut in Cap. IV. circa legem
 divinam ostendimus) ipsa divina documenta vim
 juris absolute haberent, necesse fuisse, ut unus
 quisque jure suo naturali cederet, & omnes idem
 in omnes, vel in aliquot, vel in unum transferrent,
 & tum demum nobis primum innotuit, quid justi-
 tia, quid injustitia, quid æquitas, quidque ini-
 quitas esset. Justitia igitur, & absolute omnia veræ
 rationis documenta, & consequenter erga prox-
 imum charitas, à solo imperii jure, hoc est (per ea
 quæ in eodem Cap. ostendimus) à solo eorum de-
 creto qui jus imperandi habent, vim juris, &
 mandati accipiunt: & quia (ut jam ostendi) in solo
 justitiae, & charitatis, sive veræ Religionis jure
 Dei regnum consistit, sequitur, ut volebamus,
 Deum nullum regnum in homines habere, nisi per
 eos,

eos, qui imperium tenent; & perinde, inquit, est, sive Religionem lumine naturali, sive propheticō revelatam concipiamus; demonstratio enim universalis est, quandoquidem religio eadē est, & à Deo æque revelata, sive hoc, sive illo modo hominibus innotuisse supponatur; & ideo, ut etiam religio prophetice revelata vim juris apud Hebræos haberet, necesse fuit, ut unusquisque eorum jure suo naturali prius cederet, & omnes ex communi consensu statuerent, iis tantum obedire, quæ ipsis à Deo prophetice revelantur, eodem prorsus modo, ac in imperio democratico fieri ostendimus, ubi omnes communi consensu deliberant, ex solo rationis dictamine vivere; & quamvis Hebræi suum jus præterea in Deum transtulerint, hoc magis mente, quam operâ facere potuerunt: Nam re ipsa (ut supra vidimus) jus imperii absolute retinuerunt, donec ipsum in Mosen transtulerunt, qui etiam deinceps rex absolute mansit, & per eum solum Deus Hebræos regnavit. Porro hac etiam de causa, (quod scilicet religio ex solo jure imperii vim juris accipit) Moses nullo eos supplicio afficere potuit, qui ante pactum, & qui consequenter sui adhuc juris erant, Sabbathum violaverunt (vide Exodi xv. 30.) sicuti post pactum (vide Numer. xv. 36.) postquam scilicet unusquisque jure suo naturali cessit, & Sabbathum ex jure imperii, vim mandati accepit. Denique hāc etiam de causa destructio Hebræorum imperio Religionis revelata vim juris habere desiit; nequaquam enim dubitare possumus, quin simul, ac Hebræi jus suum in Babilonium Regem transtulerunt, continuo regnum

regnum Dei, jusque divinum cessaverit. Nam eo ipso pactum, quo promiserant, omnibus, quæ Deus loqueretur, obedire, quodque Dei regni fundamentum fuerat, omnino sublatum est, nec eo amplius stare poterant, quandoquidem ab ea tempore non amplius sui juris (ut cum in desertis, vel in patria essent) sed Regis Babiloniæ erant, cui in omnibus (ut Cap. XVI. ostendimus) obedire tenebantur; quod etiam Jeremias eodem Cap. xxix. vers. 7. expresse monet. *Consulite, inquit, paci civitatis, ad quam vos captivos duxi: Nam ipsius incolumitate robis erit incolumitas.* At incolumitati illius civitatis consulere non poterant, tanquam imperii ministri (captivi enim erant) sed tanquam servi; se scilicet, ad vitandas seditiones, in omnibus obedientes præstando, imperii jura, & leges, tametsi à legibus, quibus in patria consueverant, admodum diversa, observando, &c. Ex quibus omnibus evidenter sequitur, Religionem apud Hebræos, vim juris à solo imperii jure accepisse, & eo destructo, non amplius tanquam jussum singulis imperii, sed catholicum rationis documentum haberri potuisse; rationis inquam; nam Catholicæ Religio nondum ex revelatione innotuerat. Absolute igitur concludimus religionem, sive ea lumine naturali, sive prophetico revelata sit, vim mandati accipere ex solo eorum decreto, qui jus imperandi habent, & Deum nullum singulare regnum in homines habere, nisi per eos, qui imperium tenent. Sequitur hoc etiam, & clarius etiam intelligitur, ex dictis in Cap. IV. ibi enim ostendimus, Dei decreta æternam veritatem,

&

& necessitatem omnia involvere, nec posse concipi, Deum tanquam principem vel legislatorem leges hominibus ferentem. Quapropter divina documenta lumine naturali, vel prophetico revelata vim mandati à Deo immediate non accipiunt, sed necessario ab iis, vel mediantibus iis, qui jus imperandi, & decretandi habent; adeoque non nisi mediantibus iisdem concipere possumus Deum in homines regnare, resque humanas secundum justitiam, & æquitatem dirigere, quod ipsa etiam experientia comprobatur; nam nulla divinæ justitiae vestigia reperiuntur, nisi ubi justi regnant, alias (ut Salomonis verba iterum repeatam) eundem casum justo, ac injusto, puro, ac impuro contingere videmus; quod quidem plurimos, qui Deum in homines immediate regnare, & totam naturam in eorum usum dirigere putabant, de divina providentia dubitare fecit. Cum itaque tam experientia, quam ratione constet jus divinum a solo decreto summarum potestatum pendere, sequitur, easdem etiam ejusdem esse interpretes; qua autem ratione, jam videbimus; nam tempus est, ut ostendamus, cultum religionis externum, & omne pietatis exercitium reipublicæ paci, & conservationi debere accommodari, si recte Deo obtemperare velimus. Hoc autem demonstratio facile intelligemus, qua ratione summæ potestates interpretes religionis, & pietatis sint.

Certum est, quod pietas erga patriam summa sit, quam aliquis præstare potest, nam, sublato imperio, nihil boni potest consistere, sed omnia in discrimen veniunt, & sola ira, & impietas maximo omnijum metu regnat, unde sequitur nihil

nihil proximo pium præstari posse, quod non impium sit, si inde damnum totius reipublicæ sequatur, & contra nihil in eundem impium committi, quod pietati non tribuatur, si propter reipublicæ conservationem fiat. Ex Gr. pium est, ei, qui mecum contendit, & meam tunicam vult capere, pallium etiam dare; At ubi judicatur, hoc reipublicæ conservationi perniciosum esse, pium contra est, eundem in judicium vocare, tametsi mortis damnandus sit. Hâc de causa Manlius Torquatus celebratur, quod salus populi plus apud ipsum valuerit, quam erga filium pietas. Cum hoc ita sit, sequitur, salutem populi summam esse legem, cui omnes, tam humanæ, quam divinæ accommodari debent. At cum solius summæ potestatis officium sit, determinare, quid saluti totius populi, & imperii securitati necesse sit, & quid necesse esse judicaverit, imperare; hinc sequitur, solius etiam summæ potestatis officium esse, determinare, qua ratione unusquisque debet proximum pietate colere, hoc est, quâ ratione unusquisque Deo obediere tenetur. Ex his clare intelligimus, qua ratione summæ potestates interpretes religionis sunt; deinde quod nemo Deo recte obediens potest, si cultum pietatis, quâ unusquisque tenetur, publicæ utilitati non accommodet, & consequenter, si omnibus summæ potestatis decretis non obediat. Nam quandoquidem ex Dei mandato omnes (nullo excepto) pietate colere tenemur, nemini que damnum inferre, hinc sequitur, nemini licere, opem alicui cum alterius, & multo minus cum totius reipublicæ damnoferre; adeoque neminem posse proximum pietate colere secundum Dei mandatum,

datum, nisi pietatem, & religionem publicæ utilitati accommodet. At nullus privatus scire potest, quid reipublicæ utile sit, nisi ex decretis summarum potestatum, quarum tantum est, negotia publica tractare, ergo nemo pietatem recte colere, nec Deo obedire potest, nisi omnibus summæ potestatis decretis obtemperet: Atque hoc ipsa etiam praxi confirmatur. Quem enim, sive civem, sive extraneum, privatum, vel imperium in alios tenentem summa potestas reum mortis vel hostem judicavit, nemini subditorum eidem auxilium ferre licet. Sic etiam, quamvis Hebræis dictum fuerit, ut unusquisque socium tanquam se ipsum amaret (vide Levit. xix. 17, 18.) tenebantur tamen eum, qui contra edicta legis aliquid commiserat, Judici indicare (vide Levit. v. 1. & Deut. xxi. 8, 9.) & eundem, si reus mortis judicabatur, interficere. (vide Deut. xviii. 7.) Deinde ut Hebræi libertatem adeptam possent conservare, & terras, quas occuparent, imperio absoluto retinerent, necesse fuit, ut Cap. XVII. ostendimus, religionem suo soli imperio accommodarent, seseque à reliquis nationibus separarent; & ideo iis dictum fuit, dilige proximum tuum, & odio habe inimicum tuum; (vide Matth. v. 43.) postquam autem imperium amiserunt, & Babilonium captivi ducti sunt, Jeremias eosdem docuit, ut incoluntati (etiam) illius civitatis in quam captivi ducti erant, consulerent, & postquam Christus eos per totum orbem dispersum irivit, docuit ut omnes absolute pietate colerent; quæ omnia evidentissime ostendunt, religionem reipublicæ utilitati accommodatam semper fuisse.

Si

Si quis autem jam quærat, quo ergo jure Christi discipuli, viri scilicet privati, religionem prædicare poterant? eosdem id fecisse dico jure potestatis quam à Christo acceperant, aduersus Spiritus impuros; (vide Matth. x. 1.) Supra enim in fine Cap. XVI. expresse monui, omnes fidem Tyratino etiam servare teneri, excepto eo, cui Deus certa revelatione singulare contra Tyrannum auxilium promiserit; quare nemini inde exemplum sumere licet, nisi etiam potestatem habeat ad facienda miracula, quod hinc etiam conspicuum sit, quod Christus discipulis etiam dixerit, ne metuerent eos, qui occidunt corpora (vide Matth. x. 28.) quod si hoc unicuique dictum fuisset, frustra imperium statueretur, & illud Salomonis (Prov. xxiv. 21.) fili mi time Deum, & regem, impie dictum fuisset, quod longe à vero abest; atque adeo necessario fatendum authoritatem illam, quam Christus discipulis dedit, iis tantum singulariter datam fuisse, nec inde exemplum aliis sumi posse. Cæterum adversariorum rationes, quibus jus sacrum à jure civili separare volunt, & hoc tantum penes summas potestates, illud autem penes universam ecclesiam esse contendunt, nihil moror; adeo namq; frivole sunt, ut nec refutari mereantur; hoc unum silentio præterire nequeo, quam misere ipsi decipientur, quod ad hanc seditionem opinionem (veniam verbo duriori precor) confirmandum exemplum sumant à summo Hebræorum Pontifice, penes quem olim jus sacra administrandi fuit; quasi Pontifices illud jus à Moysè non acceperint (qui, ut supra ostendimus, summum solus imperium retinuit) ex cuius etiam decreto eodem privari poterant; ipse enim non

tantum Aharonem, sed etiam filium ejus Eleazarum, & nepotem Pinebam elegit, & authoritatem pontificatum administrandi dedit, quam postea Pontifices ita retinuerunt, ut nihil ominus Mosis, id est, summæ potestatis substituti videantur: Nam, ut jam ostendimus, Moses nullum imperii successorem elegit, sed ejus omnia officia ita distribuit, ut posteri ejus vicarii visi fuerint, qui imperium, quasi rex absens esset, non mortuus, administrabant. In secundo deinde imperio hoc jus absolute tenuerunt Pontifices, postquam cum pontificatu jus principatus etiam adepti sunt. Quare jus pontificatus ex edito summæ potestatis semper dependit, nec Pontifices id unquam nisi cum principatu tenuerunt. Imo jus circa sacra penes Reges absolute fuit (ut ex mox dicendis in fine hujus capitinis patebit) præter hoc unum, quod manus sacræ in templo administrandis admoveere non licebat, quia omnes, qui suam genealogiam ex Aharone non ducebant, profani habebantur, quod sane in Christiano imperio locum nullum habet; atque ideo dubitare non possumus quin hodierna sacra (quorum administratio singulares mores, non autem familiam requirit, unde nec ii, qui imperium tenent, tanquam profani ab eadem secluduntur) solius juris summarum potestatum sint; & nemo, nisi ex eorum autoritate, vel concessu jus potestate inque eadem administrandi, eorum ministros eligendi, Ecclesiæ fundamenta, ejusque doctrinam determinandi, & stabiliendi, de moribus & pietatis actionibus judicandi, aliquem excommunicandi; vel in Ecclesiæ recipiendi, nec denique pauperibus providendi

dendi habet. Atque hæc non tantum demonstrantur (ut jam fecimus) vera; sed etiam apprime necessaria, tam ipsi religioni, quam reipublicæ conservationi esse; norunt enim omnes, quantum jus, & authoritas circa sacra apud populum valeat, & quantum unusquisque ab ejus ore pendeat, qui eandem habet; ita ut affirmare liceat eum maxime in animos regnare, cui hæc authoritas competit. Si quis ergo hanc summis potestatibus adimere vult, is imperium dividere studet, ex quo necessario, ut olim inter Hebræorum Reges, & Pontifices contentiones, & discordiæ oriri debebunt, quæ nunquam sedari possunt: Imo qui hanc autoritatem summis potestatibus adimere studet, is viam (ut jam diximus) ad imperium affectat. Nam quid ipsæ decernere possunt, si hoc iisdem jus denegatur? nihil profecto nec de bello, nec de pace, nec de ullo quocunque negotio; si sententiam alterius expectare tenentur, qui ipsas doceat, num id, quod utile judicant, pius sit, an impium; sed contra omnia potius ex illius decreto fiunt, qui jus habet judicandi, & decretandi, quid pius vel impium, fas, nefasque sit. Cuius rei exempla omnia viderunt secula, quorum unum tantum, quod instar omnium est, adferam. Quia Romano Pontifici hoc jus absolute concessum fuit, tandem omnes paulatim Reges sub potestate habere incepit, donec etiam ad sumnum imperii fastigium ascenderit; & quicquid postea monarchæ, & præcipue Germaniæ Cæsares conati sunt, ejus autoritatem vel tantillum diminuere, nihil promoverunt, sed contra eandem eo ipso multis numeris auxerunt. Verum enim vero hoc idem quod

nullus Monarcha nec ferro , nec igne , Ecclesiastici solo tantum calamo facere potuerunt ; ut vel hinc tantum ejusdem viꝝ , & potentia facile dignoscatur , & præterea , quam necesse sit summis potestatibus hanc sibi autoritatem reservare . Quod , si etiam ea , quæ in superiore capite notavimus , considerare velimus , videbimus hoc ipsum religionis & pietatis incremento non parum etiam conduce-re : Vidimus enim supra , ipsos Prophetas , quamvis divina virtute præditos , tamen quia privati viri erant , libertate sua monendi , increpandi , exprobrandi , homines magis irritavisse , quam correxisse , qui tamen à Regibus moniti vel castigati facile flectebantur . Deinde ipsos reges ob hoc tantum , quod ipsis hoc jus non absolute competebat , saepissime à religione descivisse , & cum ipsis fere totum populum , quod etiam in Christianis imperiis ob eandem causam saepissime contigisse conitat . At hic forsan me aliquis rogabit , quisnam ergo , si ii , qui imperium tenent impii esse velint ; pietatem jure vindicabit ? an tum etiam iidem ejus interpretes habendi sunt ? Verum ego contra ipsum rogo , quid si Ecclesiastici , (qui etiam homines sunt & privati , quibus sua tantum negotia curare incumbit) vel alii penes quos jus circa sacra esse vult , impii esse velint ; an tum etiam ejusdem interpretes habendi sunt ? Certum quidem est , quod si ii , qui imperium tenent , quâ juvat , ire velint , sive jus circa sacra habeant , sive minus , omnia tam sacra , quam profana in deterius ruent : & longe citius , si qui viri privati seditione jus divinum vindicare velint . Quapropter hoc iisdem jus denegando nihil absolute promovetur , sed contra malum magis

aug-e-

augetur, nam hoc ipso fit, ut necessario (sicuti Hebraeorum Reges quibus hoc jus non absolute concessum fuit) impii sint, & consequenter ut totius Reipublicæ damnum & malum ex incerto, & contingente certum, & necessarium reddatur. Sive igitur rei veritatem, sive imperii securitatem, sive denique pietatis incrementum spectemus, statuere cogimur, jus etiam divinum, sive jus circa sacra à decreto summarum potestatum absolute pendere, easque ejusdem interpretes esse, & vindices; ex quibus sequitur, illos Dei verbi ministros esse, qui populum ex autoritate summarum potestatum pietatem docent, prout ipsa ex earum decreto publicæ utilitati accommodata est.

Supereft jani causam etiani indicare, cur semper in Christiano imperio de hoc jure disceptatum fuit; cum tamen Hebrei nunquam, quod sciam, de eodem ambegerint. Sane monstro simile videri posset, quod de re tam manifesta, tamque necessaria quæftio semper fuerit, & quod summæ potestates hoc jus nunquam absque controversia, imo nunquam nisi magno seditionum periculo, & religionis detrimento habuerint. Profecto, si hujus rei nullam certam causam assignare possemus, facile mihi persuaderem, omnia, quæ in hoc capite ostendi, non nisi theoretica esse, sive ex earum speculationum genere, quæ nunquam ex usu esse possunt: Etenim ipsa primordia Christianæ religionis consideranti hujus rei causa sese omnino manifestat; Christianam namque religionem non reges primi docuerunt, sed viri privati, qui, invitatis iis, qui imperium tenebant, & quorum subditi erant, pri-
vatis Ecclesiis concionari, sacra officia instituere,

administrare , & soli omnia ordinare , & decre-
tare , nullâ imperii ratione habitâ , diu consueve-
runt ; cum autem multis jam elapsis annis religio
in imperium introduci incepit , Ecclesiastici ean-
dem , sicuti ipsam determinaverant , ipsos Imper-
atores docere debuerunt , ex quo facile obtinere
potuerunt , ut ejus doctores , & interpretes , &
præterea Ecclesiæ pastores , & quasi Dei vicarii
agnoscerentur , & ne postea Reges Christiani hanc
sibi autoritatem capere possent , optime sibi cave-
runt Ecclesiastici ; prohibendo scilicet matrimo-
nium supremis Ecclesiæ ministris , summoque re-
ligionis interpreti . Ad quod præterea accessit ,
quod Religionis dogmata ad tam magnum nume-
rum auxerant , & cum Philosophia ita confude-
rant ut summus ejus interpres summus Philoso-
phus , & Theologus esse , & plurimis inutilibus
speculationibus vacare deberet , quod tantum vi-
ris privatis , & otio abundantibus contingere
potest . At apud Hebræos longe aliter res fere ha-
buit : Nam eorum Ecclesia simul cum imperio in-
cepit , & Moses , qui id absolute tenebat , popu-
lum religionem docuit , sacra ministeria ordinavit ,
eorumque ministros elegit . Hinc igitur contra
factum est , ut autoritas regia apud populum maxi-
me valuerit , & ut jus circa sacrâ Reges maxime
tenuerint . Nam quamvis post mortem Mosis ne-
mo imperium absolute tenuerit , jus tamen decre-
tandi tam circa sacra , quam circa reliqua , penes
principem (ut jam ostendimus) erat ; deinde , ut
populus religionem , & pietaten edoceretur , non
magis Pontificem , quam supremum Judicem adire
tencbatur . (Vide Deuter . xvii , 9 , 11 .) Reges
denique

denique quamvis non æquale ac Moses jus habuerint, omnis tamen fere sacri ministerii ordo, & electio ab eorum decreto pendebat: David enim fabricam templi totam concinnavit, (vide 1. Paralip. xxviii. 11, 12, &c.) ex omnibus deinde Levitis viginti quatuor millia elegit ad psallen-dum, & sex millia, ex quibus Judices, & præto-res eligerentur, quatuor deinde millia janitorum, & quatuor denique millia, qui organis canerent, (Vide ejusdem libri xxii. 4, 5.) Porro eosdem in cohortes (quarum etiam primarios elegit) di-visit, ut unaquæque suo tempore, servatis vici-bus, administraret. (Vide vers. 5. ejusdem cap.) Sacerdotes itidem in tot cohortes divisit; sed ne omnia singulatim recensere teneat, lectorem re-fero ad lib. 2. Paralip. cap. viii. ubi vers. scil 13, dicitur, *cultum Dei, sicuti cundem Moses instituerat, fuisse ex mandato Salomonis in templo administratum,* & vers. 14, *quod ipse (Salomon) cohortes sacerdotum in suis ministeriis & Levitarum &c. constituerit, secun-dum jussum viri divini Davidi.* Et versu denique 15 testatur Historicus, *quod non recesserunt à præcepto Regis imposito sacerdotibus, & Levitis in nulla re, neque in crariis administrandis, ex quibus omnibus, & aliis Regum historiis sequitur evidentissime, totum religionis exercitium, sacrumque ministerium à solo Regum mandato dependisse.* Cum autem su-pra dixi, eosdem jus non habuisse, ut Moses sum-mum pontificem eligendi, Deum immediate con-sulendi, & Prophetas, qui ipsis viventibus pro-phe-tarent, damnandi; nulla aliâ de causâ id dixi, quam quia Prophetæ ex autoritate, quam habe-bant, novum Regem eligere poterant, & veniam

parricidio dare, at non quod Regem, si quid contra leges audebat, in judicium vocare liceret, & jure contra eundem agere. Quapropter si nulli fuissent Prophetæ, qui singulari revelatione veniam parricidio tuto possent concedere, ius ad omnia absolute tam sacra, quam civilia omnino habuissent; quare hodiernæ summæ potestates, quæ nec Prophetas habent, nec recipere jure tenentur, (Hebræorum enim legibus addicti non sunt) hoc jus, tametsi cælibes non sint, absolute habent, & semper retinebunt, modo tantum Religionis dogmata in magnum numerum augeri, neque cum scientiis confundi sinant.

C A P U T X X,

Ostenditur, in Libera Republica unicuique & sentire, qua velit & qua sentiat dicere licere.

SI æque facile esset animis, ac linguis imperare, tuto unusquisque regnaret, & nullum imperium violentum foret: Nam unusquisque ex imperantium ingenio viveret, & ex solo eorum decreto quid verum, vel falsum, bonum vel malum, æquum vel iniquum esset, judicaret. Sed hoc, ut jam in initio Cap. XVII, notavimus, fieri nequit, ut scilicet animus alterius juris absolute sit; quippe nemo jus suum naturale, sive facultatem suam libere ratiocinandi, & de rebus quibuscumque judicandi, in alium transferre, neque ad id cogi potest. Hinc ergo fit, ut illud imperium violentum habeatur, quod in animo est, & ut summa majestas injuriam subditis facere, eorum-

corumque jus usurpare videatur ; quando unicuique præscribere vult , quid tanquam verum amplecti , & tanquam falsum rejicere , & quibus porro opinionibus uniuscujusque animus erga Deum devotione moveri debeat ; hæc enim uniuscujusque juris sunt , quo nemo , et si velit , cedere potest . Fateor , judicium multis , & pene incredibilibus modis præoccupari posse , atque ita , ut , quamvis sub alterius imperio directe non sit , tamen ab ore alterius ita pendeat , ut merito eatenus ejus juris dici possit : Verum quicquid ars hac in re præstare potuerit , nunquam tamen eo preventum est , ut homines unquam non experientur , unumquemque suo sensu abundare , totque Capitum , quam palatorum esse discrimina . Moses , qui non dolo , sed divina virtute judicium sui populi maxime præoccupaverat , utpote qui divinus credebatur , & divino afflato dicere , & facere omnia , ejus tamen rumores , & sinistras interpretationes fugere non potuit , & multo minus reliqui Monarchæ , & si hoc aliqua ratione posset concipi , conciperetur saltem in monarchico imperio , at minime in democratico , quod omnes , vel magna populi pars collegialiter tenet ; cuius rei causam omnibus patere existimo .

Quantumvis igitur summæ potestates jus ad omnia habere , & juris , & pietatis interpretes credantur , nunquam tamen facere potuerunt , ne homines judicium de rebus quibuscumque ex proprio suo ingenio ferant , & ne eatenus hoc , aut illo affectu afficiantur . Verum quidem est , eas jure posse omnes , qui cum iisdem in omnibus absolute non sentiunt , pro hostibus habere , sed nos

de ipsarum jure jam non disputamus, sed de eo, quod utile est; concedo enim easdem jure posse violentissime regnare, & cives levissimis de causis ad necem ducere, at omnes negabunt, hæc salvo sanæ rationis judicio, fieri posse: imo quia hæc non sine magno totius imperii periculo facere queunt, negare etiam possumus easdem absolutam potentiam ad hæc, & similia habere, & consequenter neque etiam absolutum jus; jus enim summarum potestatum ab earum potentia determinari ostendimus.

Si itaque nemo libertate sua judicandi, & sentiendi, quæ vult, cedere potest, sed unusquisque maximo naturæ jure dominus suarum cogitationum est, sequitur, in republica nunquam, nisi admodum infelici successu tentari posse, ut homines, quamvis diversa, & contraria sentientes, nihil tamen nisi ex præscripto summarum potestatum loquantur; nam nec peritissimi, ne dicam plebem, tacere sciunt. Hoc hominum commune vitium est, consilia sua, et si tacito opus est, aliis credere: illud ergo imperium violentissimum erit, ubi unicuique libertas dicendi, & docendi quæ sentit, negatur, & contra id moderatum, ubi hæc eadem libertas unicuique conceditur. Verum enim vero nequaquam etiam negare possumus, quin majestas tam verbis, quam re lædi potest, atque adeo si impossibile est, hanc libertatem prorsus adimere subditis, perniciofissimum contra erit, eandem omnino concedere; quapropter nobis hic inquirere iacumbit, quoisque unicuique hæc libertas, salva reipublicæ pace, salvoque summarum potestatum jure, potest, & debet concedi,

quod

quod hic, ut in initio Cap. XVI. montui, præcipuum meum intentum fuit.

Ex fundamentis reipublicæ supra explicatis evidenterissime sequitur, finem ejus ultimum non esse dominari, nec homines metu retinere, & alterius juris facere, sed contra unumquemque metu liberare, ut secure, quoad ejus fieri potest, vivat, hoc est, ut jus suum naturale ad existendum & operandum absque suo, & alterius damno optime retineat. Non, inquam, finis reipublicæ est homines ex rationalibus bestias, vel automata facere, sed contra ut eorum mens, & corpus tuto suis functionibus fungantur, & ipsi liberâ ratione utantur, & ne odio, ira, vel dolo certent, nec animo iniquo invicem ferantur. Finis ergo Reipublicæ revera libertas est. Porro ad formandam Rempublicam hoc unum necesse fuisse vidimus, nempe ut omnis decretandi potestas penes omnes, vel aliquot, vel penes unum esset. Nam quandoquidem liberum hominum judicium varium admodum est, & unusquisque solus omnia scire putat, nec fieri potest, ut omnes æque eadem sentiant, & uno ore loquantur; pacifice vivere non poterant, nisi unusquisque jure agendi ex solo decreto suæ mentis cederet. Jure igitur agendi ex proprio decreto unusquisque tantum cessit, non autem ratiocinandi, & judicandi; adeoque salvo summarum potestatum jure nemo quidem contra earum decretum agere potest, at omnino sentire, & judicare, & consequenter etiam dicere, modo simpliciter tantum dicat vel doceat, & sola ratione, non autem dolo, irâ, odio, nec animo aliquid in rempublicam ex authoritate sui decreti introdu-

trudicandi, defendat. Ex. Gr. si quis legem aliquam sanæ rationi repugnare ostendit, & propterea tandem abrogandam esse censet, si simul suam sententiam judicio summæ potestatis (cujus tantum est, leges condere & abrogare) submittit, & nihil interim contra illius legis præscriptum agit, bene sane de republica meretur, ut optimus quisque civis; sed si contra id faciat ad magistratum iniqutatis accusandum, & vulgo odiosum reddendum, vel seditiose studeat invito magistratu legem illam abrogare, omnino perturbator est, & rebellis. Videmus itaque qua ratione unusquisque, salvo jure, & autoritate summarum potestatum, hoc est, salvâ reipublicæ pace, ea, quæ sentit dicere, & docere potest; nempe si decretum omnium rerum agendarum iisdem relinquat, & nihil contra earum decretum agat, etiamsi saepè contra id, quod bonum judicat, & palam sentit, agere debet; quod quidem salva justitia & pietate facere potest; imo debet, si se justum, & pium præstare vult: Nam, ut jam ostendimus, justitia à solo summarum potestatum decreto pendet, adeoque nemo, nisi qui secundum earum recepta decreta vivit, justus esse potest. Pietas autem (per ea, quæ in præcedente capite ostendimus) summa est, quæ circa pacem, & tranquillitatem reipublicæ exercetur; atqui haec conservari non potest, si unicuique ex suæ mentis arbitrio vivendum esset; adeoque impium etiam est, ex suo arbitrio aliquid contra decretum summæ potestatis, cuius subditus est, facere, quandoquidem, si hoc unicuique liceret, imperii ruina inde necessario sequeretur. Quinimo nihil contra decretum, & dictamen præ-

priæ rationis agere potest, quāndiu juxta decreta summæ potestatis agit, ipsa enim ratione suadente omnino decrevit, jus suum vivendi **ex** proprio suo judicio, in eandem transferre: Atqui hoc ipsa etiam praxi confirmare possumus; in conciliis namque tam summarum, quam minorum potestatum raro aliquid fit **ex** communi omnium membrorum suffragio, & tamen omnia ex communi omnium decreto, tam scilicet eorum, qui *contra*, quam qui *pro* suffragium tulerunt, fiunt. Sed ad meum propositum revertor: qua ratione unusquisque Judicii libertate, salvo summarum potestatum jure, uti potest, **ex** fundamentis reipublicæ vidi mus. At **ex** iis non minus facile determinare possumus, quænam opiniones in Republica seditionæ sint; ex nimis, quæ simul ac ponuntur, pactum, quo unusquisque jure agendi ex proprio suo arbitrio cessit, tollitur. Ex. Gr. si quis sentiat, summarum potestatem sui juris non esse, vel neminem promissis stare debere, vel oportere unumquemque ex suo arbitrio vivere & alia hujusmodi, quæ prædicto pacto directe repugnant, is seditionis est, non tam quidem propter judicium, & opinionem, quam propter factum, quod talia judicia involvunt, videlicet, quia eo ipso, quod tale quid sentit, fidem summaræ potestati tacite, vel expresse datam solvit; ac proinde cæteræ opinions, quæ actum non involvunt, nempe ruptiōnem pacti, vindictam, iram &c. seditionæ non sunt, nisi forte in Republica aliqua ratione corrupta, ubi scilicet superstitionis, & ambitiosi, qui ingenuos ferre nequeunt, ad tantam nominis famam pervenerunt, ut apud plebem plus valeat

valeat eorum, quam summarum potestatum autoritas; nec tamen negamus, quasdam præterea esse sententias, quæ, quamvis simpliciter circa verum & falsum versari videantur, in quo tamen animo proponuntur, & divulgantur. Verum has etiam Cap. X V. jam determinavimus, at ita, ut ratio nihilominus libera manserit. Quod si denique ad hoc etiam attendamus, quod fides uniuscujusque erga Rempublicam, sicuti erga Deum ex solis operibus cognosci potest, nempe ex charitate erga proximum, nequaquam dubitare poterimus, quin optima respublica unicuique eandem philosophandi libertatem concedat, quam fidem unicuique concedere ostendimus. Evidem fateor, ex tali libertate incommoda quædam aliquando oriri; verum quid unquam tam sapienter institutum fuit, ut nihil inde incommodi oriri potuerit? qui omnia legibus determinare vult, vitia irritabit potius, quam corriget. Quæ prohiberi nequeunt, necessario concedenda sunt, tametsi inde sæpe damnum sequatur. Quot enim mala ex luxu, invidia, avaritia, ebrietate, & aliis similibus oriuntur? feruntur tamen hæc, quia imperio legum prohiberi nequeunt, quamvis re vera vitia sint; quare multo magis judicij libertas concedi debet, quæ profecto virtus est, nec opprimi potest. Adde, quod nulla ex eadem incommodo oriuntur, quæ non possint (ut statim ostendam) autoritate magistratum vitari, ut jam tacem, quod hæc libertas apprime necessaria est ad scientias, & artes promovendum; nam hæc ab iis tantum felici cum successu coluntur, qui judicium liberum, & minime præoccupatum habent.

At ponatur, hanc libertatem opprimi, & homines ita retineri posse, ut nihil mutire audeant, nisi ex præscripto summarum potestatum; hoc profecto nunquam fiet, ut nihil etiam, nisi quid ipsæ velint, cogitent: atque adeo necessario se queretur, ut homines quotidie aliud sentirent, aliud loquerentur, & consequenter ut fides, in republica apprime necessaria, corrumperetur, & abominanda adulatio, & perfidia soveretur, unde doli, & omnium bonarum artium corruptio. Verum longe abest, ut id fieri possit, ut omnes scilicet præfinito loquantur: sed contra quo magis libertas loquendi hominibus adimi curatur, eo contumacius contra nituntur, non quidem avari, adulatores, & reliqui impotentes animi, quorum summa salus est, summos in arcâ contemplari, & ventres distentos habere, sed ii, quos bona educatio, morum integritas, & virtus liberiores fecit. Ita homines plerumque constituti sunt, ut nihil magis impatienter ferant, quam quod opiniones, quas veras esse credunt, pro crimine habeantur, & quod ipsis sceleri reputetur, id, quod ipsos ad pietatem erga Deum, & homines movet, ex quo sit ut leges detestari, & quidvis in magistratum audeant; nec turpe, sed honestissimum putent, seditiones hac de causa movere, & quodvis facinus tentare. Cum itaque humanam naturam sic comparatam esse constet, sequitur, leges, quæ de opinionibus conduntur, non scelestos, sed ingenuos respicere, nec ad malignos coercendum, sed potius ad honestos irritandum condi, nec sine magno imperii periculo defendi posse. Adde, quod tales leges inutiles omnino sunt: nam qui opinio-

nes

nes, quæ legibus damnatae sunt, sanas esse credent, legibus parere non poterunt, qui contra easdem tanquam falsas rejiciunt, leges, quibus haec damnantur, tanquam privilegia recipiunt, & iisdem ita triumphant, ut magistratus easdem postea, et si velit, abrogare non valeat. His accedunt quæ supra Cap. XVIII. ex historiis Hebreorum No. II. deduximus: Et denique quod scismata in Ecclesia ex hoc plerumque orta sunt, quod magistratus doctorum controversias legibus dirimere voluerunt; nam ni homines spe tenerentur leges, & magistratum ad se trahendi, & de suis adversariis, communī vulgi applausu triumphandi, & honores adipiscendi, nunquam tam iniquo animo certarent, nec tantus furor eorum mentes agitatet. Atque hæc non tantum ratio, sed etiam experientia quotidiani exemplis docet; nempe similes leges, quibus scilicet imperatur, quid unicuique creditum sit, & contra hanc aut illam opinionem aliquid dicere, vel scribere prohibetur, saepè institutas fuisse ad largiendum, vel potius cedendum eorum iræ, qui libera ingenia ferre nequeunt, & torva quadam autoritate seditiosæ plebis devotionem facile in rabiem mutare, & in quos volant instigare possunt. At quanto satius foret, vulgi iram, & furorem cohibere, quam leges inutiles statuere, quæ violari non possunt, nisi ab iis, qui virtutes, & artes amant, & reipublicam in tantam angustiam redigere, ut viros ingenuos sustinere non possit? Quid enim majus reipublicæ malum excogitari potest, quam quod viri honesti, quia diversa sentiunt, & simulare nesciunt, tanquam improbi in exilium mittantur? quid, inquam, magis perniciosum,

ciosum, quam quod homines ob nullum scelus, neque facinus, sed quia liberalis ingepii sunt, pro hostibus habeantur, & ad necem ducantur, & quod catastrophæ, malorum formido, pulcherrimum fiat theatrum ad summum tolerantiae, & virtutis exemplum cum insigni majestatis opprobrio ostendandum? qui enim se honestos norunt, mortem ut scelesti non timent, nec supplicium deprecantur; eorum quippe animus nulla turpis facti pœnitentia angit, sed contra honestum, non supplicium putant, pro bona causa mori, & pro libertate gloriosum; quid ergo talium nece exempli statuitur, cuius causam inertes, & animo impotentes ignorant, seditionis oderunt, & honesti amant? nemo sane ex eadem exemplum capere potest, nisi ad imitandum, vel saltem ad adulandum.

Ne itaque assentatio, sed ut fides in pretio sit, & ut summæ potestates imperium optime retineant, nec seditionis cedere cogantur, judicii libertas necessario concedenda est, & homines itare regendi sunt, ut quamvis diversa, & contraria pâlam sentiant, concorditer tamen vivant. Nec dubitare possumus, quin hæc ratio imperandi optimâ sit, & minora patiatur incommoda; quandoquidem cum hominum natura maxime convenit. In imperio enim democratico (quod maxime ad statum naturalem accedit) omnes pacisci ostendimus, ex communi decreto agere, at non judicare, & ratiocinari; hoc est, quia omnes homines non possunt æque eadem sentire, pacti sunt, ut id vim decreti haberet, quod plurima haberet suffragia, retinendo interim autoritatem eadem, ubi meliora viderint, abrogandi; quo igitur

hominibus libertas judicandi minus conceditur, eo à statu maxime naturali magis receditur, & consequenter violentius regnatur. Ut autem porro constet, ex hac libertate nulla oriri incommoda, quæ non possint sola summa potestatis auctoritate vitari, & hæc solè homines, et si palam contraria sentientes facile retineri, ne invicem lædant; exempla præsto sunt; nec opus mihi est ea longe petere: urbs Amstelodamum exemplo sit, quæ tanto cum suo incremento, & omnium nationum admiratione hujus libertatis fructus expectatur; in hac enim florentissima republica, & urbe præstantissima omnes cujuscunque nationis, & sectæ homines summa cum concordia vivunt, & ut alicui bona sua credant, id tantum scire curant, num dives, an pauper sit, & num bona fide, an dolo solitus sit agere: Cæterum Religio, vel secta nihil eos movet; quia hæc coram judice ad justificandam, vel damnandam causam nihil juvat; & nulla omnino tam odiosa secta est, cuius sectarii (modo neminem lædant, & suum unicuique tribuant, honesteque vivant) publica magistratum auctoritate, & præsidio non protegantur: Contra cum olim Remonstrantium, & Contraremonstrantium controversia de religione à Politicis & Ordinibus Provinciarum agitari incepit, tandem in schisma abiit, & multis tum exemplis constituit, leges, quæ de Religione conduntur, ad dirimendas scilicet controversies, homines magis irritare, quam corrigerre, alios deinde infinitam ex iisdem licentiam sumere, præterea schismata non oriri ex magno veritatis studio (fonte scilicet comitatis, & mansuetudinis) sed ex magna libidine regnandi;

ex

ex quibus luce meridiana clarius constat eos potius schismaticos esse, qui aliorum scripta damnant, & vulgum petulantem in scriptores feditiose instigant, quam scriptores ipsi, qui plerumque doctis tantum scribant, & folam rationem in auxilium vocant; deinde eos revera perturbatores esse, qui in libera republica libertatem judicii, quæ non potest opprimi, tollere tamen volunt.

His ostendimus I. impossibile esse libertatem hominibus dicendi ea, quæ sentiunt, adimere. II. hanc libertatem, salvo jure, & autoritate summarum potestatum unicuique concedi, & eandem unumquemque servare posse, salvo eodem jure, si nullam inde licentiam sumat, ad aliquid in Republicam tanquam jus introducendum, vel aliquid contra receptas leges agendum. III. hanc eandem libertatem unumquemque habere posse, servatâ reipublicæ pace, & nulla ex eâdem incommoda oriri, quæ facile coerceri non possint. IV. eandem salvâ etiam pietate unumquemque habere posse. V. leges quæ de rebus speculativis conduntur inutiles omnino esse. VI. Denique ostendimus, hanc libertatem non tantum servatâ Reipublicæ pace, pietate, & summarum potestatum jure posse, sed ad hæc omnia conservandum, etiam debere concedi; nam ubi ex adverso eandem hominibus adimere laboratur, & discrepantium opiniones, non autem animi, qui soli peccare possunt, in judicium vocantur, ibi in honestos exempla eduntur, quæ potius martyria videntur, quæque reliques magis irritant, & ad misericordiani, si non ad vindictam plus movent, quam terrent; bœnæ deinde artes, & fides corrumpuntur, adulatores,

latores, & perfidi foventur, & adversarii triganphant, quod eorum iræ concessum sit, quodque imperium tenentes suæ doctrinæ, cùjus interpretes habentur, sectatores fecerint, ex quo fit, ut eorum autoritatem, & jus usurpare audeant, nec jactare erubescant, se a Deo immediate electos, & sua decreta divina, summarum autem potestatè contrà humana esse, quæ propterea divinis, hoc est, suis decretis, ut cedant volunt; quæ omnia nemo ignorare potest reipublicæ salutis omnino repugnare. Quapropter hic, ut supra Cap. XVIII. concludimus nihil reipublicæ tutius, quam ut pietas, & Religio in solo Charitatis, & Aequitatis exercitio comprehendatur, & jus summarum potestatum tam circasacra, quam profana ad actiones tantum referatur, cæterum unicuique & sentire quæ velit, & quæ sentiat, dicere concedatur.

His quæ in hoc tractatu agere constitueram absolvì. Supereft tantum expresse monere, me nihil in eo scripsisse, quod non libentissime examini, & judicio summarum Potestatum Patriæ meæ subjiciam: Nam si quid horum, quæ dixi, patriis legibus repugnare, vel communis saluti obesse judicabunt, id ego indicatum volo: scio me hominem esse, & errare potuisse; ne autem errarem sedulo curavi, & apprime, ut quicquid scriberem, legibus patriæ, pietati, bonisque moribus omnino responderet.

F I N I S.

**Philosophia S. Scripturæ
INTERPRES.**

САМЫЕ СИЛЬНЫЕ
ЗАЩИТЫ И МИ

PROLOGUS.



Heologos ; simulatque oculos
suos conjecerint in
— hujus titulum, nomenque
Libelli ,

non æquō , nec æquali erga illius Autorem
animō affectos fore , quin imo quibusdam
bilem motum iri, nulli dubitamus. Eo enim
usque in suis præconceptis, vel à Magistris
acceptis opinionibus securitatis, atque ob-
firmati devenere animi , ut illas omni ex
parte veritati consonas , & instar Oraculo-
rum ab omnibus habendas esse putent ; ac
idcirco ægerrimè ferant, maximèque in-
dignantur , si quis , se ab ipsis seorsim sen-
tire , profiteri , vel adversus ipsos , senten-
tiā illorum impugnaturus , in arenam de-
scendere audeat. Sed ea est hujus seculi
apud nos felicitas , ut parum curare liceat
istorum hominum iracundiam , atque in-
dignationem , & nihil aliud , si qui animi
adeo impotentis sint , ut ab illis in quem-
quam se abripi patiantur , possint , quam
ejus nomen, si innotuerit apud plebeculam ,
& indoctum vulgus male traducere , atque
invisum reddere. Quo ab incommodo
etiam ut nos sartos tectos conservaremus ,
personati in scenam prodire consultum

A 2

duxi-

PROLOGUS

duximus. Et quamvis quidem hoc pacto
ipsis non omnis maledicendi occasio præ-
repta sit, quin imò eo ipso ansa præbeatur,
nos convitiis Lucifugæ, aut Tenebrionis
sinistrè excipiendi, quique propriâ suâ con-
scientiâ teste damnatus, nomen suum pro-
fiteri non ausus fuerit, quod nullum sibi
ipsi ex hoc scripto honorem, nullam apud
pios laudem merito ullo promittere potue-
rit; Maluimus tamen leve id periculum
subire, cum sic Andabatarum more aërem
tantum ferituri, & in ignotum non nisi
irrita torturi sint tela, quam certis illorum
linguae istib[us] nominis professione caput
nostrum exponere. Quod vero honorem
laudemque, ex hujus Tractatus divulgatione
in nos redundaturos, attinet; scire
illos volumus, ita nobiscum comparatum
esse, ut nos nec convitia tangant, nec glo-
riolam captemus, utpote qui unicè hoc in
opere Veritati operam dedimus; unde
etiam satis superque nobis consci[us] sumus,
si hinc bonam famam, atque existimatio-
nem consequi mens fuisset, illam nos, si-
non apud istos, istorumque ex nutibus de-
pendens vulgus, saltem apud cordatos,
quibusque veritas, quamvis paradoxa,
curæ atque cordi est, (quos solos verè
piorum

PROLOGUS.

piorum nomine dignos censemus) indubie obtenturos fuisse. Verum non vane gloriaræ captationem, non bonæ apud homines opinionis aucupium; sed veritatis propagationem, proximi utilitatem, & divisu ac dissentientis Christianismi compositionem nos nobis scopum fixisse hoc in tractatu, tum ex toto illius contextu, tum ex iis, quæ jamjam dictum sumus, cuilibet ingenuo lectori & cui nostra hæc conamina sinistre interpretandi animus non est, luce meridianâ clarius patefiet.

Postquam enim, emenso studiorum Academicorum stadio, tam Facultatum Superiorum, ut vulgò vocant, quam reliquarum Philosophicarum disciplinarum cognitione, quæ nostris amicorumque votis satisfaceret, tincti, domum nos recepimus, de novo per otium ruminaturi, atque ad Veritatis trutinam serio examinaturi, tum quæ ex doctissimis Cl. nostrorum Præceptorum lectionibus, tum quæ ex eruditissimis celeberrimorum Authorum libris perfectis, atque monumentis inspectis, toto illius temporis decursu hauferamus; visum fuit, primò animum ad Theologiam appellere, utpote reliquis omnibus multis parasangis præcellentem,

PROLOGUS.

cum & bene beatéque vivendi viam mortali bus monstret, & eos ad æternam animarum salutem, qua nihil est præstabilius optabiliusve, deducere valeat. In hac autem dum omnem ponimus operam, ac varias Religionis Christianæ Sectas, earumque pugnantes invicem sententias attente expendimus atque perpendimus, ac inter se conferimus atque dispescimus, haud aliter fere cum ea hodie, quam priscis temporibus cum Philosophia comparatum esse videbatur. Quemadmodum enim, quotquot olim existitare Philosophi, commodissime ad duas classes referri queunt, quarum una est Dogmaticorum, qui certam indubitatemque ex veris principiis haustam rerum scientiam docere, ac Discipulis suis tradere præ se ferebant; altera vero Scepticorum, qui contra, omnia in dubium revocantes, nihil certo sciri posse pronunciabant: Sic hoc seculo etiam duum similium generum reperiuntur Theologi, quorum alterum his, alterum illis respondet. Audacter namque maxima inter eos pars, se veram evidentemque rerum Theologicarum è S. Literis depromptam habere notitiam, eamque alios conducefacere prædicant; cum contra alii, si non omnia sua, quam plu-

P R O L O G U S.

plurima tamen , Religionem Christianam concernentia , tantum verisimiliter è Scripturis petita atque deducta esse, ingenue fateantur, adeoque illa , tanquam incerta, & dubia, meliori aliorum , saniorique subjiciant judicio , ac , sub correptione , ut ajunt , loquentes , quasi ab illis emenda- da proponant. Ac quemadmodum etiam antiquitus tota Dogmaticorum Philo- phorum classis non in unam coière , sed in diversas discrepantes pugnantesque abiēre ententias, ac sectas , quales fuere Pitha- goraeorum , Platonicorum , Epicureorum , Stoicorum , Peripateticorum , &c. Simili- er etiam nostra hac tempestate Theologi Dogmatici circa Christianæ Religionis capita multum inter se dissident , ac varias contrariasque cuderunt, ac etiamnum fo- vent opiniones , idque tanto animi æstu at- que fervore , ut Christianus orbis in partes quasi , atque diversas Ecclesias sit disceptus atque distractus , illiusque incolæ animo & moribus non tantum discordes, sed etiam quidam capitales inimici facti , quales sunt in Europa (ut de Asiaticis nihil dicam) Pontificii , Reformati , Lutherani , An- aptistæ , Sociniani , Arminiani , & id enus alii. Ac denique ut illi , sic etiam hi ,

P R O L O G U S.

hi, utrorumque quamvis quælibet secta
præ cæteris se ostentet atque commendet, ac
inconcussâ veritate subnixam scientiam ha-
bere, docereque glorietur ac polliceatur,
si non omnia, quam plurima tamen profi-
tentur, atque suis sequacibus obtrudunt
dogmata, quæ firmo stabilique Veritatis
fundamento superimposita vel non sunt,
vel, si fortè sint, ejusmodi esse, demon-
strare ac certò ostendere minimè valeant.

De Theologis id verum esse, (ut de
Philosophis taceam, cum ii ad instituti
nostrri rationem non tam pertineant) pate-
bit cuilibet, qui nobiscum eorum demon-
strandri Methodum ac rationem penitus
inspicere volet. Cum enim inter illos ali-
qua de dogmate Fidei ac Morum stabilien-
dò incidit controversia, e vestigio, ut ta-
lis professionis homines condecet, ad S.
Literas, infallibile Dei verbum, tanquam
sacram anchoram, se conferunt atque con-
fugiunt, ex eoque loca quam plurima suæ
sententiaz astruendæ accersunt, atque ac-
cumulant, eaque quod contendunt de-
notare, ostendere satagunt; at fere sem-
per ratiunculis interpretatiunculisque adeo
levibus, ut illas mox facillimo negotio ad-
versarius refellere queat, allata loca vel suæ
opini-

P R O L O G U S.

opinioni firmandæ aptando, vel in alium sensum detorquendo, cuius impetum atque vires rursum aliis, iisdem instructus armis eadem facilitate postea eludit atque avertit: adeo ut omnes pugnant, nullus expugnet, ac de Hoste victoriam reportet.

Cum itaque tam misere cum disciplinarum principe Theologia comparatum esse, ejusque Doctores, cultores, ac studiosos in tantas angustias redactos, tantisque incertitudinum dubiorumque fluctibus me, atque ipsos immersos animadverterem, animo evolvere coepi, annon horum malorum fons posset detegi, ex iisque emergendi affulgeret spes, ac evadendi uspiam occurreret via. In his igitur indagandis dum omnem cogitationem figo, incidit illico felicissima illa præstantissimaque Methodus, qua nobilissimus ac incomparabilis Vir Renatus Des-Cartes,

Primus inaccessum, qui per tot secula Verum.

Eruit è tetris longæ caliginis umbris,

Philosophiam ab ipsis restauravit fundamentis, à tot tantisque, quibus scaterebat, repurgavit lacunis, ac proprio nativoque restituit nitori; nempe Præjudiciorum omnium abdicatio seria, & nullius rei nisi clare distineteque perceptæ assensio atque

B

affer-

P R O L O G U S.

assertio. Diu multumque reputavi mecum sedulo, an, quemadmodum illi in Philosophiâ sic & mihi in Thologiâ liceret, conduceretque in dubium revocare; quicquid in dubium revocari posset, idque continuo, tanquam falsum, rejicere, donec tandem ad aliquid in Theologia firmum ac stabile, quo tuto pedem figere possem, pervenirem. Hic autem dum aliquantulum subsisto, atque animum, ne piscator ictus saperem,

In partes rapi o varias, perque omnia verso,
post longam satis seriamque deliberationem, nihil mihi ex istâ dubitatione periculi, nihil damni aut incommodi imminere, deprehendi; imò verò, cum ipsos in consilium advocarem Theologos, id S. Scripturæ, adeoque, quæ ex ipsa hauritur, Theologiae rectè intelligendæ atque addiscendæ maximè conducere, aliquos ex iis non infimi subsellii statuere, ac tironibus non obscurè suadere repperi. Sic enim Zanchius Tractat. de S. Scripturâ (qui est in ejus Operum Tom. 8.) quæst. 12. cap. 1. Reg. 3. & Scarpus Curs. Theolog. loc. de S. Scriptura Controvers. 8. Reg. 3. præcipiunt, *Ut ad illarum* (scil. Scriptu-

PROLOGUS.

Scripturarum) Studium, sine ullō p̄ejudicio, vel è nostrō capite, vel aliorum doctrinis conceptō accedamus; sed animō candidō, purō, discendique cupidō. P̄ejudicium enim maximum est profectus impedimentum. Ideo Christus suos à fermentō Pharisaeorum sibe cavere jussit. Quo etiam spectat Polanus, quando Theolog. Syntagma. lib. I. cap. 45. quæst. 6. *Inter impedimenta inveniendi verum S. Scripturæ sensum* quinto loco enumerat *In docilitatem ob p̄ejudicia, quibus plurimi imbuti sunt.* Et Ravanellus Bibliothec. Sacr. Titul. de Scriptura, cùm inter media necessaria ad eruendum & consequendum verum ac legitimum Scripturæ sensum, atque adeò ad interpretandam Scripturam, requirit animum à pravis affectibus & p̄econceptis opinionibus vacuum. Nec ab ludit Remonstrantium Confessio, quando ait cap. I. sect. 14. *Non doctos tantum Lectores, sed & idiotas mentem eorum, qua ad æternam salutem necessaria sunt, assequi posse, modò p̄ejudicio, vana confidentiâ, aliisque pravis affectibus se occæcari non sinant.* Gravissimè autem omnium Zwinglius in libello de Certitudine & Claritate Verbi Dei (qui reperitur in ejus Operum Tom. I.)

P R O L O G U S.

cap. 3. hunc in modum. Fateberis te sæpe-
numero Scripturas in hunc finem perlegisse,
ut verba quædam, quæ sententiæ jam antea
conceptæ suffragarentur, excerptores, quibus
opinionem tuam, quam mordicus retinere
cupis, confirmares. Hoc, hoc omnium hu-
manarum Traditionum ulcus est, quod acu-
tetigisse dotet. Quid enim hoc aliud est, quam
sensum proprium Scripturæ testimonio pro-
bare velle, alienum sensum Scripturis inge-
rere, & errori suo Scripturarum prætextum
& patrocinium querere; ut nimirum Scri-
pturæ locos, repugnantes licet, & invitios,
in tuam sententiam pertrahas, & eos id, quod
jam ante tibi persuasum est, loqui cegas?
præjudicia enim nostra jam lata sunt, quæ
in manu gestamus, perinde ac si quis à vicino
suo armata manu panem petat, quem nisi
det, vim sibi inferri sentiet. Quibus exem-
plum addit ac postea concludit. Vnde nunc
colligi potest, quam parum conveniat vio-
lento animi nostri præjudicio Scripturas ac-
cedere. Atque huc etiam videtur pertinere
illud tantopere Theologis decantatum Hi-
larii monitum, *Sensum Scripturis non esse*
inferendum; sed è Scripturis petendum.
Tantorum itaque virorum auctoritate, at-
que ipsius rei veritate permotus ac suffultus,
manum

P R O L O G U S.

manum operi admovere volui, ac Cartesii vestigiis insistens experiri, num Theologum agendo, atque in Theologia, quicquid tanquam dubium ac incertum, removeri potest, removendo, tandem perveniri posset ad aliquid in ea primum, quod removeri nequeat, quin tota simul corruat atque removeatur, quodque reliquorum omnium dogmatum Theologicorum principium esset atque fundamentum. Huic autem negotio dum incumbo, non diu multumque scrutatus fueram, quin sese mox obtulerit omnium in Theologia Enunciatorum primum, nempe *Libros V. & N. Testamenti esse infallibile Dei Opt. Max. Verbum*. Siquis enim etiam hoc amo-
vere atque rejicere vellet, ille jam extra Theologiæ limites profiliret, & non rationibus Theologicis, hoc est, auctorita-
tibus è Scriptura petitis; sed argumentis Historicis, ac aliunde allatis coercendus atque convincendus esset; in eumque quadraret Aristotelicum illud, *Adversus negantem principia non esse disputandum*. Et quemadmodum tota Jurisprudentia Corpori juris innititur, & sine Lege loqui erubescit Jureconsultus: sic etiam omnis Dei verbo superaedificata est Theo-

P. R O L O G U S.

logia , & nihil , nisi inde deductum , Theo-
logo adferendum , vel admittendum .

Hoc igitur reperto jactoque Theologiae
omnis fundamento , ulterius progredi li-
buit , atque investigare , quidnam illi pro-
ximè superstrui posset , ac deberet . Non
multa nec admodum difficulti animi conten-
tione animadverti , ac reperi , illud esse in-
fallibilem S. Scripturæ Interpretationem .
Hac enim quòd caruerint Theologi , fons
existit atque origo unica , unde tanta in-
ter Dogmaticos scaturivit opinionum dis-
crepantia , & quòd nullus suam præ cæte-
ris veram esse certò atque infallibiliter de-
monstrare potuerit . Hanc unicam esse ho-
rum malorum medelam , unicumque car-
dinem , in quo proximè post jam stabili-
tum fundamentum tota versatur Theolo-
gia , ex eo constat , quòd omnia ejus , tam
circa fidem , quam mores dogmata è Scri-
pturâ & peti , & probari debeant , nec in-
de peti , nec probari possint , nisi illius sen-
sus certò cognitus sit , atque perspectus .
Unde etiam in suis disputationibus om-
nium generum , omnium ætatum , atque
regionum Theologi Christiani unicè sem-
per in id incubuerunt , omnesque sui in-
genii , suæque doctrinæ nervos intende-
runt ,

PROLOGUS.

runt, ut Scripturam id quod ipsi, & non quod adversarii dicunt, significatum velle persuadeant, atque ostendant. Hæc autem postquam deprehendi, exemplò animum appuli ad inquisitionem Methodi, qua verus S. Literarum sensus erui, acerutum esse demonstrari, & aliorum falsa interpretamenta detegi, ac istiusmodi esse, ostendi queat; atque hæc omnia quidem certo atque infallibiliter; non enim super arenam, sed petram ædificare animus erat Sacrosanctæ Theologiæ Palatum, & quidem ita, ut quando descendit nimbus, veniunt flumina, & flant venti, inque nostrum incidunt irruuntque ædificium, illud non corruat, non cadat, neque vacillet, sed inconcussum ac stabile permaneat, atque omnes aëris injurias, inimicorumque insultus atque impetus impavidè exspectet. atque aspernetur. Consului itaque omnis generis, omnium locorum atque seculorum Theologos, perpendi quidnam illi de S. Literas interpretandi Methodo statuant, investigavi, quamnam ipsi expositionis normam adhibeant; At nihil, quod animo meo plenè satisfaceret, invenire potui. Unde relictis omnibus illis, quid proprio marte possem, & quousque vires pertin-

P R O L O G U S.

gerent meæ , periculum facere libuit ; ac tandem post arduam operosamque disquisitionem in hanc incidi , cui plenissime acquiesco , quam certam esse atque infallibilem nullus dubito , quamque publico Theologorum examini in præsentia expoño , quodnam de ea judicium ferent experti-
rus , atque exspectaturus .

Auctor itaque sum omnibus singulisque Lectoribus meis , ut cuncta , quæ hoc tractatulo orbi Theologico imus propositum , accurate ac diligenter inspiciant atque executiant , rigidissimo examini subjiciant , ac ad indubitatem Veritatis trutinam appendant atque expendant , ut illam mecum agnoscant & profiteantur , si bene rem gesero , sin secus , mecum non errent ; non enim mihi

Solamen misero socios habuisse malorum ,
utpote cui erranti à non errantibus rectam viam monstrari unice in votis est . Unde non concinnitate vocum , non ornata compositione verborum , non flosculis ac pigmentis Oratorum te , Lector , in nostram sententiam pellicere , sed rem totam nude & simpliciter ob oculos ponere , atque apodieticis rationibus demonstrare volui .

P R O L O G U S.

lui. Non movere , sed docere animus est.
Quamobrem etiam te adulatione nulla, nullis blandiusculis nominibus , ut Scriptorum mos est , in hujus præfationis limine demulcere , mihiique conciliare studui. Perinde enim est , sisne candidus , an ater , cum & aterrimum , imo acerrimum te exoptem. Mihi quippe pariter ac tibi in publicum prodit hoc scriptum. Si enim demonstratam Veritatem agnoscas , id totum in tuum cedet commodum ; sin vero repudies , tuo id erit damno ; sin autem lapsum me fuisse deprehendas atque ostendas , id mihi erit emolumento , ac te sic atrum fuisse gaudio. Veritas namque sola atque unica est , ad quam heic collimo : Hanc si non quæras ne perige , sin quæras audacter lege , perlege , relege , ventila atque examina , ac tandem
Vive , vale , & , siquid novisti rectius istis ,
Candidus imperti ; si non , his utere mecum.



PHILOSOPHIA
S. SCRIPTURÆ
INTERPRES.

EXERCITATIO PARADOXA.

C A P. I.

1. *Questionis dignitas.* 2. *Exercitationis summa Capita.*

I. **N**iguit jam inde à Reformationis primordiis, Pontificios inter ac Euangelicos, gravis magnique momenti Quæstio circa jus, infallibilemque factos sanctas Scripturas interpretandi normam. Nec quidem temerè. Cum enim Novi Veterisque Testamenti codices ab omnibus, qui Christo nomen dedere, pro Dei verbo, ac unico (exceptis solis Pontificiis, qui Traditiones, & Ecclesiæ placita superaddunt) agnoscantur habeanturque principio, ex quo omnia tum Fidei tum Morum dogmata peti debant; quæcunque circa ista emergere porro poterunt difficultates, ad hoc unum Interpretationis punctum vergere, ac confluere, in eaque sola cunctorum inter Christianos dissidiorum disceptationumque versari cardinem, nemo, qui Theolo-

giam

giam vel à limine salutavit, ibit inficias. Atque hinc etiam luce meridianâ clarius consequitur, illi, qui verum genuinumque divinarum Literarum sensum indicare valet, ac demonstrare certo atque indubitatè, soli concessum esse, de Fide Moribusque firmum quid à immobile statuere, ac aliud sentientes refutare, atque convincere. Cum contra, quibus hæc denegata est prærogativa, reliqui super arenam ædificant, ac incassum tantum verba fundant, aut siquid fortassis huic illi minime pertinaci ac nimium credulo persuadeant, id adeo infirmis & labantibus subnixum sit fundamentis, ut etiam levissimo diversum statuminantium conamine disjici queat, ac destrui. Quod vero, hâc interpretandi dote destituti, sibi sacros libros exponendos in manus sumpserunt Theologi, radix exstitit atque fons, ex quibus tot inter Christianos discrepantes pullularunt sententiæ, tot adversis pugnantes frontibus scaturiverunt seftæ, tot profluxerunt scismata, quæ Christianum orbem à jactis illius fundamentis continuo infestarunt, atque etiamnum infestant indies, adeo ut illius incolæ telis, quæ in Ethnicos, Judæos, Mahumetanos, communes illos cælestis doctrinæ hostes, torquenda erant, mutua in pectora maximo veritatis damno abuti misere cogantur. Neque divisa laceri Christianismi membra coadunari, totque ad eundem capita sensum meliore mihi remediò redigi posse videntur, quam eodem illo, quod morbus præveniri atque præcaveri poterat, Normâ scilicet, atqve regula certa, minimeque fallaci, ad quam, tanquam ad Lydium lapidem, omnis Interpretationis veritas exigatur, explore-

tur,

tur, dijudicetur. Quocirca illorum minimè contemnenda, multò minus in se & tanda; verum maximis extollenda laudibus ac promovenda est opera, qui illi reperiundæ ingenii sui intenderunt nervos, studiorumque suorum partem consecrarent. Unde nec ego, quamvis novus, atque in hāc palestra rūdis athleta, me in hujus indagatione aliquid temporis ac laboris impendisse erubescam, quidque istā in re profecerim atque effecerim Tractatulo hoc impræsentiarum Theologico exponere orbi minime verebor. Evidem neque rixandi aut contradicendi libidio, neque lucri cupiditas, neque gloriæ studium; sed, ut ad investigandum impulit, sic ad scribendum excitavit solus sincerusque Veritatis amor: quam mecum omnes, qui mente attenta, ac à præjudiciorum nebulis liberā rem sedulo examineate, paucisque has pagellas perlegeredignabuntur, assenturos, spero atque confido.

2. Ut autem in iis certiori gradu, ac majori cum profectu versentur, ac tria hæc capita, quibus totum negotium absolvam, respici, atque attendi velim. Primum quædam de Controversiæ subjecto & prædicato prælibamina, ex iisque propriam ~~expositiōnē~~ demonstratam sententiam explicabit. Alterum nostræ demonstrationis ab objectionibus, quæ adversus illam fieri possent, vindicias exhibebit. Ultimum discrepantium à nostrâ sententia Opinionum refutationem, ac argumentorum, quibus illæ stabiliri solent, solutionem ob oculos ponet.

C A P U T I I

1. *Interpretis Homonymia.*
2. *Quid nobis significet.*
3. *Illius objectum materiale.*
4. *Quid sit vocabulum.*
5. *Quid sit oratio.*
6. *Utriusque Divisio.*
7. *Interpretis objectum formale.*

3. **I**nterpretū vox, (ut à prædicātō initium faciam) à quā interpretari, interpretatio, ac interpretamentū originem ducunt, multipli apud Auctores venit significatione. Communiōres sunt, quod denotet primo Eum, qui partes dissidentes componit atque conciliat: sic *interpretes* ab Asconio Commentat. in 2. Orat. Ciceron. contra Verrem dicuntur, per quos inducitur pacticō. Hoc sensu etiam Virgilius 4. Æneid.

Tuque harum interpres curarum, & consilia Iuno.
 Ubi Servius, *Interpres, hoc est, Mediatrix, & conciliatrix.* Nec non Cicero Orat. 5. in Verrem. *Qui aut sequestres, aut interpretes corrumpendi judicii solent esse &c.* Et quoniam tales Mediatorēs animos eorum, quibus dati sunt interpretes, scrutantur atque sciscitantur, ac illis postmodum explicant atque aperiunt, factum est ut interpres secundo pro eo accipiat, qui obscura exponit; sic Virgilius 3. Æneid.

Trojūgena interpres divūm &c.

In quem locum Servius, *Interpres, vaticinator, qui mentem Deorum mortalib[us] publicat.* Et 10. Æneid.

Hominum

Hominum Divumque interpres Asylas.

Ubi iterum Servius, Deorum quos interpretatur; hominum, quibus interpretatur, & divinas indicat mentes, interpres vocatur. Et Cicero, ad obscuritatem ambiguitatemque orationis id specialius applicans, Orat. 14. pro A. Cluent. *Legum ministri Magistratus; legum interpretes Iudices; legum denique idcirco omnes servi sumus, ut libet esse possimus.* Sic etiam de Partit. Orator. *Ut ex facto cuiusque Index legi mentem interpretaretur.* Et de Offic. lib. 1. Exsistunt etiam sepe injuria calumnia quâdam, & nimis callidâ & malitiosâ Iuris interpretatione. Cumque etiam, qui ex incognita lingua in cognitam aliquid transfert, obscuram quodammodo orationem claram reddit ac perspicuam; hinc etiam Interpres tertio is dicitur, qui quid in aliam seu scripto, seu vivâ voce, vertit linguam. Hac hujus vocis significatione utitur Horatius in arte, quando ait,

*Nec verbum verbô curabit reddere fidus
Interpres.*

Et Cicero de Finib. Bon. & Mal. lib. 3. *Nec solum exprimi verbum è verbis necesse erit, ut interpretes indiscreti solent, cum sit verbum, quod idem declareret magis minusve usitatum.* Et de Optim. genere Orator. *Converti duorum eloquentissimorum nobilissimas orationes: nec converti ut interpres, sed orator. &c.*

2. Quamvis autem hæc ultima hujus vocis significatio apud Theologos etiam obvia, atque in usu sit, quando nempe inter Pontificios, & qui ab ipsis defecerunt, disceptatur de S. Scripturæ in linguas vernaculaς, seu vulgares interpretatione

tatione seu tralatione. Videsis Chamier. Panstrat. Catholic. Tom. I. lib. II. Polan. Syntagmat. Theolog. lib. I. cap. 39. & alios. Nobis tamen heic loci in secunda venit significacione, hanc ab illa distinguentibus cuin eodem Polano loc. cit. cap. 45. his verbis, *Sacra Scriptura interpretatio* (*ut de significacione vocis principio admoneam*) intelligitur *hoc capite non versio aut translatio ex una lingua in aliam, sed ostensio veri sensus & usus Scripturae*: Et cum Chamiero Panstrat. Tom. I. lib. 15. cap. I. §. I. cum ait, *Perractatis controversis, que pertinent ad eam Scripturam Interpretationem, que verba spectat, soletque appellari translatio sive versio, sequitur, ut eam partem tractemus, qua pertinet ad ipsam verborum sententiam*. De hac eadem etiam agit in genere V. C. Dannhawerus in sua idea Boni Interpretis & Malitiosi Calumniatoris, ejus integrum Systema exhibens, eamque Logicæ partem faciens, & Hermeneuticam vocans: Ut & doctissimus ac Reverendus Vir Joh. Claubergius, in Academia Duisburgensi Philosophiae ac Theologiae Professor, in sua Logica Vet. & Nov. qui illam *Hermeneuticam Analyticam* appellat, ac de vero *Orationis obscuræ sensu investigando agere* dicit.

3. Ex quibus manifestum evadit, Interpretem, de quo nobis sermo instituendus est, versari atque occupari in sermone externo, ut ex eo internum sermonem eliciat, atque educat, hoc est, vocabula considerare, atque ex iis conflatas orationes, ut earum investiget, atque eruat sensum, menti Authoris examissim congruentem ac respondentem.

4. *Vocabula* autem hæc, ut habet Cicero in Top. sunt

sunt rerum nota, aut potius, ut nos putamus, conceptum. Primo enim iis utimur, ut, quod mente concepimus, aliis notum faciamus; cumque conceptus nil sint, nisi rerum representamina in intellectu, iisdem secundo etiam illæ res denotantur atque designantur. Tora autem hæc denotatio non à Natura, sed libera hominum voluntate operum dicit. Non quidem imus inficias ab hominiq[ue] natura promanare, adeoque homini naturale esse sonos atque voces edere; immo loqui, hoc est, vocabula proferre; sed hos sonos, has voces hunc, & non illum conceptum, hanc, & non illam rem designare, soli hominum beneplacito, atque instituto acceptum referendum est. Cum enim, quidquid Naturæ ambitu continetur, nec sensi, per, nec ubique locorum praesto adsit, nullaque mortaliū in alterius mentem atque animum, tanquam in speculum, intueri à Natura concessum sit; & tamen hominum eadem societate utensium usus & commoda exigant, sua sibi invitatem cogitata atque animi sensa communicare, coacti fuere, pro arbitrio voces effingendo, iisque significations affingendo, quod natura negaverat, industria compensare. Nec in solis sonis vocibusque; quibus tantum praesentes cum presentibus sermonem habere licetum est, substituit hæc humani ingenii sagacitas; sed ulterius progressa etiam absentes cum absentibus quasi colloqui fecit, vocum videlicet sonorumque notas fabricando, literas puta, quarum multifaria mutabilique compositione, quocunque vocalborum aures ferit, menti per oculos possit exhiberi: Adeo ut multa hac loqua non minus,

quam viva voce aliis animi nostri sensa nota redere queamus.

5. Ex vocabulis porto, tanquam ex partibus, constatur *oratio*, seu enunciatio, in qua aliquid alio dicitur & pronunciatur. Duo itaque sunt in omni oratione, aliquid nempe, quod de alio dicitur, & aliquid, de quo aliud dicitur: hoc *Subiectum*, illud vero *Prædicatum* à Logicis nuncupatur; ac conjunguntur in affirmatione per voculam *est*, & disjunguntur in negatione per *non est*: Adeo quidem ut sine his particulis nulla subsistere queat Enunciatio, ac propterea non immerito illius anima vocentur.

6. Cum igitur vocabula orationem omnem componant, eaque non solum ore pronunciari, sed etiam literis pingi ac designari queant, idem quoque in oratione obtinebit: Adeoque tam hæc, quam illa erunt in dupli differentia, nempe aut viva voce prolata, aut scriptura expresa; & circa utrumque genus tam vocabulorum, quam orationum versabitur noster Interpres, quamvis diversimode; utpote circa orationes primario, tanquam objectum proximum; circa vocabula vero secundario, taliquam objectum remotum, materiam scilicet & partes, ex quibus omnis oratio producitur, atque constat. Primum enim quod intendit interpres est investigate orationis sensum, qui cum plerumque ex vocabulis, eam conflatis, oriatur, adeoque ex hisdem eti debeat, nullo modo scopum sibi præfixum ferire poterit, nisi illa etiam attente consideret, ac diligenter expendat, atque excutiat.

7. Quamvis etiam vero Gratio Interpretationis obje-

objectum sit proximum atque primarium, non tamen id totum est, quod heic loci in ea spectari oportet. Grammatica enim, & Rhetorica, & aliæ partes Logicæ illam etiam considerant; sed non eodem modo atque hæc. Unde Philosophi optime objecta disciplinarum, earumque partium distinguunt in *materialia* & *formalia*. *Materiale* objectum pluribus artibus est commune, *formale* uni peculiare, sic oratio & à Grammaticis tractatur, at quatenus præceptis ac regulis artis congruit: & à Rhetoribus, at quatenus ornata est: & à Logicis, at quatenus eā conceptus exprimuntur: Hic vero quatenus obscura ac ejus sensus investigandus est: Si enim omnis oratio clara ac perspicua esset, nulla obscura, non opus esset ulla interpretatione, quæ illam claram redderet, hoc est, sensum ejus patefaceret. Cum igitur obscuritas orationem interpreti nostro subjiciat, illamque ejus objectum formale faciat, de ea nobis latior erit instituendus sermo.

C A P U T I I I .

1. Quid sit orationis sensus? 2. Quid perspicuitas, quid obscuritas? 3. Hæc esse relata, non absoluta. 4. Quotuplex sensus, eorumque definitiones? 5. Quotuplex sit perspicuitas & obscuritas? 6. Distinctio inter orationis veritatem & verum sensum. 7. Tria in omni oratione consideranda, quorum neglectus Theologos in errores abduxit? 8. Quid sit obscuritas proprie dicta, & quid ambiguitas? 9. Quotuplex sit hac obscuritas? 10. Quotuplex obscuritas unius vocabuli? 11. Quid vocabulorum insolentia? 12. Quid Barbaries? 13. Orationis

tionis integra obscuritas ex quotuplici sit causa? 14. Ut & integra periodi? 15. Nec non integri scripti? 16. Quotplex ambiguitas respectu subjecti? 17. Quid & quotplex sit Homonymia? 18. Et Homonymia à casu? 19. Et Homonymia à consilio? 20. Vocabulorum acceptio quid & quotplex sit? 21. Quid & quotplex sit Amphibolia? 22. Quoniam sint Orationis acceptiones? 23. Quotplex sit Ambiguitas orationi ore prolate propria? 24. Ut & scripto expressa? 25. Ambiguitatum perplexitas & multitudo. 26. Ambiguitatis divisio respectu nostri. 27. Harum Ambiguitatum inter se comparatio. 28. An unius orationis sit unicus sensus literalis.

1. **Q**uod in Vocabulis significatio, hoc in Oratione est sensus, id scilicet, quod ea indicatur atque denotatur. Et cum quaelibet oratio, ut diximus, ex vocabulis confluat ac constet, ex horum significationibus etiam illius sensus constabit, atque constabitur.

2. Hujus autem respectu oratio perspicua, aut obscura dicitur. Perspicua est cuius sensus prima fronte, aut primo intuitu audienti aut legenti patet. Obscura vero, cuius sensus prima fronte, aut primo intuitu audienti aut legenti latet. Dicimus autem prima fronte, aut primo intuitu, & audienti aut legenti, ut utramque orationum, tam viva voce prolatarum, quam scripto expressarum, differentiam complectemur, prima fronte ad audientem, & primo intuitu ad legentem referendo.

3. Ex his autem definitionibus manifestum evadit, tam perspicuitatem, quam obscuritatem respicere Auditoris, Lectorisve intellectum; adeoque totam utriusque naturam consistere in relatione ad aliud.

aliud. Quod idem insuper ex eo confirmatur, quod s̄epissime accidat orationem, quæ uni obscura est, alteri esse perspicuam, & contra, quæ uni perspicua est, alteri esse obscuram; quod in absolutis locum habere nequit. Unde gravis est illorum Theologorum error, qui, non ut de Relatis, sed tanquam de rebus Absolutis loquuntur, quando de S. Scripturæ perspicuitate atque obscuritate disputant, illasque ad Solem ejusque lucem comparatione explicant. Sic enim magnus inter Reformatos Theologus, *Perspicuitas Scriptura est proprietas, quæ in ipsa Scriptura est, & quam semper retinet, sive homo illuminatus, sive non illuminatus sit; quamvis non illuminatus istam perspicuitatem non videat: Simili modo, quo Sol in se ipse clarus est ac manet, sive homo oculos aperiat sive claudat; sive videat, sive cecus sit; ista enim in homine varietas ipsum Solem nec clam nec obscurum reddere potest.* Et ut nihil interest (sunt verba alterius eximii inter Reformatos Theologi) ad Solis lucem, quis sit oculus: quia quicunque ille tandem sit: tamen Solem videre non potest, nisi per eisdem Solis lucem, & ideo semper Sol lucidus est, quamdiu percepta ejus luce videtur, nec aliter videtur: sic perspicua erit Scriptura, quia sive magis, sive minus acuta ingenia Scripturas ex Scripturis intelligunt; quacunque tandem mensura sit, gradusve intelligentia.

4. Sensus porrò unius ejusdemque orationis, ob causas varias multiplicesque mox dicendas atque enumerandas, varius esse ac multiplex, multifariamque dispisci potest. Aptissima commodissimaque quod rem præsentem attinet, divisio est, quod sit vel simpliciter sic dictus, quem verba pre se

ferunt, vel verus, quem intendit Author. Hos autem sensus in orationibus occurtere, ex eo apertum est, quod non illico is, quem vocabula sententiae, prout communiter & vulgo sonant, praese ferunt, sensus sit, quem, dum interpretandæ mentis gratia ista vocabula exarabat aut pronunciabat, in animo habuit Author. Sic, ut uno alterove Scripturæ exemplo rem ostendam, cum legitur *brachium Dei, digitus Dei*; & cum Christus ait, *hoc est corpus meum, ego sum via veritas, & vita*; nemo nescit, quid ista vocabula in communi loquendi usu designent, adeoque secundum istam significationem ex illis sensum colligere: At illum esse verum, & ab Auctore intentum, nullus sanæ mentis dixerit Theologus. Unde patet duplicom has sententias, atque adeo orationem admittere sensum. Non quidem diffitemur, illos aliquando posse concurrere, ita ut, qui est ex Authoris mente, & qui se ex communi usu auditori lectorive offert, coincident, quamvis adhuc aliamve explicationem ferat oratio. Nec inficias imus, illi quandoque simplicem duntaxat atque unicum forsan, vel etiam plures, quam duos inesse posse sensus. Attamen, cum & duo, & eo, quo probatum est, modo diversi esse queant, sensuum hæc in oratione distinctio locum obtinebit.

5. Et quoniam, ut supra innuimus, oratio respectu sensus perspicua aut obscura dicitur, isque duplex est, simpliciter dictus, & verus; duplex etiam erit perspicuitas, & obscuritas, prout ad hunc vel illum referuntur, quarum definitiones ex precedentibus facilime compilari possunt.

6. Ex dictis autem liquet, verum, de quo nobis hic

hic sermo est, sensum nequaquam esse confundendum cum illo vero sensu, unde oratio vera nuncupatur, & non ad intellectum mentemque dicentis, sed ad res, quae dicuntur, refertur. Notum est cuilibet, disciplinis Scholasticis leviter tincto, multiplicem apud Philosophos inveniri Veritatis appellationem, ac, inter alias, duas esse, quae sermoni externo tribuuntur, Logicam unam, alteram Ethicam dictam. Ab illa dependet orationis veritas, ab hac ejusdem sensus verus: ab illa oratio appellatur vera, ab hac sensus verus. Est namque illa orationis convenientia cum ipsis rebus, prout extra loquentis intellectum in natura existunt. Hæc vero ejusdem conformitas cum ideis atque conceptibus, quos in animo habuit is, qui ipsam seu scripto, seu viva voce protulit, nulla habita ratione, congruatne rebus ipsis, an secus. Eandem inter orationis veritatem ac verum sensum differentiam notare videtur Augustinus Confess, lib. 12. cap. 23.. Duo video dissensuum genera oboriri posse, cum aliquid à nuncius veracibus per signa enunciatur: unum, si de veritate rerum; alterum, si de ipsis, qui annunciat, voluntate dissensio est. Alter enim querimus de Creatura conditione, quid verum sit; aliter autem quid in his verbis Moses, egregius domesticus fidei tuae, intelligere lectorem, auditoremve voluerit. Nec absimilis est Chamieri distinctio, quam proponit Panstrat. Catholic. Tom. I. Lib. 15. cap. 3. §. 21. his verbis. Distingo verum sensum: dicitur enim absolute & ad se, nimirum qui nihil proponit falsi, vel impii: vel relate ad locum, de quo est quaestio; ut sit vere is sensus literalis, quem is locus exigit.

7. Tria itaque in oratione, quod ad significatiōnem, apprimē distinguenda veniunt, sepsus nem-pe simpliciter sic dictus, sensus verus, & veritas. Ac horum quidem sensuum, indēque emergen-tium perspicuitatum, obscuritatumque distincta consideratio non exigua nostrae Exercitationis scopo fœnerabitur lucem: cum contrā eorum ne-glectio S. Literarum interpretes, ac Theologos in errorum labyrinthos & hallucinationum Mæan-dros abduxerit. Putarunt namque quam plurima Scripturarum loca, quando ex verbis notis sen-sum, quem primo intuitu præ se ferebant, colligere nullo labore potuerunt, esse clara & perspicua, & quidem perspicuitate veri sensus, illicò sibi persua-dentes illum, qui sic fese sponte obtulerat, menti S. Scriptoris congruere: cūm interim huic longè alia fuerit; atque adeò loca illa respectu veri sensus sint obscura atque difficilia, illique sibi misere im-posuerint interpretes, non animadversa, aut post-habita sensuum distinctione, simpliciter dictum pro vero arripientes, nec ulterius, quod sui officii erat, inquirentes, an eo sensu quo oblatum locum exponebant, etiam scripto consignarat Author. Sic Pontificii (ut exemplis dicta illustremus) verba Christi, quibus S. Cænam instituit Matth. 26. vers. 26, 27, 28. *Accipite, comedite, hoc est corpus meum, & bibite ex eo omnes, hoc enim est sanguis meus novi illius Testamenti &c.* Clara & perspicua esse clamitant & scriptitant, ut etiam sunt, ac inde sensum confi-ciunt nullo negotio, quemadmodum id cuilibet licet. At hic sensus est tantum simpliciter dictus; non autem verus, quemadmodum id contendunt atque ostendunt Reformati: adeoque hic locus quidem

quidem est perspicuus respectu sensus simpliciter sic dicti : non autem veri , sed obscurus. Sic etiam quando in Scripturis Deus dicitur *Dominus cali & terra.* Matth. 11, 25. Luc. 10. 21. Actor. 17, 24. *Rex gentium.* Jerem. 10, 7. *Rex Regum.* 1. Timoth. 6, 15. *Regnare super gentes.* Psal. 47, 9. *Genuisse Filium.* Psal. 2, 7. *Dilexisse mundum.* Johan. 3, 16. &c. Vocabula sunt , quorum significatio neminem fugit , unde ex iis etiam quilibet non difficulter harum orationum colligit sensus , at non nisi simpliciter sic dictos. Nam hominum ad instar Deum esse dominum , aut regem , aut generare , aut diligere , nullus qui supra vulgus sapere volet , afferet. Quocirca veri sensus altioris erunt indaginis , eorumque respectu hæc de Deo prædicata non perspicua , sed obscura. Unde plebem Christianam , quando passim hæc , ut vocabula prima fronte sonant , accipiunt , toto constat errare cœlo , & omnes , qui cum illa hac in parte faciunt , S. Scripturæ Interpretes ; quibus itaque nostra sensum , eorumque respectu perspicuitatum , obscuritatumque distinctio ap- primè tenenda est , si non continuo turpissime labi , & in absurdissimarum interpretationum scopulos velint impingere.

3. Duplicem igitur (ut redeamus , unde di- vertimus) statuimus Obscuritatem , nimirum vel sensus simpliciter dicti , quæ propriè , & simili- citer *Obscuritas* dicitur : vel veri , quæ iterum du- plex est. Orationis enim vel nullus occurrit sen- sus , vel unus , vel plures : Si nullus simpliciter ob- scura est ; si unus , vel plures , perspicua quidem est , respectu sensus simpliciter dicti ; at respectu

veri obscura: ambigi enim potest, utrum ille unus, an verò illi plures etiam sint sensus veri: adeò ut obscuritas veri sensus sit, & in oratione cuius unus, & in oratione cuius plures se offerunt sensus. Quòd si verò unus ille oblatus sensus, etiam sit unicus, illaque oratio nullum alium admittat, erit etiam verus; sī minus, quod plerumque, si non semper obtinet, non erit, quamvis esse possit, illicet talis dispiciendumque, similiter ac in oratione, cuius plures se obtulerunt sensus, quisnam ille sit, si unus, aut quinam, si plures ab Authore fuerint intenti, quod, num fieri queat, sub fine hujus capitis inquiremus. Hæc autem sensuum in unâ oratione multitudo *Ambiguitas* vulgo nuncupatur, de quâ cùm orationem respectu veri sensus reddat obscuram, nobis post obscuritatem simpliciter dictam etiam arbitrandum erit.

9. Hæc autem *Obscuritas* quadruplex esse potest, vel unius vocabuli, seu phraseos; vel totius alicujus orationis; vel multarum simul orationum periodorum comprehensarum; vel integri scripti. Fieri quippe potest: I. Ut unum aliquod vocabulum, aut una aliqua phrasis, totum orationis sensum reddat ignotum. II. Ut, quamvis cuiuslibet vocis significatio sit perspecta, propter tamen earum compositionem, atque constructionem oratio obscura evadat. III. Ut orationes, quarum quæque, si sola spectetur, perspicua sit atque facilis, connexæ tamen atque conjunctæ totam, quam componunt, Periodum obscuram efficiant atque difficilem. IV. Denique ut à periodis claris atque intelligibilibus, at confusè inter se dispositis, ac tumultuarie trajectis, integrum confletur scriptum, quòd intelligi

telligi nequeat. Atque harum, si non omnes, aliquas saltem perstringit Cicero lib. 3. de Orator. his verbis. *Isti, qui ad nos causas deferunt, ita nos plerumque ipsis docent, ut non desideres planius dici.* Easdem res autem simulac Fusiūs, aut Pomponius agere cœpit, non aquè, quid dicat, nisi admodum attendi, intelligo, ita confusa est oratio, ita perturbata, nihil ut sit primum, nihil ut secundum, tantaque insolentia, ac turba verborum; ut oratio, qualcumque adhibere rebus debet, ea obscuritatem & tenebras offerat, atque ut quodammodo ipsis sibi in dicendo obstrepare videantur.

10. Obscuritas unius vocis aut phraseos est, vel isti linguae, quâ loquimur aut scribimus, propriæ, & vernaculae; vel alienæ: hæc Barbares, illa *Insolentia* vocatur.

11. *Insolens* atque inusitata vox aut phrasis est, quæ aut ob vetustatem non tantum antiqua, sed antiquata & obsoleta est, aut præ nimiâ novitate nondum in usum introducta & recepta. Conciuntur enim & seniō vocabula, ac intereunt, quemadmodum homines, & alia rursus in lucem protruduntur, ac in demortuorum locum succedunt, secundum illud Horatii in Arte.

*Ut silvae foliis prono mutantur in annos,
Prima cadunt; ita verborum vetus interit etas,
Et juvenum ritu florent modo nata, vigentque.
Debemur morti nos nostraque.*

Et paulò pòst,

*Mortalia facta peribunt;
Nendum sermonum stet honos, & gratia vivax.
Multa renascentur, que jam cecidere, cadentque,
Quæ nunc sunt in honore, vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est, & jus, & norma loquendi.*

Qui

Qui utitur sernione tam priscō, ut non nobiscum, sed cum nostrō atavō aut tritavō, vel adeò novō, ut cum posteris nostris loqui videatur, quid aliud agit, quam ut à coætaneis non intelligatur. Illud etiam agnovit Quintilianus Instit. Orator. lib. 8. cap. 2. his verbis. Obscuritas fit etiam verbi ab usu remota: ut si commentarios quis Pontificum, & vetustissimā fūdera, & expletos scrutatus autores, id ipsum petat ex eis, ut qua inde coriraxerit, non intelligantur. Hoc vero Vossius. Instit. Orator. lib. 4. c. 1. sect. 8. Novata perspicuitati repugnant. Vix enim fieri potest, ut nota sint omnibus, qua à dicente primū gignuntur. Ejusdem ferè moneta sunt voces nova. Hujusmodi Augusti temporibus obsoletæ voces & phrases apud Latinos fuere, mis pro mei; sam pro eam; nenum, nenu, vel neno pro non; rupper pro citio; perbitare pro perire; borinari pro tergiversari; dapatilia comissè pro comedissè opipara; apludam edere & floccos bibere pro furfure vesci & faciem bibere, de quō disputat Agellius lib. 11. cap. 7. Novæ autem favor, urbanus, reatus, munerarius, piratica, & alia, de quibus vide Quintilian. lib. 8. Instit. cap. 3. irritare, pro irritum reddere, Leg. 2. Codic. de Fériis. Quod contra hoc factum fuerit, omnibus modis irritatur; & absentare pro absentem facere. Cland. 3. de raptu Proserp.

— Patriis præul absentaverit astris.

12. Barbara vox & phasis est, quæ, ex peregrinâ linguâ petita, in vernaculum introducitur, & præter consuetudinem probatorum Scriptorum usurpatur. Harum autem duplex est genus; aliæ enim nec usu, nec ortu sunt vernaculæ; aliæ verò ortu quidem, non tamen usu sunt tales. Quæ usu non ortu vernaculæ sunt, pro varietate linguarum, unde oriuntur,

orjuntur, variæ sunt, quamobrem Barbaries est vel Hebraismus, vel Græcismus, vel Latinismus, &c. Exempla vocum barbararum ac peregrinarum, omnis generis atque undiquaque petitarum, in Latina lingua videri possunt apud Vossium Lib. de Vit. Sermon. & Glossemat. Latino-barbar. In novo Testamento occurrunt præter alios Latinismi & præcipue Hebraismi. Latinismi sunt, Α'ερα'γειον, απόστολος, ευαγγελία, διάβολος, λαύρα, λέπρα, πάτλα, & Διδάχης, i.e. da operam, Luc. 12. vers. 58. & id genus alia Hebraismi, Amen, Emmanuel, Hosanna, Maranatha, Messias, Raca, Sebaoth, & istius notæ quamplurima alia vocabula, præter quæ innumere occurrunt phrases & loquendi modi, ex Hebræa lingua deducti, ut lippis & tonsoribus notum; sed qui accuratè considerandi sunt, & quorum neglectus S. Literarum interpreti imponere posset. Exemplum unum ex multis, & passim cuilibet obvium ac notissimum subjungam. Theologi laureoram in mustaceo sibi reperisse videntur, cum tam anxiè distinguunt has phrases, credere Deum, credere in Deum, & credere Deo. Credere quippe Deum inquiunt est credere aliquem esse Deum, eumque omniscium, omnipotentem, omnipræsentem, creantem, conservantem, dirigentem, justum, misericordem, æternum, &c. At credere in Deum est non solum credere Deum esse & quidem omnipotentem, omnipræsentem, misericordem, bonum &c. sed insuper totam spem & fiduciam salutis suæ in eo ponere atque adeò credenti esse bonum, pro credente esse omnipotentem, erga credentem esse misericordem, atque omnia in ipsius commodum ac salutem dirigere:

dirigere : *Credere* verò *D̄o* est ejus verbis assentire, eique fidem adhibere, quæ veritatem profitenti & loquenti præstanda ; Primum competere ajunt, omnibus hominibus, ut & ipsiſ Dæmonibus, ex Jacob. 2.19. Secundum Fidelibus tantum ; atque nefas esse credere in creaturam puram, At hoc in Tertio non obtinere, hominibus enim vera profarentibus credere licet. Ità omnes ferè uno ore: Cum interim *Credere Deum* nusquam mihi in Scripturâ occurrerit, & dici nequeat, nisi per Ellipsis vocula *esse* subintelligatur, vel subjungatur, ut in allato ex Jacobi Epistola loco : & *Credere in Deum* Hebraismus sit, qui tantum valet, ac apud Græcos & Latinos, *credere Deo*: unde etiam promiscuè in S. Literis dicitur credere in Deum, & Deo. Videsis Johan. 14:1. Rom. 10: 14. 1. Petr. 1: 21. & 2: 6. Rom. 4:3: 17. Gal. 3.6. 2. Timot. 1: 12. ut etiam credere in Christum, & Christo. Loca sunt quamplurima, videantur. Johan. 2: 11. & 4: 39. & 5: 46. & 6: 35: 40: 47. & 8. vers. 30. 31: 45. 46. & 10: 37: 38: 42. Ex quo penultimo cit. cap. nostra sententia luce meridiana clarius apparet, de iisdem enim utrumque dicitur : Nam postquam vers. 30. dixerat Euangelista, *Hac illō loquente, multi crederunt in eum*, continuo subjungit versu sequente 31. *Dicebat ergo Iesus iis Iudeis, qui crediderant ip̄si : Si vos manseritis &c.* Quod posterius *credere ip̄si*, idem esse, ac prius *credere in eum* ipsi sua versione fatentur Theologi, qui jussu Præpotentium fædetati Belgii Ordinum S. Literas in vernaculum transtulerunt sermonem ; vertunt enim *رسی میسرنگ نه ایون* qui [in] eum credebant. Denique ut ex abundanti patet *credere in Deum esse hebraismum*, ac in eadem significat

significatione in Scripturis dici *credere in creaturam*
 duos tantum ex Veteri Testamento afferre placet
 locos. Unde est Exod. 14: 31. *Tinuerunt populus ipse*
Iehovam, credideruntque in Iehovam, & in Mosem ser-
rum ejus. Alter 2. Chronic. 20: 20. *Consistens Iosaphat*
dixit: Audite me Iudei, & Habitatores Ierusalem,
firme credite in Iehovam Deum vestrum, & confirmabi-
mini: firme credite in Prophetas ejus, & prosperabitimi.
 Alter quidem verterunt jam jam laudati Theo-
 logi, nempe *credebant in Iehovam, & Mosis servo ejus:*
nec non credite in Iehovam Deum vestrum, & credite
Prophetis ejus: Attamen in Commentario, quem pri-
 mo loco apposuerunt, ubi etiam secundum allegant,
 (par enim est utriusque ratio) expressis confitentur,
verbis, eundem quidem esse in Hebreo loquendi modum
sed differentiam desumi ex natura rei. Unde facile ju-
 dicatu est, quam egregie suo munere functi sunt vi-
 ri illi, qui sensum Scripturæ non inferri, sed *ex ea*
bautiri debere, semper clamitant & scriptitant.

13. Obscuritas orationis oritur vel ex vocabu-
 lorum ejus trajectione, vel omissione. *Trajectio* ista
 fit, quando naturalis illorum ordo perturbatur.
 Hæc à Quintiliano cit. loc. *Mixtura verborum dicitur*,
*eiusque exemplum adfertur hic Virgilii ver-
 sus, lib. 1. Æneid:*

Saxa vocant Itali medius que in fluctibus aras.
Cujus naturalis ordo est, Quæ saxa in fluctibus medius
Itali vocant aras. Omissio est, quando quædam ora-
tioni necessaria verba subtilcentur, ut in illo Virgi-
lli, lib. 1. Æneid.

Quos ego... Sed motos prestat componere fluttus.
& isto Lucan. lib. 2. Pharsal.

Tantone novorum

Proventu scelerum querunt, uter imperet Urbi?
 Vix tanti fuerat civilia bella moveri,
 Ut neuer.

Nec tantum in ligata sed etiam soluta oratione reperitur hæc vocum præteritio, ut in illo cliniano lib. 18. cap. 7. In Transpadana Italia scio vicenas quinas libras farris modios pendere, circa Clusium & senas. Pro vicenas & senas. Nec non in illo Lucæ in Euangel. cap. 13. vers. 9. Καὶ μή μηνεγγραπτοί. Itē μόνη εἰς τὸ μέτωπον ἵκεν ψυχὴν αὐτοῦ. Erasmus verèrit. Et siquidem fecerit fructum: sin minus in posterum succides eam. Beza in sua versione sic supplet; Et siquidem tulerit fructum, dimittes; sin minus, &c. Simile hoc est Pauli 2. Cor. cap. 5. v. 13. Εἴτε δικίσματα, ήτοι οὐ πρωτηράπολες, οὐ ποινή. Hoc est, sive enim insanimus, Deo; sive sani sumus, vobis. Quod Erasmus & Beza geminatione vocum insanimus, & sani sumus supplerunt. Hujus generis in Scripturis quamplurima obvia sunt.

14. Integræ Periodi obscuritas multis oritur de causis. Prima est *Brevitas* secundum illud Horatii in arte,

————— *Brevis esse labore.*

Obscurus fio.

Quam perstringit Quintilianus loc. cit. in hunc modum. Alii brevitatis amuli necessaria quoque orationi subtrahunt verba & velut satis sit scire iplos, qua dicere velint, quantum ad alios pertineat, nihil putant. At ego ociosum sermonem dixerim, quem auditor suo ingenio non intelligit. Notavit hanc obscuritatis causam in scriptis Thucydidis Cicero in Bruto, cui adjungi possunt è Latinis Tacitus, & Persius. Altera & quidem priori contraria est Periodorum *Longitudo*. Vnde idem Quintilianus, loco jam

jam saepius laudato de obscuritate in contextu
& continuatione sermonis loquens ; ait ; Nec sit
tam longus, ut eum prosequi non possit inventio : nec tra-
jettione tam tardus, ut in Hyperbaton finis ejus differatur.
Atque huc etiam videtur pertinere illa multilo-
quentia, in quam idem eodem loco invehitur hunc
in modum. Est etiam in quibusdam turba inanum ver-
borum, qui dum communem loquendi morem reformi-
dant, ducti specie nitoris, circumeunt omnia copiosa lo-
quacitate, que dicere volunt : ipsam deinde illam seriem
cum alia simili jungentes miscentesque, ultra, quam ullus
spiritus durare possit, extendunt. Tertia obscuritatis
in Periodis causa est orationum, enunciationum
que, quibus constant, Connexio vel nulla, vel mala.
Quibusdam enim Scriptoribus in more positum
est, Sententias multas accumulare ; at nullis vocu-
lis, quibus conjungi solent, & quæ propterea a
Grammaticis *Conjunctiones* appellantur, nec cum
præcedentibus, nec inter se connectere. Alii vero
illis quidem utantur, sed perperam, & instituto
alienis atque absconis. Quarta est orationum *Con-
fusio* & commixtio, quando scilicet naturalis earum
ordo rumpitur atque perturbatur, & ~~versus~~ ~~versus~~
fit. Illustrè exemplum occurrit apud Virgilium 2.
Aeneid.

Incipio super his : *Iuvenes fortissima frustra
Pectora, si robis audientem extrema cupido
Ceria sequi : que sit rebus fortuna videtis.
Excessere omnes adyis arisque relictis,
Dii, quibus imperium hoc steterat, succurritis urbi
Incensa : mariamur, & in media arma tuamus.*

Quorum versuum talem facit ordinem Servius

in hunc locum. Juvenes fortissima pectora, frustra
succurritis urbi incense; quia excessere omnes Diis.
Unde si vobis cupido certa est me sequi audientem extrema;
moriatur & in media arma ruamus. Quinta est tacita
Prosopopœia, aut *Dialogus*, quando videlicet aut unus
sermonem faciens, aut plures inter se conferentes
non expressè, sed tectè introducuntur. Prioris
exemplum est in illo Juvenalis *Satyr.* 6.

*Quadrinventa tibi quis Deus, aut similis Diis,
Et melior fatis donaret, homuncio, quantus.
Ex nihilo fieres! quantus Virtutis amicus!
Da Trebio, pone ad Trebium, vis frater ab istis
Ilibus? ô nummi vobis hunc præstat honorem,
Vos estis fraites.*

Posterioris in hoc ejusdem eademque *Satyr.*

*Pone crucem servo. Meruit quo criminis servus
Supplicium? quis testis, adest? quis derulit? audi,
Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa est.
O demens, ita servus homo est? nil fecerit, esto,
Hoc volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.*

Nec non in illo Horatii lib. I. Epistol. 16. quam
ita claudit.

*Vir bonus & sapiens audebit dicere, Pentheu.
Rector Thebarum, quid me perferre, patique.
Indignum coges? Adimam bona. Nempe pecus, gemm,
Lectos, argentum: tollas licet. In manicis &
Compedibus servo te sub custode tenebo.
Ipse Deus, simulatque volam, me solvet. Opinor,
Hoc sentis, moriar: mors ultima linea verum est.*

Sexta denique *Interpositio*, quando oratio una, aut
plures inter se connexæ interjiciuntur alii, vel
aliis. Hanc obscuritatis causam agnovit quoque
Quintilianus loco jam toties memorato, cum ait.

Etiam

Etiā interjectione, qua & oratores, & Historici frequenter utuntur, ut medio sermone aliquem inferant sensum, impediri solet intellectus, nisi quod interponitur, breve est. Nam Virgilius illo loco, quo pullum equinum describit, cum dixisset,

*Nec vanos horres strepitus
compluribus insertis, alia figura quinto demum versu redit,
Tum, si qua sonum procul arma dedere,
Stare loco nescit, micat auribus, & tremit artus:
Collectumque premens volvit sub naribus ignem.*

Hæc autem Interpositio fit sine vel cum Parenthesios signis; sine iis est in exemplo allato; cum illis autem est in hoc Æneid. 3.

*Fare age (namque omnem cursum mihi prospera dixit
Religio, & cuncti suaserunt numine Divi
Italiam petere, & terras tentare reposas;
Sola novum, dictuque nefas Harpyia Celeno
Prodigium canit, & tristeis denuntiat iras,
Obscenamque famem) que prima pericula rito,
Quidre sequens tantos possim superare labores.*

Hujus generis exempla apud Authores passim obvia.

15. Integri alicujus Scripti obscuritatem ex nullo alio proficiisci posse videmus, quam ex confusa & perturbata rerum quæ illo pertractantur, Dispositione atque ordinatione; quando videlicet præpostere summa imis permiscentur, & quæ primo medio & postremo collocanda erant loco, tumultuarie; ac nullo ordine inter se confunduntur. Specimen hujus obscuritatis exhibent aliqui Digestorum seu Pandectarum Tituli.

16. Huc usque de Obscuritate, reliquum est ut de Ambiguitate dicamus. Hæc autem in oratione

vel ex ejus partibus, vel ex totius complexu atque conjunctione existit & exoritur: illaque *Homonymia*, hæc verò *Ampibolia* nuncupatur; quamvis etiam idem denotet, quod Ambiguitas. Hoc sensu Fabius Institution. lib. 7. cap. 9. *Amphibolia species* sunt innumerabiles; adeo ut *Philosophorum* quibusdam nullum videatur esse verbum: quod non plura significet: genera admodum pauca. Aut enim vocibus accidit singulis aut conjunctis.

17. *Homonymia* est, quando orationis pars aliqua (quæ est vel unum vocabulum, vel phrasis) plures diversasque habet significationes. Sic vox *Taurus* apud Quintilianum, & animal, & montem, & signum in cælo, & nomen hominis, & radicem arboris denotat. Dispescitur autem vulgo *Homonymia* à Logicis in eam, quæ à casu est, & in eam, quæ à consilio.

18. *A casu homonyma vox* dicitur, quæ fortuito, & sine ratione diversa significat; idque innumeris ferè modis contingere potest. Fit enim vel sine vel cum vocis inflexione. *Sine inflexione* vox homonyma est sub eodem vocabulorum genere, vel diverso. Sub eodem, scil. *nominum* est, *Ius*, denotans id, quod injuriæ opponitur, & quod sorberi potest; *Malum*, pomi genus, & infortunium &c. Sub genere Verborum, *edere*, significans in lucem emittere, & ore manducare; *Pendere*, pondus explorare, & debitum solvere; *Cernere*, videre, judicare, & cribrare; &c. Sub genere Participiorum *Passus* a pando & patior; *succensus*, a succenso, & succendo. Sub genere Adverbiorum, *Ubi*, & *Hacdenus*, denotantia circumstantias loci & temporis. Sub genere præpositionum, *In*, denotans contra, inter, mo-

tum

tum ad locum , & esse in loco . *Super*, pro præter ; ultra , de , & inter . Sub genere Conjunctionum , Ut , significans causam , & concessionem , pro quamvis . Sub diverso genere sunt , *Latro* , nomen & verbum ; *Decursus* , *neglectus* , *impulsus* , *latus* , nomina & participia ; *Penitus* Nomen & Adverbium ; *Versus* , & *Adversus* ; nomina & præpositiones ; *Qui* , & *hic* pronomina & adverbia ; *Certo* , *intro* , *eo* , *adeo* , *continuo* Verba & adverbia ; *Cum* adverbium , præpositio , & conjunctio ; *Ut* , & *modo* adverbium & conjunctio-nes , &c . Quæ ex vocis Inflexione oritur , Homonymia est vel unius vel plurium . *Illa* non tam est ipsius significationis , quam ejusdem circumstantiæ : estque admodum multiplex ; quot enim in declinationibus casus , quot generum terminationes , quot in conjugationibus temporum concurrunt personæ ? *Hæc* est ipsius significationis , fitque , quando per inflexionem plures in eandem coincidunt , quæ possunt esse vel sub eodem genere vocum , vel sub diverso , istaque inflexio vel unius duntaxat , vel simul ambarum . Exempla addimus . *Tela* est nominativus singularis fæmininus , & nominati-vus , accusativus , & vocativus pluralis neutrius generis a *Telum* : *Avis* , nominativus singularis , & dativus ac ablativus pluralis ab *avis* ; *Turba* no-men , & secunda imperativi à *Turbare* ; *amor* & *ca-nor* nomina , & primæ præsentis indicativi Passivi , ab *amo* & *cano* : *Is* pronomen , & secunda præsen-tis indicativi ab *eo* : *minime* , *maxime* , *plane* , vocati-vi , a *minimus* , *maximus* , *planus* , & adver-bia negandi & affirmandi : *Ino* , adverbium , & ab-lativus ab *imus* . *Circum* præpositio , & accu-sativus a *circus* ; *Adversum* , & *Secundum* , præpo-

sitiones, & neutrum genus ab adversus & secundus : *Quoque conjunctio, & ablatus à quiue :* *Verum & vero, conjunctiones & neutrum ac ablatus à verus :* *Porro & modo conjunctiones & ablativi à porrū, & modus.* *Eo, quo, aliquo, quocunque, hac, ea, qua,* Adverbia, & ablativi ab is, qui, aliquis, quicunque, hæc, ea, & quæ ; *Uti, Adverbium, & infinitivus ab utor :* *Age, agite* Adverbia hortandi, & secundæ personæ, singularis & pluralis imperativi ab ago : *Intra & sine* præpositiones, & secundæ imperativi ab intro ; & fino. *Cis* præpositio, & secunda præsentis indicativi à cio. *Fili* genitivus à filum, & vocativus à filius : *Telis* dativus & ablatus pluralis à tela & telum : *Suum* genitivus pluralis à sus, & neutrum à suus. *Turbas* accusativus pluralis à turba, & secunda præsentis à turbo : *Ducis, Legis & Regis* genitivi singularis à Dux, Lex & Rex, & secundæ præsentis indicativi à duco, lego, & rego. *Vestrūm & Nostrūm* genitivi plurales à tu & ego, & neutra à vester & noster : *meas, & eas* accusativi plurales à mea & ea, & secundæ præsentis à meo & eo. *Constiti* præteritum, à consto & consisto, *crevi* a cerno & cresco, *pependi* a pendo, & pendo : *Egero, ris, rit, rimus, runt* præsens indicativi, cuius infinitivus est egerere, & futurum cum præterito subjunctivi ab ago. Hæcque sufficient, sexcenta enim liceret ejusmodi proferre, nisi & Lectori & nobis tedium crearetur. Finem igitur eorum facimus bis versiculis, unum alterumque exemplum exhibentibus,

Quid facies, facies Veneris cùm veneris ante ?

Ne sedeas, sed eas, ne pereas per eas.

Et

Et illis,

*Si quia sede sedes, si sit tibi commoda sedes,
Ista sede sede, nec ab ista sede recede.*

19. A Confilio Homonyma vox est, quæ diversis rebus significandis certa ratione attribuitur. Hæc autem ratio vel in nobis est, vel in rebus ipsis. In nobis est, quando certa de causa liberis nostris nomina imponimus alterius personæ, vel illustri, vel nobis charæ. Hanc Homonymiæ speciem etiam agnoscit Quintilianus Instit. lib. 7. cap. 9. his verbis, *Cum pluribus rebus aut etiam hominibus eadem appellatio est omnia dicuntur, exemplumque subjungit, Ajax Telamonis, an Oilei filius. In rebus ratio quæ est, vel Grammaticam spectat, vel Rhetoramicam. Grammaticam spectat, quod Adjectivum in neutro sumatur vel Substantivè, vel Adiectivè, vel Adverbialiter; Verbum accipiatur pronomine vel verbo: & Participium Adiectivè vel Participialiter. Rheticam quæ spectat ratio est, Tropus, sub quo comprehenduntur Metaphora, Metonymia, Synecdoche, & Ironia, earumque variæ Species & Affectiones, quas qui latè explicatas cupit, adeat Rheticos, atque inter ipsos Coryphaeum G. J. Vossium Instit. Orator. lib. 4. qui a capite quinto, usque ad finem libri luculentissimam eorum exhibit tractationem. In omni autem tropo esse ambiguïtatem, ex eo manifestum est, quod oratio tropicis vocabulis expressa duplìcē habeat sensum: Veluti cùm *Anima* ponitur pro homine, *puppis* pro nave, *author* pro opere, *pastor* pro ecclesiæ ministro, &c. incertum namque est atque dubium, num in propria an translata significatione ista vocabula usurpentur. Idem judicium esto de Phrasis,*

bus, quæ idcirco hic referendæ veniunt; Nam scrupulum injicere vel propriè est, lapillum jaceere, vel impropriè difficultatem mouere: Atque hujus notæ etiam sunt, aero carbone notare, à limine salutare, & id genus quamplurimæ. Denique nulli classi compendiùs, quām huic, accenseri mihi posse videntur voces illæ, quæ Philosophis Terminis artis audiunt, & aliud in communi loquendi usu, aliud in certis disciplinis denotant, & quandoque in diversis diversa. Sic genus aliud soñat vulgò, aliud Grammaticis, aliud Logieis: sic Conversio aliud significat apud plenem, aliud apud Logicos, aliud apud Theologos; sic declinatio aliud denotat in communi usu, aliud in Grammatica; Ellipsis aliud in Geometria, aliud in Grammatica exprimit; Schema, Hyperbole, & Parabole, aliud notant in Rhetorica, aliud in Geometria; Radius vulgò præter alia, & Opticis denotat splendorem è corpore lumenoso emicahitem: Geometris Diametri dimidium: & Anatomicis minus brachii os, quod majori inter carpum & medium brachii curvaturam sito superincumbit.

20. Ad vocabulorum ambiguitatem, nostro quidem arbitratu, etiam pertinent variaz eorum acceptiones; quainvis secùs sentiant alii; duplum enim in oratione pariunt sensum, ob duplum, qua pollent, significationem. Vocantur autem *Acceptiones* ut & *Suppositiones*, quia per eas id, quod vox denotat, supponitur & accipitur. Hanc quamplures enumerantur. *Prima* est, quodd vox sumatur vel materialiter vel formaliter; materialiter quidem pro se ipsa, sive materia, literis nempe & syllabis, ex quibus constat; formaliter

vero

vero pro re , quam significat. Sic cùm dicimus *mus* est monosyllabum , tertiae declinationis , masculini generis; *Bestia* est trisyllabum, primæ declinationis, fæminini generis, vocabula *mus* & *bestia* sumuntur materialiter ; At cùm dicimus , *mus* est *bestia* , accipiuntur formaliter , pro rebus , quas ex instituto designant. *Aliera* est , quòd vox sumatur vel latè vel strictè ; *Latè* quidem in ampliore : *strictè* verò in contractiore significatu. Sic vox *Philosophia* aliquando denotat omnes in universum disciplinas liberales & Philosophicas , aliquando tantùm habitus Theoreticos & Practicos , exclusis instrumentalibus Grammatica , Logica , & Rhetorica. *Tertia* est cùm vox accipitur verè vel abusivè : *Verè* dicitur sumi pro vera re quam denotat ; *abusivè* verò pro eo , quod veræ rei speciem præ se fert. Sic nomen *Dei* & *Philosophia* seu *Sapienia* sumitur aliquando pro vero Deo , & vera Philosophy seu sapientia : aliquando pro Ethnicorum idolis , & erroneis hominum opinionibus. *Quarta* est , quòd vox sumatur vel propriè vel appellativè ; *Propriè* accipitur , quando rem singularem & individuam ; *appellativè* verò , quando rem multis communem designat. Sic *Academia* significat propriè locum nemorosum prope Athenas , ubi Plato natus est ; appellative est ille in Urbe qualibet in quo Studiorum Gymnasia celebrantur. *Quanta* est denique quod vox sumatur collective vel distributive , *Collectivè* accipitur , quando , multa simul conjuncta notat , idque ita , ut prædicatum de inferioribus sui subjecti dici nequeat , ut *omnes Apostoli sunt duodecim* , *omnes*

Evangeliſta ſunt quatuor; Distributio vero quando prædicatio ita fieri potest; cumque ſubiecti inferiora ſint vel Specie, vel Individua, distributio hæc eft duplex, vel in genera ſingulorum, cum prædicatur tantum de Speciebus, ut Deus vult omnes homines ſalvos fieri; omnia animalia fuerunt in arca Noe: vel in ſingula generum, cum prædicatio de ſingulis individuis fieri potest, ut omnis homo eft animal. Atque hæc ſunt Acceptionum præcipue species, reliquas apud Scholasticos videre licet, qui de iis admodum prolixe, & plerumque magis ſubtiliter, quam utiliter diſputant.

21. Vidimus hactenus de Homonymia; accedamus nunc ad *Amphiboliam*, quæ Voffio *Constructionis ambiguitas* definitur. Nobis tamen hæc vox, ut ex iis, quæ ſuperius diximus, liquet, latius heic loci patet, nempe, ut, omnem quæ in tota oratione occurrit, & ex homonyma voce vel phraſi originem non ducit, ambiguitatem defi- gnet, adeoque, quæ ex constructione naſcitur, tanquam ſpeciem ſub ſe contineat. Accidit autem multifariam pro multifaria vocabulorum in oratione Syntaxi. Aliquas enamerabimus. Genitivus inter duo nomina ita collocatus, ut ad utrumque referri queat, *Amphiboliam* gignit; ut *Frat-ter Uxoris filium occidit*; ubi dubium eft, num *Uxor* eam frater, an *filium* cohæreat. Similem in ambiguitatem incidit *Valerius Flaccus*, cum ſic ſua orditur Argonautica:

*Prima Deum magnis canimus freta pertia nautis:
Ubi docti diſputant, ſitne genitivus Deum referendus ad prima freta, an magnis nautis. Amphibolia etiam oritur, quando Relativum Qui ita inflexum*

occu-

occurrit, ut quodlibet duorum Substantivorum præcedentis orationis respiciat; sic in illo Ovidii.
1. Metam.

*Unus erat tote Natura vultus in orbe,
Quem dixerit Chaos.*

Quem, & ad *orbe* & ad *vultus* referri potest. Hujusque generis tam multa passim cuilibet occurunt exempla, ut plura addere non sit opus. Duo quoque accusativi cum Verbo infinito constructi, quorum alter agentem, alter patientem denotat, sententiam reddunt amphibolam, ut in trito illo oraculo Ennii apud Ciceron. lib. 2. de Divin.

Ajste, Macida, Romanos vincere posse.

Quisnam hic sit victor futurus, quis vero *victus*, in ambiguo relinquitur. Huic simile est illud Plauti Mercat. Act. 2. Scen. 4.

Pentheum diripiisse ajum Bacchas.

Et illud apud Quintilianum, lib. 7. cap. 9. Instit.

Lachetem audiri percussisse Demeam.

Quodammodo etiam amphiboliam esse statuunt quidam in illo Terentii. Hecyr. Act. 2. Scen. 1.

Itaque adeo uno animo omnes socrus oderunt nurus.
Nam & *socrus* casus recti esse potest; *nurus* causativi, & contra: Nos vero Homonymiam potius dicimus: *Socrus* enim & *nurus* voces homonymæ sunt à casu per inflexionem, cum quartæ sint declinationis, cuius nominativus, genitivus & vocativus singularis, nec non nominativus, accusativus, & vocativus pluralis terminatione congruunt. Et hinc istius sententiaz ambiguitas, non autem ex constructione, ut in præcedentibus, & in hoc, ————— *Calo decurrit apero,*
Ubi dubium est, utrum per celum aperum decurrit,

an cum celum apertum esset, ut habeat Quintil. loc. cit. qui adhuc unum alterumve subjungit exemplum, quod quoniam ad rem praesentem facit, hic apponere libet. Ubi est id, ait, quod quo referatur, dubium est, & ipsum est ambiguum. Heres meus dare illi damnas esto omnia sua. In quod genus incidit Cicero (in Bruto) loquens de C. Fannii saceri instituto, Quem, quia cooptatus in Augurum collegium non erat, non admodum diligebat: praesertim cum ille Q. Scævolam fibi minorem natu generum prætulisset. Nam id fibi & ad sacerum referri, & ad Fanninm potest. Hæc Fabius; quibus accenseri etiam debet illud Octavii, venienti ad se Ciceroni dicentis, quod postremus amicorum accederet. Ad orationis porro constructionem etiam referri potest Ordo, seu collocatio vocabulorum, unde etiam, quæ ex illa oritur ambiguitas, huc pertinet. De hac sic idem Quintilianus eodem loco. Fit per collocationem; ubi dubium est, quid quo referri oporteat: ac frequentissime, cum id quod medium est, utrumque possit trahi, ut de Troilo Virgilius, I. Eneid.

Lora tenens tamen ——

Hic uirum quod teneat tamen lora, an quamvis teneat, tamen trahatur, queri potest. Unde controversia illa; Testamento quidam poni jussit statuam auream hastam tenentem. Queritur, statua hastam tenens aurea esse debeat, an hasta esse aurea in statua alterius materie. Præter hæc etiam Amphitolia ex orationis sensu nimis lato, & non satis determinato nascitur, quemadmodum in Oraculo, quod opulentissimo Asiae Regi editum refert Herodotus lib. 2.

*Κρονος Αλυς μεταβας, μεταλη δοχην εγειρωσι. hoc est,
Cræsus, Halym penetrans, magnam pervernet opus vim.*

Quo

*Quo deceptus Hostium vim sese perversarum putavit,
pervertit autem suam, ut habet Cicero lib. 2. de Di-
vinat. Huic non absimile est illud Fabii loco sæ-
pius laudato. Sepe, uiri duorum antecedentium sermo
subjunctus sit, in dubio est: Unde est controversia, Hæres
meus Uxori meæ dare damnas esto argenti, quod
elegerit, pondo centum. Uter eligat, queritur.
Deinde Amphibolia etiam est, cum tacite persona
una inducitur loquens, vel plures colloquentes;
dubium enim sæpe est, num ipse Autor, an per-
sona, aut quænam personarum sermonem habeat.
Hujusmodi Prosopopœiæ seu sermocinationes, &
Dialogismi occurunt in Ecclesiaste & Cantico
canticorum; Ut & in Prophetis, & Psalmis, ut
agnoscit Chamierus Panstrat. Cathol. Tom. 1.
lib. 15. cap. 15. §. 27. Nec non apud Satyricos.
Sic Horatius Satyr. 3. lib. 2. Damasippum ipsum
accusantem inducit, quod nihil scriberet, cum ipse
alium accusare videri posset: ita enim orditur.*

*Sic raro scribis, ut tote non quater anno
Membranam poscas, scriptorum quaque retexens
Iratius tibi, quod vini, somnique benignus
Nil dignum sermone canas. &c.*

Quibus postea inter se & Damasippum Dialogum
annectit, in quo quis loquatur sæpe ambigum est.
Utrumque etiam, nostro judicio, reperitur apud
Juvenalem Satyr. 5. in his versibus.

*Vin tu consuetus audax conviva canistris
Impleri, Panisque tui novisse colorem?
Scilicet hoc fuerat, proprie quod saepe relicta
Conjuge per montem adversum, gelidaque cucurri
Esquilias, tremaret seva cum grandine vernus
Iuppiter & multo stillaret penula nimbo?*

Et

Et in illis Satyr.6.

Dic aliquem sodes, dic Quintiliane colorem.

Haremus: dic ipsa olim convenerat, inquit,

Ut faceres tu, quod velles, nee non ego possem

Indulgere mibi. Clames licet, & mare caelo

Confundas; homo sum. Nihil est audicius illis

Deprensis; iram atque animos à crimine sumunt.

Denique ad Amphiboliam etiam referri debere videtur, cum *integra oratio*, seu *enunciatio* alium ex *communi* in aliqua lingua usu admittrit at vulgo *habet sensum*, quam *propriè sonant vocabula*. Memorabile est exemplum, & cum *præpostorè vulgo intelligatur*, allatu dignum, quod exstat 1. Reg. cap. 3. vers. 12. Ubi Deus Salomoni animum intelligentem ad judicandum populum petenti respondit. *Ecce facio secundum sermonem tuum; ecce do tibi animum sapientem & intelligentem: adeò ut par non fuerit ante te, & post te non surrecturus sit par tibi.* Quæ posteriora verba propriè ferè accipit tota Theologorum cohors, &, quæ ipsos cæco impetu sequitur, plebs Ecclesiastica; quasi iis denotetur, Salomonem ad illud omnium rerum cognitionis ac sapientiæ culmen fuisse elevatum, ut ipsi

Non similis fuerit, nedum superavit ullus

Pectore sollerti, sive acto vixerit aro,

Seu quondam existat venturus posterus annis:

Cum idiotismus, & modus loquendi sit Hebræis usitatissimus, quo nihil aliud, quam excellentia, & præstantia significatur: adeoque sanctus Author eo loco tantum voluerit exprimere, Deum Salomoni valde eximiam, & plane non vulgarem sapientiam fuisse largitum. Atque hoc ita se habere ex duobus aliis ejusdem Scriptoris locis non obscu-

re

re elucescit. Unus est lib. 2 Reg. cap. 18. vers. 5:6 & 7. Ubi de Hiskia dicitur: In Iehova Deo Israëlis fiduciam habuit, & non fuit ei similis inter omnes Reges Iuda, qui post eum, aut qui ante eum fuerunt. Adhæsit enim Iehova: non recessit ab eo sequendo, sed observavit precepta ejus, qua præceperat Iehova Mosis, &c. Alter habetur ejusd. lib. cap. 23. ver. 25. & est de Josia hunc in modum. Et similis ei non fuit ante ipsum rex, qui se converterat ad Iehovam ex toto corde suo, & ex toto animo suo, totisque viribus suis, omnino secundum legem Mosis: nec post eum extitit similis ei. Quoniam enim de horum Judæ Regum utroque dicitur, ei alium nec pietate similem fuisse, nec fore Regem, erit Textus aut falsitatis arguendus, aut improprie explicandus: Neque enim de utroque idem verum esse potest: Siquidem prior omnes, qui post ipsum, & posterior omnes, qui ante ipsum vixerunt, pietate antecelluit, etiam alter alterum antecelluisse necesse est, cuius contrarium tamen diserte asséritur. Hebreus igitur idiotismus est, quo Author hos Reges pietate, & erga Deum reverentia excelluisse, indigitare voluit.

22. Quemadmodum vero antea Vocabulorum *Acceptiones* ad Homonymiam, sic & nunc eadem de causa *Orationum* ad Amphiboliam referendas putamus. Harum præcipuae sunt tres, videlicet in sensu composito vel divisio, in actu signato vel exercito, & in sensu identico vel formali. *In sensu composito* accipitur Oratio, quando partes, ex quibus ejus Subiectum vel Prædicatum constat, coniunctim; *In sensu vero divisio*, quando divisim sumuntur. Ac pro varia hac ejus acceptione, vel vera est vel falsa. Sic haec oratio, *Duo & tria sunt quinque*

que, vera est in sensu composito nempe si partes subjecti *Duo & Tria* conjunctim sumantur: falsa autem in sensu diviso, si divisim accipientur: Falsum enim est, *Duo esse quinque, & tria esse quinque.* Sic etiam vera est Enunciatio, *Omne animal aut est rationale aut irrationale,* in sensu composito, puta si prædicatum *rationale aut irrationale* conjunctim, tanquam unum quid accipiatur: Si vero divisim, hoc modo, *omne animal est rationale, aut omne animal est irrationale,* erit falsa, & quidem in sensu diviso. Atque hic sensus compositus & divisus præcipue quidem locum obtinent in enunciationibus habentibus modum, *possibile:* & in quibus voces occurunt, quæ plura simul significant, sive in quibus vox aliqua est omissa; ut *possibile est ridenter flere.* In hac oratione vel omissa est vox *homo*, vel vox *ridenter* duo habet significata, quorum unum est *materiale*, nempe, is, qui ridet, quod coincidit cum voce omissa; alterum *formale*, ipsissima scilicet ridendi actio. Quando igitur hæc Enunciatio accipitur in sensu composito, conjungitur *homo cum ridere*, vel quod idem est, accipitur *formalis significatio* vocis *ridenter*, & ei attribuitur *flere;* ac tum falsa est; non enim est possibile, ut qui ridet, simul flet, adeo ut conjungantur simul risus & fletus. Quando autem accipitur in sensu diviso, disjunguntur *homo & ridere*, vel sumitur *materialis significatio* vocis *ridenter*, quæ hominem denotat, ac de hoc prædicatur *non flere:* ac tum vera est oratio; possibile enim est, ut qui nunc ridet, alio tempore flet, adeo ut fletre de homine prædicetur, non quatenus & quando flet; sed quatenus homo est. Atque hoc sensu respondit

Christus

Christus Discipulis à Johanne ad ipsum missis apud Lucam , cap.7. vers. 22. *Cæci vident, claudi ambulant, & surdi audiunt.* Altera Orationis acceptio est in actu signato, vel exercito. In actu signatio accipitur, quando votes sub communi nomine & definitione : in exercito vero, quando in particulari, & rebus ipsis applicatae, sumuntur. Sic ex: grat. trita hæc apud Logicos sententia , *Definitum & definitio idem sunt*, accipi debet in actu exercito, actum vera erit; Bestia enim est animal irrationale , & animal irrationale est Bestia : Non autem in actu signato , esset namque falsa ; Definitum quippe est cuius essentia explicatur , & definitio, qua definiti essentia explicatur. Ultima denique Acceptio est insensu identico , vel formali. *Sensus identicus* est, cum res eadem , quamvis diversis à nobis nominibus designentur , diversisque conceptibus repræsententur, de se mutuo enuntiantur : *sensus autem formalis*, cum non illæ ipsæ res , sed diversi conceptus , quibus repræsentantur, de se invicem prædicantur. Sic quando Theologici, attributa Dei de se invicem prædicari posse, statuunt, ex. grat , *Intellectus Dei est ipsis Voluntas ; Misericordia , est ipsis Iustitia , &c.* Id tantum adfmittunt in sensu identico , non autem in sensu formali: formaliter enim seu ratione à se invicem distinguuntur. Unde Suarez Disp. Metaphysic. 30. sect. 6. §. 13. de his agens enunciationibus ait. *Si sermo sit de rebus ipsis concebris , vera sunt illæ locutiones : quia sensus est , rem illam , qua concipitur sub ratione Iustitia , aut Intellectus , formaliter & essentialiter includere rationem Misericordie , Voluntatis, &c.* Si vero sit sermo

de rebus, prout distincte, & expressè concipiuntur à nobis, sic illa locutiones falsa sunt. Nam mens nostra per inadæquatos conceptus partitur rem in se omnino indivisibilem: Et tunc, quamvis res in se omnino sit eadem, tamen in mentem nostram non cadit sub singulis conceptibus secundum totam adæquatam rationem suam; & id est si duplicitatio fiat in ordine ad conceptus nostros, non potest unius attribui, quod attribuitur alteri; quia non concipitur idem, & sub eadem expressa babitudine per unum & aliud conceptum.

23. Perlustravimus hucusque fontes Obscuritatum Ambiguitatumque, tam Orationibus ore prolatis, quam scripta expressis communiorum: transimus nunc ad eas, quæ tum his, tum illis propriæ sunt, & peculiares. Quæ Orationi viva voce prolatæ particulatim accidunt Ambiguitates, duæ dunt taxat nobis occurunt, una est quæ ex consonanti duarum literarum pronunciatione nascitur: Hæc pro varia variarum gentium pronunciatione variat. Sic apud nos cæterosque ferè Europæos consonæ *c*, & *s* ante *e* & *i*, eodem modo efferuntur, unde sono congruunt, *ceu* & *seu*, *cedens*, & *sedens*, *cedebam*, & *sedebam*, *cella* & *sella*, *cellaria* & *sellaria*, *cera* & *sera*, *cero* & *sero*, *cervus* & *servus*, *cibi* & *sibi*, *cingulus* & *singulus*, *cinius* & *finis*, *cis* & *sis*, *citus*, & *situs*, *cire* & *sive*, &c. Apud Frisios & Germanos pronunciatione non differunt *f* & *v*, unde simili modo proferunt, *feritas* & *veritas*, *fidebam* & *videbam* &c. Hispani eodem sono pronunciant *b* & *v*, quapropter confundunt, *bibere* & *nivere*, *bellè* & *velle*, *betula* & *vetula*, *vilis* & *bilis*, &c. Similis apud alias nationes etiam reperias. Sic etiam Vocalis *e* cum Diphthongis *a* & *æ* in sono, cum efferuntur, conueniunt;

Veniunt; unde in pronunciando non differunt,
adis, & *edis*, *adilis* & *edilis*, *equus* & *equus*, unde
 versiculus

Dixerat hic equum, sed tulit alter equum,
 de duobus Jurisconsultis inter se certantibus, *an*
Imperatoris essent res propria privatorum, & victori
 equum promittentibus, cuius premium solveret vi-
 etus. Historiam vide apud Melanchthonem lib. 4.
 Dialect. Concurrunt etiam aliquando & s, cum a
 e, & œ, ut in *cacus* & *secus*, *cædes* & *sedes*, & *cæpit*, &
sepit, *cæptum* & *septum*. Hæc de prima: Altera ex
 duarum vocum coalescentia, vel unius in duas di-
 stractione resultat, ut *incuria* & *in curia*, *ingenua* &
in genua, *sub tilia* & *subtilia*, unde versiculus,

Filia sub tilia mea net subtilia fila.

Ex hac ambiguitate litem levit Testamentarius,
 cui duo erant filii, unus Leon, alter Cunctaleon
 dictus, ita testatus, *Bona do mea cunctaleonti*,
 dubium enim relinquebatur, *an bona sua filio*
Cunctaleonti, *an vero cuncta bona filio Leonti*
 dedisset; quod Epigrammate sic est expressum,

Cunctaleonte Leon cum fratre forensibus armis

Decerat, dubio bellaque morte gerit.

Belli causa Patris non intellecta voluntas,

Ipse suas utri nempe dedisset opes:

His etenim verbis, mea do bona cuncta leonti,

Ante parens usus, quam moreretur, etat.

Hinc sibi Cunctaleon patris bona vendicat Haeres,

Poscit & ipse Leon cuncta paterna bona.

Tu refer Antistes nobis doctissime legum,

Utrum ipso maneant jure parentis opes.

24. Quæ speciatim Orationibus scripto expressis ob-
 veniunt, Ambiguitates ex eo originem ducunt,

quod omnes, quæ in elocutione & pronunciatione auditori observantur diversitates, scriptura characteribusque representari Lectoribus nequeant. Quamvis enim singula vocabula, spatiolo distinguantur, eorumque syllabarum quantitas accentu notetur; orationes ex iis conflatae commatis, semicolis, colis & punctis discriminantur: ac earum quedam affectiones signis interrogationis, admirationis, & parenthesios exprimantur: desunt tamen adhuc alia multa, ut sententiae abruptæ (cui designandæ hodie à quibusdam adhibentur aliquot puncta post se invicem disposita, hoc modo....) sententiae ironicae, imperantis, precantis, & similium, quorum defectus lectores sèpissime dubios reddit, quo sensu literis fuerint consignatae. Nec tantum ambiguitatis causa est horum signorum notarumque defectus, sed etiam neglegitus, nec non præposterus eorundem usus. Agnoscunt hoc Pontificij Doctores, cum inter causas obscuritatis Scripturæ referunt, quod, ut indeterminata, ad diversos sensus rapi potest, sive ex varia interpunctione, sive ex vario modo scribendi, aut pronunciandi; ut dubium sit, an affirmativè, an ironice, an interrogativè. Nec dissentit Chamierus Panstrat. Tom. I. lib. 15. cap. 15. §. 32. cum inquit. *Fateor esse locos ambiguos, quos interpunctio varia possit variare; fateor etiam omnes posse scribendò perverii; aut pronunciando torqueri.* Ut autem Ambiguitas, tam quæ ex defectu quam quæ ex neglegitu signorum notarumque orationi scriptæ accidere possunt, aliquo recenseam ordine, considerandum, Loquelam spectari per se solam, vel quantum eam membrorum motus atque gestus continentur. *Totius loquela, cum sola spectatur, diversitas*

Ex vocis modulatione dependet, quæ est vel unius vocabuli, vel integræ orationis. **Unius vocabuli** pronunciatio fit cum debito accentu, vel emphaticè, vel sequente aliqua mōra: quæ tria idcirco etiam scriptura exprimi debent. **Accentus** nota, quamvis à quibusdam accuratioribus adhibetur, à plerisque tamen negligitur, ac tum ambiguitas oritur, ut in *pendere & pendere, suffocat & suffocat, leporem & lēpōrem*, quæ his versiculis distinguuntur,

Pendere vult justus, non vult pendere malignus.

Suffocat extinguit, suffocat guttura stringit.

In sylvis leporem, ast in verbis quare lēpōrem.

Atque hoc quam maximè locum habet in Lingua Græca, siquidem accentus & Spiritus magnam in ea faciunt vocum diversitatem, & discrimen, ut cuilibet, qui illam vel à limine salutavit, notissimum. **Emphasis** signum in scriptura deficit, unde dubium, an vox aliqua proflata fuerit emphaticè, an verò secus. Sic Pontificii & Lutherani voculam *est* in hac sententia, *Panis est corpus Christi*, emphaticè efferunt, quasi in illa aliquid lateat mysterii: Sic etiam alii elevant vocem in vocabulo *omnes*; *Deus vult omnes homines salvari*, ut decipient imperitos, quasi omnes homines sint electi; ut habet Kekkerm. System. Log. lib. 3. cap. 1. **Morula** denique, quæ pronunciationem vocis alicujus, in oratione nondum finita, subsequitur, quoque illam ad præcedentem pertinere denotatur, à paucis exprimitur, & quidem nota commatis, à plerisque tamen negligitur, & in ancipiū relinquitur, num ad præcedentia, an sequentia referri debeat. Exemplum sit illud Ciceronis. lib. 2. de Offic. *Summa quidens auctoritate philosophi, severè farè atque honestè, hæc tria*

genera confusa, cogitatione distinguunt. Ubi si post *confusa* comma non interseratur, ambiguum est, utri, *genera scilicet an cogitatione*, vox ista sit conjungenda. In hac unius vocabuli Ambiguitatum ex scripturæ defectu ortarum classe etiam reponi debet ea, quæ in Hebræa Lingua occurrit ex eo, quod olim punctis vocalibus, quæ hodiè characteribus adscribuntur, destituebatur Veterum Judæorum Scriptio. Valde enim eos ratio fugit, qui arbitrantur, *Mosen ipsis Pentateuchen exarasse; vel Esdram saltem, & viros magna Synagoga ius usos fuisse.* Quippe apices isti demum inveni fuere à Iudaorum criticis *Masorethis*, & quidem circa annum Christi quingentesimum; ut habet Clariss. Vossius lib. I. de Art. Grammat. cap. 31. Quod itaque antiqui iis non uterentur, causa est, ob quam vox, quæ cum pronunciabatur ambigua non erat, vitium id contraxerit, cum scriberetur prout enim vocabulo, solis consonantibus literis consignato, alia atque alia puncta vocalia, aut eadem alio atque alio loco affinguntur, aut appinguntur, reddetur aliud atque aliud, ac proinde etiam aliud atque aliud eo denotabitur. Hujus ambiguitatis exempla in V. Testamento, ejusque versionibus reperies varia, & quidem non exiguo numero, quædam vides apud Vossium loco jam jam laudato. In *integra Orationis pronunciatione considerandæ Distinctio, & Variatio*. *Distinctio respiratione peragitur, qua per intervalla sustinemus, suspedimus, aut deponimus sermonem.* *Comma sustinet, Colon suspendit, Periodus deponit*, ut habet Lipsius in Epistol. ad Hub. Audejantium de Distinctione & Interpunctione. In commate est minima respiratio, in cole media, in periodo plena. His tribus à multis

tis additur Semicolon, in quo respirationem paulo majorem, quam in commate, sed minorem, quam in colo statuunt. Huic vero in Sermone distinctioni respondet in Scripto *interpunctio*, que est, definiente Lipsio, *Notandi certa ratio, qua secumus & partimur scriptionem*. Hæc sane tam orationi scriptura expressæ, quam ore prolatæ distinctio necessaria; *Nam hercule (eiusdem sunt verba) confusa tota lectio & intellectio, nisi note sua dividant, & quasi manuducant*. Unde tam Obscuritatem quam Ambiguitatem ex interpunctionis defectu vel neglegitu, vel ea præpostere adhibita scriptioni obo-riri posse patet. Atque hoc præcipue locum habet in Antiquorum Scriptis; Caruerunt namque Veteres illi Interpunctionis signis, quibus nos utimur; nec in eorum libris Distinctionum illæ variantes notæ reperiuntur; sed quicquid earum hodie iis inest, id omne a recentioribus additum esse existimandum. Quod & in ipso Novo obtinet Testamento; neque enim putandum, Euangeli-stas, Apostolosque ita scripta sua interpunxisse, ac commatis, coli, periodique notis ac signis distin-xisse, quemadmodum ea hodie interpuncta nobis obtruduntur: sed longo post tempore, cum jam repertæ essent hæ notæ, id præstitisse Theologos Christianos. Unde est, quod ubi unus interpunktus utitur, alius vel nullum, vel plane aliud adhibendum statuat, prout iste locus suæ sententia magis minusve favere sibi videatur. Atque hujus rei exempla quam plurima adferre non difficile esset, nisi id, cùm passim Theologorum scripta perscrutanti obvia sint, supervacaneum duceremus. Per-gimus itaque ad pronunciationis Variationem,

quæ vocis elevatione, & depressione, aliaque ejus flexione absolvitur, admodumque multiplex esse potest. Hac varia Orationis accidentia exprimuntur, qualia sunt interrogatio, admiratio, interpositio, ironia, rogatio, jussus, minæ, & id genus alia. Quæ omnia etiam in scriptura notis quibusdam, eum in finem destinatis, ob oculos ponere oporteret lectoribus, si iis cunctæ Orationum ore prolatarum differentiæ literis exhiberentur. Fatemur quidem istas differentias sæpius ex vocabulorum Orationis tum significatio-ne, cum collocatione, seu dispositione perspicü posse, nec non tres priores, interrogationem puta, admirationem, & interpositionem seu parenthesin hodie signis notisque peculiaribus in scriptio-ne repræsentari: Attamen aliquando illius contrarium contingere cuilibet notum; & trium istarum notas Veteres non habuisse jam dictum: Adeò ut in illorum scriptis interpretandis eadem occurat respectu omnium difficultas, quæ in recentiorum libris respectu reliquarum. Cum itaque tot tantæque orationum sententiarumque occurrant differentiæ, iisque exprimendis atque exhibendis in Scriptura deficiant charæteres atque notæ; fieri nequit, quin multæ, quæ, dum vivâ voce efferebantur, nec obscuræ erant, nec ambiguæ, si literis consignentur, vitia ista sibi contrahant. Exempla omnium percurrere non est animus, aliquarum enumerasse sufficiat. Christus apud Joannem in Euangelio cap. 21. vers. 15, 16, & 17. ter Petrum alloquens, dicit, *Simon Iona, diligis me.* Quæ verba accipi possunt, dupliciter, vel quasi Christus ipsum interrogaret

garet, num se deligeret, quemadmodum vulgo sumuntur, ac tum signo interrogationis insigniuntur: vel quasi Christus affirmaret Petro, quod se diligeret. Idem etiam apud eundem, c. 5. v. 29. Judæis, qui ipsum persequerentur, trucidare studebant, respondens, ait. *Scrutamini Scripturas, quia vos videmini vobis in ipsis vitam eternam habere: & illæ sunt, que testificantur de me.* Cujus versus priora vocabula, *ipso ētate
mīc γεράσαι*, sumi possunt vel in indicativo modo, sicut vult Cyprianus, & admittunt Commentatores in Novam Versionem Belgicam; vel in imperativo, ut censem, Tertullianus, Chrysostomus, Augustinus, & Theophylactus. Si indicativè accipiantur, potest esse interrogatio, quasi diceret Christus. *An vos scrutamini Scripturas, quae testificantur de me, nec vultis venire ad me?* vel objurgatio, quasi ipsos stupiditatis argueret, hoc modo: *Scrutamini quidem Scripturas, & illæ testificantur de me, nec tamen vultis venire ad me.* &c. Si imperativè sumantur, rursus potest Christus vel illis jubere, vel ab illis petere, *Scrutetur Scripturas.* &c. Similiter discipulis suis nimis somno gravatis in Horto, cum tertio ad illos rediisset, ac dormientes invenisset, dicit apud Matthæ. cap. 26. vers. 45. & Marcum cap. 14. vers. 41. *Dormitis jam & requiescite, in indicativo, vel Dormite jam, & requiescite in imperativo.* Si prius, erit interrogatio, quasi dicat, Num in hoc periculo, quod mihi & vobis impendet, tanta est animorum securitas & tranquillitas, cum maximè vigilandem esset? Si posterius, est permissio ironica hujusmodi, *Hactenus, dum vas, ne dormiretis, hor-taret, verba perdidis;* dormite igitur jam & requie-

escite: hostes adsunt, qui hoc vobis non permittent, sed invitatos cogent ad vigilandum. Sic etiam ironiam esse putat Melanchthon lib.4. Dialect. in verbis Pilati, cum Christum interrogaret: *Quid est veritas?* quasi dicat, Tu es magnus fatuus, qui vis vera dicere in aula, ubi valet illud in primis, *veritas odium patit, obsequium amicos*; cum interrogative etiam accipi possint eadem vocabula, ita ut peteret Pilatus sibi explicari, quidnam esset veritas. Paulus, quando ad Colossens. cap.2. vers.21. scribit, *Ne astigeris, neque gustaveris, neque contractaris*, non tanquam haec affleverans & docens, sed narrans aliorum dicta, intelligendus est, ut vult Melanchthon loc. cit. adeoque haec *μυητηρία* & recitativè esse interpretanda, tanquam exempla traditionum superstitionum, quæ tamen aliqui oscitantes pro Pauli præceptis habent. Sed sat exemplorum, transeamus ad Loquelæ considerationem, quatenus eam *membrorum motus* & *gestus* comitantur, quod alterum est generalis nostræ partitionis, in principio hujus paragraphi præpositæ, *membrum*. Hi autem gestus atque actus externi vel sermonis intellectum juvant duntaxat, vel plane absolvunt. Juvent, atque promovent in orationibus, quarum accidentia pronuntiationis variatione exprimuntur, de quibus proximè arbitratu sumus: Vix enim ironicam sententiam affequaris, nisi loquentis gestum cognoveris; sic etiam minantem orationem non intelliges, si eam comitantem manus motum nesciveris. *Plane absoluum* in orationibus, in quibus pronomine demonstrativo, aut aliqua simili particula res, nulla alia voce antea in sermone expressæ, designantur, & simul loquentis

tis dígito , aut alijs membris morū ostenduntur . Sic hæ sententiæ , bujus aut tanti te non facio , nequaquam capi possunt , si illud hoc vel tantum à loquente aliquo gestu monstratum , tibi non imaginari . Atque hinc male interpretati fuerunt Judæi verba Christi : apud Joannem in Evangelio cap.2. vers. 19. quando ipsis signum pententibus , quod mercatores flagello e templo ejiceret , respondit ; *Destruite templum hoc , & tribus diebus erigam illud* ; illa de Templo Hierosolymitano intelligentes , cum ille de Templo corporis sui loquebatur , quod forsitan etiam dígito , aut alio membro ostendit ; cum illi verbis suis gestus adjungere usitatum fuisset ex Johan. 20. vers. 19. 20. verisimile sit , ubi discipulos alloquens , manus &c latus suum eis ostendit .

25. Ex quibus omnibus liquere putamus , non tam à ratione alienum esse Fabium , quando penultimum libri octavi suarum Institutionum caput in hunc modum orditur : *Amphibolia species sunt innumerabiles , adeo ut Philosophorum quibusdam nullum videatur esse verbum , quod non plura significat* : Nec qui huic suffragatur G. J. Vossium , Instit. Orator. lib. 4. cap. 1. sect. 10. A quibus non ablidit Dannhaverus , cum in Ide. Bon. Interpret. partis primæ sectionem secundam his verbis claudere incipit . §. 47. Terminorum ac Orationum equivocatio nihil est aliud , quam infinitarum perplexitatum pelagus . Quis enim varios ambiguitatum meandros explicabit , aut qua charta complectetur exempla solum precipua ? Unde illud Poëtz ,

Quam

*Quād multa in sylvis Autumni frigore primo
Lēpsa cadunt folia: aut ad terram gurgue ab alio
Quād multe glomerantur aves; ubi frigidus annus
Trans ponum fugat, & terris immixtū apricis,
huic materiæ quadrare nobis videtur, nullamque
adèò, quæ ambiguitati obnoxia non sit, occurrere
posse orationem.*

26. Ab his autem ad alia antequam transeatamus, unum adhuc hoc loco, quod in sequentibus usui erit, circa Ambiguitatem monere non inconsultum duximus. Est autem hoc, quod *oratio ambigua*, vel in se, & absolute, vel relatè & respectu nostri talis dicatur. *In se ambigua* est, quando nobis insciis & non advertentibus, plures oratio recipit sensus: hos verò cum advertimus, *respectu nostrum* anceps dicitur. Cumque nos possimus vel loqui aut scribere, vel audire & legere, relativa ista ambiguitas iterum duplex erit, nempe vel respectu loquentis aut scribentis, vel respectu audientis aut legentis. *Respectu loquentis aut scribentis* anceps est oratio, quando sciens volens eum in modum loquitur aut scribit, ut ejus oratio plures habeat sensus: *Respectu vero auditoris aut lectoris*, cum is in ea plures reperit. Utrique rursum dupliciter considerari possunt loquens nempe aut scribens vel sine vel cum intentione auditorem lectoremve dubium reddendi, quemnam istorum plurium intellectum voluerit: Auditor vero aut lector ambigens vel non ambigens, quisnam fuerit intentus.

27. Harum porrò Ambiguitatum quædam concurrere possunt, quædam non item, idque multis diversisque modis, ut cuilibet attendenti, easque inter se comparanti apertum est. Nos præcipuos, & qui

& qui usum habituri videntur, levi digito attingemus. Potest itaque oratio in se & respectu nostri simul, vel in se, & non respectu nostri esse ambigua: At nequaquam respectu nostri & non in se. Deinde potest oratiō esse ambigua in se, & id non adverti à loquente aut scribente, neque etiam ab audiente aut legente, vel adverti, & quidem ab utrisque, vel ab alterutris. Denique potest Auditor vel Lector de Orationis ambiguæ sensu dubius esse vel non dubius esse, imo ipsam ambiguitatē non animadvertere, cūm eum dubium reddere voluerit, vel etiam noluerit, imo ipsam orationem ambiguam esse nesciverit Loquens aut Scribens.

28. Inter proximè dicta occurrit, aliquem posse orationem seu ore seu scripto proferre, quam & sciat, & velit plures admittere sensus; nec hoc ab ullo in dubium revocatum iri existimo. At vero, an plures illi sensus ab Authore & quidem sapiente ac bono, hoc est, qui noverit quid loquatur, & data opera decipere nolit, intendi possint, acriter, & quidem præcipue inter Theologos, disceptatur. Partem affirmativam tuerunt Cabalistæ, referenti Pico Mirandulano in Apologia, & Judæorum Rabbini, ut & Patrum quidam, nec non Pontificii magno numero. Negativam contra tenent, quotquot à sede Romana defecere Theologi, statuentes ac uno apertoque ore profitentes, cuiuslibet in Scriptura orationis unicum tantum esse verum, genuinum, & ab authore intentum sensum literalem, ut vocant. Nos autem ut hac super re etiam nostrum promamus judicium, fatemur quidem ingenuè, admodum vero consentaneum usitatumque passim Scriptoribus esse, unum duntaxat

duntaxat unica oratione significare atque intendere: Attamen, cum non aliquando plura iisdem denotare queant verbis, non videmus. Nec etiam dissimulare possumus, argumenta contrariæ sententiæ firmandæ ab ejus patronis allata, quæ quidem nobis videre contigit, nihil prorsus evincere, atque adeo esse levia & ferculnea, ut iis recensendis ac refellendis non operæ pretium ducamus tempus impendere. Quid autem nos de S. Scripturæ multiplici sensu sentiamus, num scilicet uni ejus loco plures competant literales, in hujus Exercitationis progressu commodior dicendi dabitur locus.

C A P U T I V.

1. *Scripturam esse obscuram & ambiguam.* 2. *Quis sit verus Interpres?* 3. *Et quidem S. Literarum?* 4. *Et qui suo munere debite fungatur?* 5. *Omnes veritati adversantes Scriptura expositiones esse spurias.* 6. *Scriptura veritates non videri esse veros sensus.* 7. *Quis sit optimus ejus interpres, si non sit infallibilis.* 8. *Omnes Scriptura veritates esse veros sensus, probatur rationibus.* 9. *Confirmatur autoritatibus.* 10. *Conditiones à Reformatio in vero S. Literarum interprete requisitas in nostrum etiam quadrare.*

1. **S**ed Jam satis multa, & quidem satis prolixæ de Interpretis objecto generali, oratione nempe obscura & que ambigua, superiori capite verba fecisse nobis videatur: Descendamus nunc ad objectum specialius, ad quod in ea, quam præ manibus habemus, controver-

troversia, restrictus est noster interpres, Sacram scilicet Scripturam. Hanc autem pluribus in locis & obscuram & ambiguam esse, præterquam quod neminem, quam parum etiam in ea versatum, fugiat, & ex exemplis, quæ inde allata aliis intersparsimus, abunde pateat, ostendunt etiam ac testantur tot doctissimorum acutissimorumque, à jactis usque Ecclesiæ Christianæ fundamentis in hunc usque diem Theologorum, tam in ejus partem, quam totam scriptæ atque editæ notæ, explicationes, animadversiones, commentationes, paraphrases, interpretamenta, & id genus alia quam plurinia, quorum quædam etiam ipsorum enucleandorum librorum molem longe exsuperant. Atque idem hoc non tantum expresse statuunt Pontificii omnes; sed etiam fateor qui ab iis defecere. Sic Lutherus in libro de Servo Arbitrio. *Sane fateor esse multa loca in Scripturis obscura, & abstrusa, non ob maiestatem rerum, sed ob ignorantiam vocabulorum, & Grammaticæ, sed que nihil impedian scientiam omnium rerum in Scripturis. Res sunt in Scripturis omnes prodite: licet quadam loca adhuc verbis incognitis obscura sint.* Et Chamierus Panstr. Cathol. Tom. I. lib. 15. cap. 4. §. 5. *Catholici diserte oreque rotundo pronunciant. Primo esse in Scripturis locos non paucos obscurissimos, ex quibus solù per seque ac seorsim consideratio non poscit certus aliquis evincit sensus. Idque multipliciter fieri. Aliquando ob rerum obscuritatem, ut in prophetiis rerum futurarum, &c. Aliquando etiam ita contexta sunt ejus loci vocabula, ut rarum sensum pariant propter significatas; vel significatas; ut, Ego & Pater unus sumus, intelligebatur ab Arrianis de unione voluntatis, quemadmodum cum precabatur Christus, ut discipuli unum essent:*

essent; At Catholicis referebant ad nō spūcūtios. C. C. Hu-jus generis passim occurruunt testimonia quamplu-
rima: Nec tantum Scripturam obscuram atque
ambiguam esse, verum etiam omnes, quoniam ex
vocabulis constat, tam obscuritatum quam ambi-
gitatum recensitas species in ea locum obtinere
posse, minimè dubium est, imo, si non omnes, sal-
tem maximam partem, & quidem præcipuas, nec
non præter has non exigui momenti alias (quales
sunt, ipsis fatentibus Theologis, prædicatio Mysti-
ca, tam Typica, quam Sacramentalis,
&, præposterior, aut anticipatio
& variantes tum V. tum N. Testamenti Lectiones,
& similes) occurtere, non difficile foret probatu, si
& hic locus id exigeret, & de vera interpretandi
Methodo jam constaret. Sed cum in hanc inquiratur,
& ille tantum requirat, ut pateat, quædam
Scripturæ loca esse obseura atque ambigua, adeo-
que illam opus habere interpretatione, quod nec
ipsi inficias eunt Theologi, id impræsentiarum
monuisse, ad nostrum sufficerit institutum.

2. Quando autem hac in controversia de S. Li-
terarum Interpretate disputant Theologi, de vero
iis, quemadmodum & nobis heic loci sermo est. Is
vero est, ut ex ante dictis facile deducitur, non qui
aliquem orationis sensum, aut veritatem exposue-
rit; sed qui sensum verum, hoc est, Authoris menti
atque intentioni congruentem ac respondentem
eduxerit, ac talem esse ostenderit: atque adeo
vera interpretatio nihil aliud erit, quam eductio, at-
que indicatio veri genuinique sensus earum oratio-
num, qua audiuntur, aut leguntur; seu ut dé-
finit Chamierus Panstratiæ suæ Tom. I, lib. 15.

cap.

cap. i. §. 3. *Investigatio ejus rei, quam Author singulis locis significat.* Unde patet verum interpretem non tam sollicitum esse debere de Orationis interpretandæ veritate aut falsitate, quam vero aut falso sensu: eosque qui investigaverit atque indicaverit, hunc redarguendo, illum vero confirmando, hoc est, Scriptoris intellectui conformem comprobando, quantumvis etiam rectæ rationi dissentaneum, ac veritati repugnantem, suo tamen muneri abunde satisfecisse, omnesque illius partes implevisse censendus est.

3. Verus igitur S. Literarum Interpres erit, qui earum veros sensus elicere, eosque tales esse ostendere; ac falsos deprehendere & redarguere potest: adeo ut illius munus, duabus quasi partibus absolvatur atque constet: nimirum verorum interpretationorum indagatione ac comprobatione, & falsorum deprehensione ac refutatione. Quæ sane non sufficerit præstissime aliqua probabilitate, aut verisimilitudine, ut vulgo in scriptis profanis obtinet: sed inconcussa certitudine inexpugnabilibusque argumentis, quibus plane ac plene acquiescere possit ac debeat animus solidæ veritatis cupidus. Cum enim non de rebus levibus, sed gravissimis; non de terrenis, sed cœlestibus; non de bonis fluxis & temporariis, sed æterna animarum nostrarum salute, qua nihil pretiosius homini, nihil optabilius excogitari potest, agatur, non instabili ærenæ, non infirmo labantique fundamento; sed inconcussæ immobilique rupi totum fidei nostræ ædificium superimponendum.

4. Hanc autem Libros sacros interpretandi provinciam (præter alios, si qui forsitan sint, quod

non negamus) digne ac debite sustinebit, qui locorum explicandorum veritates expiscari, ac expositionum ab aliis super eis factarum falsitates deprehendere, ac se deprehendisse argumentis minime dubiis astruere valet. Dicimus *veritates & falsitates*, quod procul dubio mirum videbitur, cum superiori capite tam anxie ac diligenter orationum veritates à veris sensibus distinxerimus, & hujus capit. s. 2. interpretem non ab illis, sed ab his verum dici debere statuerimus. Verum enim vero mirari desinet, & nos ratione niti animadvertiset, quicunque observare nobiscum voluerit, aliter cum Scriptis profanis atque humanis, aliter cum sacris atque divinis comparatum esse, atque in his veritates & veros sensus indissolubili nexu ubique copulari, quod in illis non obtinet; atque adeo qui illas eruerit, eadem opera simul & hos eruisse, & qui aliorum explicationes falsitates continere demonstraverit, easdem etiam falsas esse, demonstrasse.

s. Hæc autem ita sese habere, ex eo manifestum est, quod S. Literæ Deum ipsum habeant auctoritatem, qui talibus usus fuit Amanuensibus, quos in viam veritatis manu quasi duxit, quibusque in inscribendo semper adfuit Veritatis Spiritus, in quaenam ne umbra quidem falsitatis aut fallaciarum caderet potest. Unde certissimum est, quicquid in iis exaratum reperitur, nil nisi veritatem continere merissimam, & ab omni falsitatis errorisque confortio liberrimam; adeoque veros divinorum Eloquiorum sensus illi semper consentire, his vero contra continuo repugnare. Ex quibus evidenter consequitur, omnes veritati adversantes

tes Scripturæ expositiones , etiam ejus adversari vero sensui, adeoque esse falsas, alienas, spurias, & à Dei mente longissime removendas. Qui igitur alicujus S. Literarum loci interpretationem vero non consonam, sed dissonam esse, & deprehendere & ostendere poterit; simul etiam illam esse erro-neam, ac spuriam falsamque, & à vero sensu longè alienam inveniet atque evincet , nec idcirco illam pro vera aut aliis obtrudet , aut sibi obtrudi patie-tur, ac sic posteriorem Interpretis officii partem, quam in falsarum aliorum explicationum depre-hensione ac ostensione sitam esse diximus , digne ac debite adimplere poterit.

6. At non tam facile expeditur cum priore, ve-forum nempe sensuum investigatione ac demon-stratione. Quamvis enim jam extra omnem dubi-tationis aleam posuimus , omnem verum alicujus loci S. Scripturae sensum esse etiam veritatem; hujus tamen enunciationis conversum ejusdem notæ, esse non videtur, nempe, omnem veritatem esse etiam verum sen-sum. Potuit enim contigisse , ut eodem Scripturæ loco, qui plures admittit sensus, plures contineantur veritates, quarum tamen unam tantum , remo-tis cæteris, in animo, dum ista verba exarabat, ha-buit, & significare voluit sanctus illius loci Au-thor. Quocirca quamvis una, aut plures, imò etiam omnes alicujus loci ancipitis veritates, quæ eo contineri possent, erantur demonstranturque: dubium tamen incertumque relinquatur, num il-lam, vel quamnam earum, si una, aut quasdam, si plures significantur (quod fieri posse supra innui-mus) sacer illius Scriptor voluerit intellectas. Un-de consequi videtur , verum, quem nos assignavi-

mus, S. Literarum Interpretem posteriori sui muneri partì satis superque sufficere, at non simili modo priori, quam tamen præcipuam esse, & qui libet judicabit & nos ultro agnoscimus.

7. Verum enim vero etiam si vires nostri Interpretis non altius, quam diximus, assurgerent, nec ultra has positas metas se extenderent; minime tamen negari poterit, illum cæteris omnibus longe præcellere, ac multis parafangis anteponi debere hac tempestate, qua ab ipsis Prophetis & Apostolis, aliisque sacris Scriptoribus verum genuinum que ac nativum Scripturæ sensum petere non licet; nec quisquam, sibi illi eruendo sufficientem Spiritus S. lucem affulgere, indubie probare queat. Etenim, cum cæteri nec falsa aliorum interpretationa menta certo deprehendere & ostendere, nec locorum S. Scripturæ veritates, nedum veros sensus investigare & demonstrare valeant; hic noster, si non infallibiliter veros sensus, at saltem veritates elicere, & falsas expositiones refutare poterit, impediens eo pacto, ne erroneis explicationibus, tanquam genuinis, assensum præbeamus, &c., si negatum est in veros sensus, saltem in veritates, quod negatum non est, deducens; in quo fane minimum est periculi, ut docet Augustinus de Doct. Christ. lib. 3. cap. 27. hoc modo. *Quando ex eisdem Scriptura verbis non unum aliquid, sed duo vel plura sensiuntur: etiam si latet, quid senserit ille, qui scripsit; nihil perituli est, si quodlibet eorum congruere veritati ex aliis locis Sanctorum Scripturarum doceri potest, &c.* Et de Civitate Dei lib. 11. cap. 19. *Sive cum multa tractantur, ad id quoque perveniat, quod sensit ille qui scripsit, sive id lateat: sed ex occasione tractan-*

de profunda obscuritatis alia quedam vera dicantur.

8. Sed age, videamus, an non hos nostro Interpreti positos limites perrumpere, ac eum tam priori, quam posteriori muneric sui parti digne debiteque satisfacere posse, ostendere queamus. Hoc autem facile conficiemus, si modo probaverimus, omnes alicujus loci veritates, quæ Lectori occurront, aut occurrere possunt, etiam esse veros sensus: Tum enim, qui unam tantum eruerit veritatem, etiam verum eruerit sensum, & quo quis plures veritates, eo etiam plures sensus; ac præstantior erit interpres. Ut autem porto patet, omnes Scripturæ veritates esse etiam veros sensus; duo imprimis circa Librorum sacrorum authorem Deum apprime veniunt consideranda. Primum est, illum esse Omnisium, ac proinde omnes orationum à se prolatarum tam veras, quam falsas significaciones optime novisse, illasque auditoribus lectoribusque occurre posse, non tantum prænovisse, sed etiam occursuras prævidisse, &c, cum nihil non præter illius providentiam accidat, ut veræ occurrerent, prouidisse; quemadmodum scribit Augustinus lib. 3. de Doct. Christ. cap. 27. his verbis. *Ille quippe Author in eisdem verbis, que intelligere volumus, & ipsam sententiam forsitan vidit, & certe Dei Spiritus, qui per eum hac operatus est, etiam ipsam occursuram lettori vel auditori, sine dubitatione prævidit, imo, ut occurreret, quia & ipsa est veritate subnixa, prævidit.* Alterum est illum esse Veracem, adeoque nec fallere nec falli posse, ac ideo nunquam per suos ministros quicquam ad decipiendos, hoc est, in aliud sensum, quam quem verbis significare voluit, seducendos;

nedum dubios, quemnam plurimum occurrentium intenderit, reddendos. Lectores vel auditores, aut voce protulisse, aut literis consignari curasse. Quod idem etiam videtur velle Polanus Syntagma, Theolog. lib. i. cap. 45. quæst. 2. cum ait. *Nulla vox, ac proinde nulla enunciatio à Deo prolata, est ambigua ab ipso, seu quod ad ipsum attinet. Deus enim non loquitur ambiguè, quasi volens studio homines incertos & dubios reddere, aut quasi volens verbi sui sensum dubium & incertum esse.* In ambiguitate vitium Spiritus S. ne semel quidem incidit. Qui os & intellectum homini dedit, eo prælabi neque vult neque potest. Nec quenquam adeo perfrictæ frontis, impiique animi credo, qui, cum hominibus vitio vertatur, sic scientes volentes sua componere verba, atque insuper nutibus, gestibus, aliisque corporis motibus ita omnes animi fallacis nervos intendere, ut in sensum non à se intentum, aut in plures, quorum quemnam intellectum voluerint dubitetur, incident lectores aut auditores; tam enorme crimen Deo Optimo Maximo, Enti perfectissimo, in quem ne umbra quidem falsitatis aut fallaciæ cadere potest, audeat adscribere. Quocirca cum talis ac tanta imperfectio longissime ab eo sit removenda, & in nullas S. Scripturaræ veritates incurrat lector vel auditor, in quas eum incursum non præviderit, imo providerit Dei Spiritus, cumque in omnes incurrire possit, sequitur omnes illas eo in loco ab ipso intentas significatasque fuisse; adeoque etiam esse veros sensus. Quod idem etiam comprobatur ex trito illo apud Philosophos Axiomate, *frustra fieri per plura, quod potest per pauciora;* unde deducitur aliud, quod ab unoquoque etiam admittitur, nempe melius

eum

cum loqui & scribere, qui paucis verbis multa, quam qui multis panca dicit, atque adeo etiam qui una ac simplici oratione duas veritates, quam qui unam tantum docet, exclusa alia: Optimum igitur præstantissimumque, si quis una omnes, quas comprehendere potest, significet. Cum autem, ut ajunt, Deus & natura nihil agant frustra, ac etiam Spiritum Sanctum optime scripsisse uno ore omnes consteantur, hunc in Dei oraculis conscribendis morem tenuisse, nemo aut negare aut in dubium revocare poterit,

9. Atque haec nostra etiam sententia multorum omnis ævi doctissimorum virorum fulcitur auctoritatibus. Horum primi sunt, ut ab antiquissimis initium sumam, Judæorum Rabbini, qui, ut illam declarant, Dei verbum ferro ignito assimilant. Quemadmodum enim hoc igne continuaque flammis excandescunt si incudi imponatur, maloque percutiatur, quaquaversum scintillas, candentesque scoriam spargit ac projicit: sic etiam ajunt, omnes sensus veritati congruentes, qui ex sacris Literis interpretatione hauriuntur, atque eruuntur, esse tanquam scintillas ac faculas, quibus Deus hominum animos à nebulis inscitiae, ac ignorantiae tenebris voluit liberare, illorumque mentes salutari sapientiae ac cognitionis luce illustrare, atque illuminare. Atque hanc suam sententiam firmant Psalmo 62, ubi vers. 12. dicitur, *Semel Deus locutus est, bis idem audiri, quod Dei robur est.* Hoc est, ut illi interpretantur, Deus unam ac simplicem protulit orationem, at talem, quæ multiplicem continebat sensum; ego enim bifariam, hoc est, multifariani (numerus certus pro incerto) eandem

intellexi , plures inde eliciendo sensus , in quo situm est Dei robur , quod nempe possit ita fave orationis verba componere , ut una simplicique , plures edoceat auditorem , lectorumve veritates . Rabbinos hac in parte sequi videtur Augustinus . Illustrissimus ejus locus est Confessionum lib. 12. cap. 31. qui sic habet . Ita , quum alius dixerit , hoc sensit , quod ego : alius , immo illud , quod ego : religiosius me arbitor dicere , cur non utrumque potius , si utrumque verum est ? Et si quid tertium , & si quid quartum , & si quid omnino aliud verum quiespiam in his verbis videt , cur non omnia illa vidisse credant , per quem unus Deus S. Liceras vera & diversa visuria mulierum sensibus temporarie ? Ego certe quod intrepidus de corde meo pronuncio ; si ad culmen autoritatis aliquid scriberem , sic mallem scribere , ut , quod veri quisque de his rebus capere posset , mea verba resonarent , quam ut unam veram sententiam ad hoc apertius ponerem , ut excluderem ceteras , quarum falsitas me non posset offendere . Nolo itaque , Deus meus , tam praeceps esse , ut hoc illum virum de te meruisse non credam . Sensit ille omnino in his verbis , atque cogitavit cum ea scribebat , quicquid hic veri potuimus invenire , & quicquid nos non potuimus , aut nondum possumus , & tamen in eis inveniri posset . Et qui huic proximus est ejusd. lib. cap. 26. Vellere quippe si tunc ego essem Moyses , ex eadem namque massa omnes venimus , & quid est homo ; nisi quia memor es ejus ; vellere ergo si tunc ego essem quod ille , & mibi abs te Genescos liber scribendus injungeretur , talem mihi eloquendi facultatem dari , & eum texendi sermonis modum , ut neque illi , qui nondum queunt intelligere , quemadmodum Deus creat , tanquam excedentia

tie vices suas dicta recusarem; & illi qui hoc jam pos-
sunt, in quamlibet veram sententiam cogitando veni-
sent, eam non pratermissam in paucis verbis tuis famulis
reperirent; & si alius aliam vidisset in luce veritatis,
nec ipsa in eisdem verbis intelligenda decesset. His non
absimilis occurrit de Doctrin. Christiana lib. 3.
cap. 27. Quid in Divinis Eloquii largius, & uberioris
potuit provideri, quam ut eadem verba pluribus intel-.
gantur modis, quos alia non minus divina contestantia fa-
ciant approbari. Atque hinc est ejusdem Regula:
Ambigua in sacris Literis, si explicari nequeunt, in
veramque partem intelligi possunt, si fidei regula non ob-
stet. Et hunc putamus esse ingentem illum sen-
saum thesaurum, in profundo Sacrorum Codicum
delitescentem, quem tantopere deprædicant; ac
tantis laudibus extollunt Patrum nonnulli. Sic
Hieronymus ad Paulinum Epistol. 103. cap. 7.
Apocalypsis Iohannis tot habet Sacra menta, quod ver-
ba. Parum dixi pro merito voluminis: laus omnis
inferior est: in verbis singulis multiplices latent intel-
ligentiae. Et in 3. caput ad Ephesios, Singuli
sermones, Syllaba, apices, & puncta in divinis Scripturis
plena sunt sensibus. Sic Basilius cap. 1. operis de Spi-
tu sancto, viris Theologicis exponendos esse docet
ipso literarum apices, ipsas literas, & syllabas: ne-
dum voces & orationes. Ac denique Chrysostomus
in Genesim Homil. 21. Ego, inquit, omnes vos obsecro, ne
simpliciter ea, que in Scripturis sacris contenta sunt, trans-
eatis. Nihil enim hic scriptum est, quod non multas sen-
suum habeat divitias. Quandoquidem divino Spiritu afflati
Propheta locuti sunt, ideo, uti à Spiritu scripta, ingentem
in se continent thesaurum. Et ne miremini, quod in
bac nominum enumeratione multas latentesque divitias

sententiarum vobis me ostensurum pollicear. Neque enim
 vel syllaba, vel apiculus est in sacris Literis, in cuius pro-
 funde non sit grandis quispiam thesaurus. Idem pluribus
 in locis afferit D. Thomas Aquinas, ut Summ.
 Theologiae part. I. quæst. I. art. 10. & in 2. lib.
 Sententiarum Distinct. 12. art. 2. ad 2. atque ali-
 bi: Omnia vero disertissime in Quæstionibus de
 Potentia Dei, quæ habentur in ejus operum Tomo
 octavo; Ubi quæst. 4. art. I. sic ait. *Aliud est (sci-
 licet vitandum) ne aliquis ita scripturam ad unum sen-
 sum cogere velat, quod alios sensus, qui in se veritatem con-
 tinent, & possunt salvâ circumstantia litera Scriptura a-
 ptari, excludantur; hoc enim ad dignitatem divina Scriptu-
 ra pertinet, ut sub una litera multis sensus contineat, ut
 sic & diversis intellectibus hominum conveniat, & unusquis-
 quis miretur, se in divina Scriptura posse invenire verita-
 tem, quam mente conceperit. Et per hoc etiam contra in-
 fideles facilius defendatur, dum si aliquid, quod quisque ex
 S. Scriptura velit intelligere, falsum apparuerit, ad alium
 ejus sensum possit haberi recursus. Unde non est incredi-
 bile, Moysi & aliis Scriptura authoribus hoc divinitus esse
 concessum, ut diversa vera, qua homines possent intelligere,
 ipsi cognoscerent, & ea sub una litera serie designarent, ut
 sic quilibet eorum sit sensus authoris. Unde si etiam aliqua
 vera ab expositoibus S. Scriptura litera aptentur, quo Au-
 thor non intelligit, non est dubium, quin Spiritus sanctus in-
 tellexerit, qui est principialis auctor divina Scriptura. Unde
 omnis veritas, quo salva litera circumstantia potest divina
 Scriptura aptari, est ejus sensus. Nec longe ab his ab-
 scedit Cautela, quam in aliorum scriptis interpre-
 tandis observandam docet clarissimus & doctissi-
 mus Philosophus pariter ac Theologus, atque
 utriusque hujus facultatis in Academia Duisbur-
 genfi*

gens Professor dignissimus, Joh. Claubergius in sua Logic. Vet. & Nov. part. 3. cap. 7. quæst. 43. Ne verba alicujus orationis facile restringas, si latiorem eis significationem profunda Authoris sapientia concedat, nec alia interpretandi leges abruane. Qui canon, sic pergit, præcipue locum habet in explicandis Elogiis Dei; hujus enim, ut pote summe sapientis, summèque boni, & potentis, & verba, & opera augusta potius, & ampla, quam angusta & limitata animo sunt cogitanda.

10. Quibus omnibus postremo adde, quod in hunc nostrum Interpretet etiam quadrent Conditiones, quas in summo Controversiarum judice requirunt Theologi, quæque huic negotio non incongrue adaptari possunt. Hæ vero à quibusdam tres, ab aliis quatuor enumerantur. Prima est, *ut errare non possit, illudque liquido conflet.* Cum enim omnia Theologæ Dogmata indubitatæ debeant esse veritatis, hæcque non nisi ex interpretamentis extrui queant; cumque insuper nullum quod Tex-
tui sacro, qui infallibiliter verus est, non respon-
deat, sit genuinum, patet illud omni prorsus errore vacare, ac tale etiam esse, illius Authorem ostendere debere. Secunda est, *ut ab illo non possit provoca-
ri, hoc est, ut illius interpretatio ad aliud non fit exami-
nanda:* provocatio enim proprie ad Judicem perti-
net. Tertia, *ut non sit particulus, magisque ad unam,*
quam alteram partem inclinet. Quarta denique & ul-
tima, *ut ad assensionem cogere, vel ut alii, ut certa boni-
nes cognitione imbuere possit.* Quæ tres conditiones in prima fundantur, ex eaque deducuntur. Quoniam enim prima præcipit, ut ab omni prorsus er-
tore sit immunis verus interpres, idque perspe-
ctum esse debeat; perspecta simul atque cognita
quoque

quoque erit illius expositionis veritas, quæ idcirco, nec ad aliud exigenda, quid enim amplius quam verum sensum certo cognoscere expetimus? nec partium duci studio poterit; sed sola animis, & assensum extorquere, & infallibilem notitiam inserere. Atque has quatuor conditiones assignato à nobis interpreti inesse omnes, cuilibet illas ei adaptare atque accommodare; volenti manifestum esse putamus, unde pluribus id persequi, superfluum esse ducimus.

C A P U T V.

1. De verò Scriptura Interpretate Pontificiorum, Evangelicorum, ac nostra sententia. 2. Philosophie Descriptio, 3. Causa principalis, 4. Instrumentalis, 5. & Certeudo. 6. Quid nobis si persuasio Spiritus Sancti ordinaria? 7. Veritatem ordinariè, veritati extraordinariè patefacta non supponi, multò minus opponi.

I. **A**T vero quibus facultatibus prædictus, quibus adminiculis adjutus, qua norma, qua Methodo instructus debet esse quis, ut S. Scripturam & ipse vere explicare, & à falsis aliorum interpretationis vindicare, adeoque genuini interpretis muneri sufficere valeat? Pontificii & jus & normam S. Literas interpretandi, ac de aliorum interpretationibus judicandi, spuriæne sint, an genuinæ, penes solam Ecclesiam Romanam esse statuunt, ac idcirco nullum, ajunt, verum esse interpretem, nisi cuius explicatio illius approbatione confirmata atque

que corroborata est. Huic sententiae acerrime sese opponunt, quotquot à sede Romana defecerunt Christiani, contendentes, præter alia media huic negotio conducibilia, qualia sunt Linguarum Originalium notitia, Liberalium Artium cognitione, Interpretum piorum ac doctorum auxilium, &c. ipsam S. Scripturam unicam & optimam regulam, infallibilemque normam esse, secundum quam omnis interpretatio dirigenda sit. Nobis autem tam hanc, quam illam sententias observationes infrà recensendas, improbantibus, novam, eamque paradoxam adstruere, impræsentiarum est animus, scilicet hoc munus veræ competere Philosophiæ, hancque esse normam certam, ac minime fallacem, tam sacros Libros explicandi, quam illorum explicationes explorandi. Atque hoc sensu Exercitationis nostræ Titulum intellectum volumus; quo etiam ab Euangelicis Theologis Scriptura & sui ipsius interpres, & controversiarum Theologicarum judex perhibetur, hoc est, interpretandi ac judicandi norma ac regula.

2. *Philosophia* autem, de qua nobis hic sermo est (ut etiam quædam de Controversiæ nostræ subjecto prælibare aggrediamur, prædicatum enim jam satis superque nobis excusisse videtur) *Philosophia*, inquam, nomenclaturā intelligimus, non Divini Platonis, non magni Aristotelis aut aliorum quorumvis eo nomine in lucem editas de rerum natura opiniones, ac conjecturas: sed illarum veram ac indubitatem certam notissiam, quam *Ratio*, ab omni prejudiciorum, involucro libera, naturalique intellectus lumine, & acumine suffulta

suffulta, ac studio, sed dulcitate, exercitatione, experimentis, rerumque usu excusa neque adjuta, ex immotis ac per se cognitis principiis per legitimas consequencias, apodicticasque demonstrationes, clare ac distincte perceptas, eruit, ac in certissima veritatis luce collocat.

3. Hanc autem Deo Opt. Max. lumen patri, sapientiae fonti suam debere originem nulli non notum: Quandoquidem totum munus bonum, & totum perfectum donum est supernè descendens à patre lumen, apud quem non est transmutatio, aut conversionis umbra, ut habet divus Jacobus in Epist. cap. i. vers. 17. Et Deus dat sapientiam sapientibus, & scientiam scitis & intelligentibus. Daniel 2. v. 21. Et Iehova dat sapientiam, ex ore ejus scientia & intelligentia procedit. Proverb. 2. vers. 6. Quod idem etiam facile colligitur ex 2. Chron. cap. 1. vers. 12. Et omnis sapientia à Domino, atque apud ipsum est in seculum. Eccles. 1. Nec solum apud sacros, sed etiam profanos, & quidem Ethnicos scriptores non obscura hujus rei inveniuntur testimonia. Sic Plato in Timæo ait, nullum unquam à Deo munus, Philosophia praestabilis, mortalibus collatum, aut deinceps conferendum esse. Et Lucretius, Memmum de Sapientia alloquens, librum suum 5 de Rerum natura in hunc modum exorditur.

*Quis potis est dignum pollenti pectore carmen
Condere, pro rerum majestate, hisque repertis?
Quisve valet verbis tantum, queis pingere laudes
Pro meritis ejus possit, qui talia nobis
Pectore parta sub, quæstaque præmia liquit?
Nemo, ut opinor, erit mortali semine cretus.
Nam si, ut ipsa petit majestas cognita rerum,
Dicendum est; Deus ipse fuit, Deus, inclite Memmi,*

Qui

*Qui princeps vita rationem invenit eam, que
Nunc appellatur sapientia; quique per artem,
Fluctibus è tantis vitam, tantisque tenebris,
In tam tranquilla, & tam clara luce locavit.*

Similiter Romanæ eloquentiæ Parens Cicero lib. I. Tuscul. quest. Philosophiam, ait, esse donum & inventum Deorum. Atque his Ethnicis suffragantur omnes Philosophi Christiani. Clemens Alexandrin. lib. I. Stromat. Omnia bonorum Deus est causa; sed aliorum quidem principaliter, ut Testamenti Veteris & Novi: aliorum autem per consequentiam, sicut Philosophie. Melanchton in Epist. Pauli ad Col. cap. 2. v. 8. *Esse notitias naturales veras, in creatione mentibus hominum insitas; que sunt norma veritatis & certitudinis, ut numerorum, ordinis, figurarum, legum naturalium de Moribus, & Physica principia, ex quibus extrahuntur multæ artes, manifestum est, & quidem Paulus nominat leges naturales veritatem Dei, & ait, Legem scriptam esse in cordibus. Et manifestum est à Deo probari numerationem, scriptionem, lectionem, architectonicam, artem Medicam; & de Architecto dicitur Exod. 31. Deus implevit eum hac sapientia. Et anni rationem eruditam. Deus & instituit, & ostendit, & numerare Deus juber. Lingas esse donum Spiritus Sancti Historia Apostolorum ostendit, & de Arte Medica dicitur Syracida 38. Deus dedit hominibus scientiam, ut glorificetur in mirabilibus suis. Agnoscamus igitur arte extractas ex notitiis, que in creatione botinum mentibus insita sunt, esse res bonas, & Dei dona, & quidem sciamus esse commones factianes, & testimonia de Deo, quia ostendunt, Deum esse sapientem; & quidem lex naturæ testatur esse Deum, & daret, qualis sit. &c. Videantur Conimbricenses in proæm. Dialect. Magus Proæm. Physic. sect. I. quest.*

quæst. 6. Kekkermanius Præcogn. Philosop. lib. I. cap. 3. Alstedius Encyclopæd. lib. 3. cap. 2. & Præcogn. Philos. part. I. cap. 13. Timplerus Exercitat. Philosop. sect. 2. quæst. 4. Magirus Prolegom. in Aristotelis Ethicam. Casmannus Philos. Christian. cap. 4. & alii non exiguo numero.

4. Sed vero in hoc, Deum nempe esse Philosophiæ causam primam ac principalem, non tantum difficultatis occurrit, quantum in lumine naturæ, seu ratione humana, quæ Instrumentalis ab aliquibus, ab aliis remota, & minus principalis seu secundaria statuitur. Illam enim tam exiguam, tamque tenuem ac parvam faciunt hodiernorum Theologorum quidam, ut in rerum essentiis atque naturis perspiciendis atque cognoscendis prorsus cœcutiat, ac loco medullæ, & nucleorum, nil nisi putamina & cortices legere, ac tam arido viœtu, quo solidæ cognitionis fames expleri minime potest, se pascere debeat. Quin etiam eo usque ex iis processere nonnulli, ut, illam omnino nullam esse, rotundo ore asserere non erubuerint. Sed quam erronea, & quam longè à vero abeat, ac rejicienda sit hæc opinio ostendit omnis nobillissimarum Mathematicarum disciplinarum Chorus, quæ sane, ut earum Cultoribus notissimum, in ipsas rerum, quas tractant, essentias, ex iisque necessario profluentes proprietates penetrant, easque apodictice demonstrant. Quod idem tam in Metaphysicis, quam Physicis præstari posse, scriptis suis cedro dignissimis probat illustrissimum ac splendidissimum illud hac nostra ætate Philosophico Orbi exortum novum fidus, nobilissimus Renatus Des Cartes, adeo ut, quibus tam claræ apertæque veritates mentis oculos

Oculos nequeunt illustrare, helleborō opus habeant, quo tenacium præjudiciorum atque anticipationum viscidi humores, quibus ipsorum cerebrum undiquaque perfusum est atque obsessum, expurgentur, ac inde exhalantes præoccupatum crassi vapores, qui nébulas illorum intellectui offendunt, dispellantur, dissipenturque. Ostendit enim hic vir incomparabilis suo exemplo, quid in rerum investigatione possit Ratio seu mens humana, intelligendi impedimentis atque obstatulis liberata, & propriis viribus facultatibusque instructa, si nihil nisi clare distincteque perceptum assumat, ac pedetentim à simplicissimis & notioribus ad composita & ignotiora, secundūm veram intellectum dirigendi Méthodum, procedat atque progrederiatur. Et sane, si lumen aut ratio naturalis sit, quemadmodum illi prædicant, tam exigua, aut nulla, quid quæsonos homines faciet, & ab irrationalibus animalibus discriminabit? Sed idem mihi hic observasse video, quod vulgo in omnibus rebus fieri solet, ut propterea quoque in proverbium abiit, videlicet *Aitem non habere inimicum, aut contemptorem, nisi ignorantem.* Quod enim quemquam Theologorum minorem deprehendi Philosophum, minusque naturali ratione utentem; eo etiam maiorem reperi Philosophiæ, & rationis naturalis contemptorem. Cum contra multi eximiū præstantesque Theologi, iidemque Philosophi rationem humanam, ejusque propaginem Philosophiam maximis continuo celebrent laudibus, atque in cœlum amplissimis evehant præconiis. Quidquid autem sit & quantopere etiam rationem extenuent,

gentium, ac parvi pendant quidam Theologi, jacto
dudum demonstratum est, eam quam multa clare
& distincte percipere, & in iis, quæ clare & di-
stincte percepere afferendis, errare non posse, sed
veritatem esse qui debere: cumque Deus, ipsis fa-
tentibus, omnis veritatis sit fons atque origo, erit
etiam omnis veræ Philosophiz seu Sapientiaz au-
thor atque conservator.

5. Et quoniam omnis clara & distincta perce-
ptio, præter Veritatem conjunctam sibi etiam ha-
bet certitudinem; quicquid hæc vera docuerit
Philosophia seu sapientia, firmum erit ac ratum,
nec ullis argumentis in dubium revocabile; adeò
ut illius persuasioni, tanquam omni exceptione
majori, plane ac plene acquiescere poterit, ac de-
debit veritatis avidus animus, nec ulterior alia
quærenda sit certitudo.

6. Præterea quoniam quoque nulla est clara &
distincta perceptio, quæ non intime sui conscienciam
in nobis gignere possit: & cum omnis, uti
dictum, claræ ac distinctæ perceptionis Deus sit
causa, etiam hujus intimæ conscientiaz causa erit,
cumque hæc conscientia rem perceptam esse ve-
ram indubie nobis persuadeat, dictet, testetur, at-
que inspiret, non immerito, nec incongrue Dei
seu Spiritus Sancti persuasio, dictamen, testimoni-
gium, atque inspiratio appellari poterit. Unde pa-
ter, quam abs refuerint, & quam inanis se torserint
labore Theologi, qui Rationem, aut lumen natu-
rale tam patrum, aut nullum statuentes, aliud
quid, quod istis nominibus designetur, quæsi-
runt, quodque in illius locum surrogarunt, ac lu-
men supernaturale vocarunt, quod quidem quid
sit,

sit, ipsi clarè explicare nesciunt, quemadmodum
 infra cap. 14. fuisse docebitur. Atque hæc illorum
 opinio inde mihi originem duxisse videtur, quod,
 Aristotelicorum illud dogma, *Nihil esse intellectu,*
quod non ante fuerit in sensu, pro indubitate haben-
 tes, nunquam mentem à sensibus avocant, & ad-
 modum mutilam ac imperfectam, ita nullam esse,
 quæ ab iis hauritur, cognitionem animadvertisentes,
 ac rationem naturalem nihil aliud esse autumantes,
 eam tam exiguam ac nullam fecerint & pronun-
 ciarint: Attamen, quod aliquando iidem casu in
 quibusdam percipiendis ac cognoscendis puro in-
 tellectu usi fuerint, ac, sic aliquem radium veræ ac
 solidæ cognitionis gustantes, hancque plane alte-
 riū notæ, quam priorem, à sensibus haustam, de-
 prehendentes, ab illa etiam longe discriminarint,
 &, cum illam ad suam naturam tantum pertinere
 sibi firmiter persuasissent, hanc altioris naturæ ac
 divinum quid esse putarint, adeoque lumen super-
 naturale nominarint. Sanè, quicquid hujus sit, sa-
 tis patere existimamus, commodè istis sub nominin-
 bus hoc, quod diximus, intelligi posse; quocirca
 etiam eò usque ista sic accipiemus, quod illi aliud
 quid, & quidem quod statuunt, iis denotari pro-
 baverint; si quidem non sit purum putum figmen-
 tum, cuius extra illorum cerebrum nec vola nec
 vestigium in rerum natura reperias.

7. Ex antè dictis porrò etiam facile colligi po-
 test, quam futilis sit illorum sententia, qm̄ naturam
 gratiae, scientiam revelationi, veritatem ordinarie,
 veritati extraordinarie patefactæ, non tantum
 quoad certitudinem suppositam, sed etiam opposi-
 tam esse volunt; cum utraque uno eodemque loco

atque ordine habenda sit. Non enim Véritas sibi ipsum, quamquam diverso modo parta atque acqui-
sita, aut contraria esse, aut antecellere potest. Exemplo rem declaratum imus. Si cui per gratia
lumen extraordinarium revelatum sit, Deum esse
omniscium; alteri vero idem lumine naturæ apodi-
etice demonstratum: Uterque clare distin^teque,
ac certo & infallibiliter eandem, cum eadem sit
enunciatio, veritatem percipiet: hæc autem sibi
ipsi nec contra^ria erit, nec in uno majorem, quam
in alio, pariet certitudinem, cum uterque nul-
lo modo possit dubitare. Videantur etiam de his
quædam cap. 8.

C A P. VI.

*Philosophiam esse infallibilem S. Scripturam interpre-
tandi Normam ostenditur, 1. Argumentis,
2. Continua Theologorum Praxi, & 3. Exem-
plis.*

3. **H**actenus Controversiæ explicuimus subjectum & Prædicatum, jecimusque fundamenta, quibus totam Demonstrationis nostræ molem impræsentiarum superstructum ibimus, & quidem fa-
cili negotio; sponte enim sua sese cuilibet, dicta animo recolenti, & accuratè attendenti oggerit. Demonstravimus namque cap. 4. omnes locorum Scripturæ veritatēs, esse etiam ve-
ros sensus, ac omnes eorum expositiones, quæ veritati non congruunt, esse falsas: adeoque ve-
rum

rum S. Literarum Interpretet esse , qui veritates orationum in iis contentarum potest eruire , ac se eruuisse ostendere , nec non earundem ab aliis adorntas interpretationes vero non consonas esse detegere , ac demonstrare . Cum igitur ut praecedenti capite docuimus , Philosophia sit vera , certa , ac indubitata Rerum notitia , ex principiis naturæ lumine cognitis deducta , atque apodicticè demonstrata : Poterunt hac & locorum Scripturæ veritates certo erui , eru- tasque esse demonstrari , & eorum ab aliis fa-ctæ explicationes , num vero convenient , an repugnant , explorari , ac hujus vel illius no- tæ esse , indubie ostendi . Unde evidentissime consequitur , illam tam sacras Literas interpre-tandi , quam interpretationes explorandi cer-tam esse atque infallibilem Normam ; ac præter- ea illum , qui hac est instructus , & cui hujus vera ac sincera affulsit lux omnes verbi divini Interpretis partes rectissime dignissimeque susti-tinere posse . Quod sane non ita intellectum volumus , ac si is , qui Philosophiam à limine solum salutavit , ac primoribus degustavit la-bris , adeoque liberalium artium atque discipli-narum cognitione parum aut mediocriter tan-tum tintus est , omnia , quæ in sacris Scri-pturis occurrunt , etiam difficiliora atque ab- strusiora penetrare , intelligere atque expli-care posset : Sed tantummodo ea , quorum notitiam sibi jam philosophando comparave-rit , & quidem eo plura ac altiora , quo sa-pius ac profundius in Naturæ arcana , atque intimos recessus intellectus sui lumine atque

acumine descenderit, ac in Rerum cognitione maiores penitioresque fecerit progressus: quemadmodum id etiam omnibus Theologis, quotquot a jactis Christianismi fundamentis ad hæc usque tempora sacris Codicibus enucleandis animum appulerunt, usi venisse, apud omnes in confessio est. Neque enim eadem mensura interpretandi facultate prædicti fuerunt cuncti: Sed quo quisque ingenio, doctrina, ac cognitione exelluerit, eo dignius S. Literarum Interpretis personam sustinuit, ac plura difficultioreaque loca rectius & melius enodavit. Unde sufficerit, hac cum limitatione (non enim latius necesse est) accipere hoc nostrum argumentum.

Deinde etiam omnem Interpretationem Philosophiae ope adornatam, aut ejus scrutinio exploratam probatamque, esse veram ac genuinam, ex eo liquet, quod nullum, à nobis Cap. 3. §. ultimo ex Theologis enumeratorum, quæ in interpretandi Norma desiderantur, requisitorum occurrit, quod Philosophiae non ad amissum competit. Est enim, cum vera sit, ab omni errandi periculo libera; atque cum fallere nequeat, quodvis interpretationem ad hanc exploratum, ad aliam deinde normam examinare prorsus non opus erit: neque cum immotis, ac fleti nesciis nitatur fundantis, partium studio ducetur: Ac denique hominum animis, cum certa sit, atque indubitate assensum extorquere, ac firmam adferre cognitionem poterit.

Præterea vetus est, & vera Vox, & Theologis, quando de Scripturarum Interpretate disputant, passim trita: *Unumquemque esse optimum suorum verborum*

rum interpretem; quam Deo etiam tribuunt, & quidem jure optimo, cum in ipsum melius, quam quenquam mortalium quadret. Hi enim & mendaces, & fallaces sunt, & saepissime affectibus abrepiti, aut utilitati & commodis suis consulentes, vocabula alio sensu proferunt, alio mox explicant. Ille vero, in quem ne mendacii quidem ac fallaciæ umbra cadit, semper, tam in loquendo, quam interpretando, unus idemque est, ac manet. Quapropter, cum, ut praecedenti capite diximus, Philosophiae autor sit, ipsi etiam adscribenda erit omnis interpretatio, quæ illa dirigente atque approbante in medium adducitur. Ac proinde illi quoque veræ interpretandi Normæ nomen denegati nulla poterit ratione.

2. Nec tantum jam allata nostram sententiam stabilierunt argumenta: sed etiam perpetua cuiusvis rei Theologorum comprobat Praxis. Plerique enim antiquorum Patrum, ut Justinus Martyr, Dionysius Areopagita, Origenes, aliqui, Philosophiae Platonicæ addicti, quoties nodus in S. Literis solvendus sese offerebat, non alia, quam ista usi fuerunt norma. Reliqui, qui omnes ferè Eclectici erant, in Scripturarum locis difficilioribus, & obscurioribus enucleandis sua adhibuerunt dogmata, ex omnium Philosophorum sectis deprompta. Post hos, longa intercedente Barbarie, exorti tandem sunt Doctores, dicti Scholastici, qui in Aristotelis verba jurantes, quotiescunque de divinorum eloquiorum sensu disceptatio oboriebatur, nihil nisi Peripateticis subnixum placitis in scenam produxerunt, idque tanto studio, tantoque impetu, ut Trithemius

de istis doctoribus loquens dicat, *Philosophos seculares Theologiam sua curiositate inutili fuddasse*; & Anton. Sadeël præfat. in lib. de verbo Dei scripto, *Scholasticos illos, ob Philosophia cum Theologia confusione, dicendos potius Philosophos, quam Theologos.* Horum deinde vestigiis, quamvis non ita pressæ, institerunt, quotquot à sede Romana defecere Christiani; donec denique hoc seculo Cartesianæ Philosophiæ lux quibusdam affulsa Theologis, quibus sordescere cœperunt S. Literarum interpretamenta, quæ hujus lucis radiis non illustrata prodierunt.

3. Denique idem id non obscure testantur, & confirmant quam plurima exempla difficiliorum S. Scripturaræ textuum Philosophiæ ope explicatorum: Tot enim sunt, ut, si omnia hic in medium adferre satagerem, in maximum Exercitatio hæc nostra ex crescere volumen. Unum alterumque ex principalioribus adduxisse sufficiat. Ac

Primum esto de Deo, cui tanquam de homine loquens S. Codex, humana tribuit membra, dextram, oculos, aures, cor, &c. mortales affingit affectus, iram, pœnitentiam, amorem, &c. animales adscribit tam sensuum operationes, quam motus differentias. At nihil horum Deo competere sanæ mentis statuet Theologus: non enim vere, & proprie tali corporis mole, qualem nos circumferimus, determinatum ac circumscriptum est Ens illud perfectissimum infinitumque: Unde etiam nec animi motibus agitur, nec sensuum ministerio in rebus percipiendis utitur, nec membrorum motum, ut se aliquo conferat, adhibet. Quamobrem jure merito quoque unanimi consensu monent Theologi,

Theologi , talia de Deo dici quidem adhuc non possunt, at quantum intelligenda esse, atque explicanda. Verum enim vero quis ipsos haec edocuit? quis, quid quantum sit monstravit. Non Scriptura, nusquam enim haec explicat, quemadmodum Deo per se, & quantum propriè tribuantur; quemadmodum quantum & quantum simpliciter interpretanda veniant. Ergo Natura, ergo Philosophia, quæ naturæ lumine, & Deum esse, & quæ illi adscribenda, quæ denganda sint, evidenter demonstrat. Sed vero excipientes magno fervore mihi hic audire videor Theologos, atque afferentes, S. Scripturam in quibusdam quidem locis loqui, at quantum possunt; at in multis aliis quantum, atque ex his se, quid quantum sit, satius eruditiri posse, adeoque in horum enucleatione Philosophiæ adminiculo nequaquam indigere. Verum mihi placide respondeant roganti; scire enim ex ipsis libet, undenam perspectum habeant, cum quædam loca Deo videantur corpus humanum adiungere, quædam detrahere, haec propriè loqui, atque intelligenda esse, ista vero improprie. Nam si quispiam directe contrarium statueret, affereretque omnia ista loca, in quibus illi adhuc non possunt, propriè, & contra, in quibus quantum agnoscunt, improprie esse intelligenda; sicque fieri explicatu facilitiora, atque planiora; Quanam quæsio ratione hunc interpretem erroris convincerent? quibus argumentis ipsius explicationem falsitatis arguerent? nullis sane nisi ex Philosophia peritis, ad quam, tanquam ad sacram anchoram, ut ipsorum antecessores refugerunt, sic & ipsi refugiendum esset, nisi incastum verba fundere, & oleum atque operam perdere vellent.

Alterum exemplum sit de Eucharistia Sacramento, cuius institutionis verba, *Hoc est corpus meum*, in varios à Christianis torquentur sensus. Papistæ enim sic explicant, Hoc transubstantiatur in corpus Christi; Lutherani autem hoc modo intelligunt, Hic panis localiter conjungitur corpori Christi; Reformati denique ita interpretantur, Hic panis est signum corporis Christi. At harum trium discrepantium explicationum quænam est vera? quænam falsa? quænam sensui responderet, quem in animo habuit Christus, dum hæc verba proferebat? Edocuit hoc Philosophia. Reformati enim illius ope suam stabilierunt, ac Pontificiorum & Lutheranorum sententiam absurdam esse ostenderunt; dum ex Physicis demonstrarunt, Panem, salvis remanentibus illius accidentibus, in aliud corpus non posse transubstantiari, nec unum idemque corpus posse pluribus locis simul inesse, nec duo corpora in uno eodemque loco, & alias absurditates, quæ horum opinionem necessario consequuntur.

Ultimum in Scenam prodeat exemplum de S. S. Trinitate, quæ apud quosdam Theologos Mysterium audit, apud alios monstrum omnium absurditatum farragine refertum. Hanc ut illi contra horum insultus atrocissimos defenserent, & sarcasmam teatam, quamvis ignotam, & non intellectam conservarent, quænam monstra vocabulorum, quænam distinctionum nugas ex intimis Metaphysices penetralibus atque adytis non petierunt, aut de novo, si non reperirent, fixerunt? Quanto sane satius fuisset illam pro Mysterio non habuisse, & Philosophiæ ope, antequam, quod esset, statuerent,

tuerent, secundum veræ Logices precepta, quid esset, cum Cl. Kekkermanno investigasse; quam tanto fervore ac labore in profundissimas speluncas, & obscurissimos Metaphysicarum speculacionum atque fictionum recessus se recipere, ut ab Adversariorum telis sententiam suam in tuto collocarent. Profecto magnus ille Vir, in omnibus Aristotelicæ Philosophiæ partibus perdoctus, System. Theol. lib. 1. cap. 3. dogma illud, quamvis apud Theologos eo nomine non multum gratiæ iniverit, ita ex immotis Philosophiæ fundamentis explicat ac demonstrat, ut paucis tantum immunitatis, atque additis, nihil amplius animus veritati sincere deditus desiderare possit: quod & nobis ostendere non difficile foret, si instituti nostri ratio id impræsentiarum pateretur. Quicquid sit, hoc saltens, quod contendebamus, manifestum evadit, scilicet & hinc in S. S. Triade explicanda, & illos in propugnanda atque oppugnanda Philosophiam in subsidium vocasse.

Atque sic tribus his exemplis probationi finem imponimus, ac simul etiam priori nostræ Exhortationis parti, in qua propriæ sententiæ explanationem ac demonstrationem promiseramus.

C A P U T V I I.

1. *Manus illius, qui quid autoritate alicujus scripti probat.* 2. *Quid sit vera sapientia, quid apparet.*
3. *Philosophiam & sapientiam veram in Scripturis non damnari à Paulo i. Epist. ad Corinth. quibusdam locis cap. 1, 2, & 3. occurrentibus.* 4. *Nec enim etiam cap. 2. vers. 14.* 5. *Denique nec Epistol. ad Colossens. cap. 2. vers. 8.*

Sequitur nunc, ut ea, quæ nostræ sententiaz objici possent, examinemus, ac diluamus. Hæc autem duum sunt generum, velenimè S. Literis petuntur, vel extra illas seseogerunt. His sequenti, illis, quod jam præ manibus est, capite respondebimus. Multa in Dei verbo reperiuntur loca, in quibus Philosophia, aut Sapientia (hæc enim, quamvis differant, vocabula, eandem tamen designant rem) à S. Scriptoribus damnari videntur, atque rejici, non tantum tanquam cælesti doctrinæ inutilis, sed etiam noxia: quæ omnia male intellecta, atque explicata, Adversariis ansam possent præbere sententiam nostram oppugnandi, ac tanquam divinis eloquiis contrariam explodendi; quam ne improvidi nimis, ac præcipitantes arripiant, nostrarum partium esse duximus impedire, quod, ut commode fiat, paulo altius rem ordiri libet.

1. *Quicunque, uti decet, autoritate alicujus libri sententiam suam certo adtruere contendit, scopum feriisse nequaquam censendus est, si solummodo quædam inde adducat loca, in quibus eadem,*

eadem, aut similia, quibus suam mentem expressit, reperiuntur vocabula, aut etiam quæ id, quod ipse statuit, innuere videntur: Sed præterea ipsi demonstrare incumbit, istis verbis idem id, quod illis probare molitur, innuisse, atque expressum voluisse scripti illius auctorem. Non enim de vocibus aut verisimilitudine disceptatur: At de re ipsa, ejusque inconcussa certitudine. Unde mihi rugari, & non profecturis littora bobus arate videntur omnes illi Theologi qui, ut suorum dogmatum veritatem ostendant, aut aliorum falsitatem redarguant, S. Scripturæ loca quamplurima, in quibus eadem, aut à sua sententia non multum discrepantes, voces occurrunt, undiquaque corradunt, atque coacervant, omissa, quod præcipuum est, demonstratione, qua evidenter doceatur, idem id, quod illi contendunt, in animo habuisse, istorum locorum divinos scriptores. Quapropter etiam nullo jure ab Adversariis aliam suarum probationum refutationem, aut suarum objectionum solutionem mereri, aut exigere posse videntur, quam nudam, ac simplicem suorum argumentorum negationem, qua sibi omni ex parte satisfactum fateri debent, nisi se procul ab omni disputandi ratione remotos, & genuinæ demonstrandi Methodi plane rudes esse, ostendere voluerint. Hac jama strata via si incedere animus esset, possemus & nos pro jure nostro prolixam hic loci Responsionem declinare, tantum inficias eundo, ullos S. codicum textus assertioni nostræ adversari, aut contradicere, cum id nondum ab ullo Theologo probatum sit, nec unquam probari poterit: Sed libet imprimæntiarum esse

esse largioribus, atque ultro defensioni nos accingere, ostendereque, nulla, quæ passim ex Dei verbo adducuntur à Theologis loca aut nostræ sententiaz repugnare, aut ejus probationem labefacere.

2. Hoc autem ut debitè præstems, considerandum imprimis venit, vocabulum Philosophiæ, aut sapientiæ, ambiguum esse, atque tam veræ, quam apparenti passim attribui. Vera (de qua cap. 5. sermo fuit) ea est, quæ in Dei Rerumque creatarum solida cognitione, atque indefessa veri boni prosecutione consistit. At contra sapientia apparenſ est, quæ vanas de Deo, Rebusque creatis venditat opiniones, & conjecturas, quas humana mens præjudiciis, à sensibus, & ex mala educatione, ac institutione haustis, obsita, & una alterave superficiaria observatione adjuta, ex cogitavit, ac per verisimiles tantum rationes, & obscure confusæ perceptas adstruxit, & inanibus distinctionculis, ac argutiarum subtilitatibus tueri necesse habet: quæque insuper bona, non vera, sed apparentia, quæ ad cadueas hujus vitæ commoditates pertinent, qualia sunt honores, divitiae, voluptates, fama, & similia, cæco impetu, ac pertinaci labore sectatur, atque prosequitur. Cumq[ue] apparenſ hæc sapientia inania capret, multo verborum eget apparatu, multa sermonis opus habet grandiloquentia, quo mentis oculis imponat, hominesque ad se pelliciat: quæ omnia, cum veritas nuda gestat conspicī, aspernatur, &c, ut sibi inutilia, ac impedimento futura rejicit sapientia vera, ornari que negans, solum est contenta doceri.

3. His præmissis pergamus ad ea Scripturæ loca,

ca, in quibus aut Philosophia, aut Sapientia damna-
ri videtur; inter quæ principem locum dabitur
iis quæ occurunt in priore Pauli Epistola ad Co-
rinthios, cap. 1, 2, & 3, tum, quod hic plures simi-
les simul concurrunt, tum quod his expeditis reli-
quorum explicatio sponte sequetur. Taxat in hu-
jus Epistolæ initio Apostolus seismata inter Corin-
thios exorta, eorum causam exponens atque origi-
nem, reprehendit vanitatem atque ambitionem
Doctorum quorundam, qui nomine Sapientiæ, at-
que eloquentiæ primatum in illa Ecclesia ambi-
bant, atque affectabant; simulque auditorum stul-
titiam, qui tales admirati Doctores, in partes &
studia contraria scindebantur. Hos ut in viam re-
ducat salutarem, dehortatur à seständis hominibus
istis vertiginosis & scismaticis, eumque in finem
prolixè differentiam ostendit inter cœlestem salu-
tis doctrinam, & Sapientiam mundanam, inter
hominem spiritualem, & animalem seu carnalem,
inter eloquentiam divinam ac simplicem, & huma-
nam ac turgidam. Sed singula, quæ nobis nego-
tium facillere possent, loca videamus atque enu-
cleemus. Cap. 1. v. 19. Hæc habentur. *Abolo*
sapientiam sapientum, & intelligentiam intelligentium
tollam è media. &c. v. 20. *Ubi sapiens? ubi scriba?* ubi
conquistor seculi istius? nonne infatuaris Deus sapien-
tiæ mundi hujus? &c Cap. 2. vers. 6. *Sapientiam*
non loquimur seculi hujus neque principium seculi hu-
jus, qui abolescit. &c cap. 3. vers. 19, 20. *Sapien-*
tia mundi hujus stultitia est apud Deum: Scriptum est
enim, carpit sapientes cum versutia ipserum. Et rur-
sum, Dominus novit cogitationes sapientum esse vanas.
Mis in locis per sapientiam sapientum, intelligentiam
intelli-

*intelligentium, sapientiam mundi hujus, seculi hujus,
 ac principum seculi hujus Philosophiam intelligi,
 tamque damnari crepant omnes ferè interpretes.
 Sed perperam: nam Apostolum non sapientiam ve-
 ram, sed apparentem designare, atque perstringere,
 tum ex ejus patet scopo jam allato; quoniam sci-
 smatum causa esse nequit vera, cum vera sit, & ve-
 rum bonum prosequatur, tum ex iis manifestè de-
 monstratur, quæ de illa ab Apostolo dicuntur. Ne-
 que enim veram abolebit, aut e medio tollet, aut
 infatuavit, aut pro stultitia habet Deus; cum ejus
 sit autor, illaque nil nisi verum, & bonum; quæ
 æterna sunt, doceat: Sed apparentem, quæ ex ho-
 minum cerebro profecta verisimilitudines captat
 vanas, atque irania & fluxa bona sectatur: unde
 etiam humana, hujus mundi, hujus seculi, & prin-
 cipium hujus seculi, ab Apostolo nuncupatur; id-
 que vel respectu causæ, quatenus ab hominibus
 hujus mundi & seculi est inventa, atque exculta;
 vel respectu objecti, quatenus circa res hujus mun-
 di & seculi versatur. Et hac qui prædicti sunt, *Car-
 pit Deus cum versu*ta* ipsorum, eorumque cogitationes no-
 rit esse vanas; quæ locum in veræ sapientiæ posse-
 foribus nequam obtinere queunt. Præclarum
 enim Dei donum est, cuius in Sacris sincera lau-
 toties prædicatur, cuius indefessum studium toties
 commendatur; ut etiam illam precibus à Deo pe-
 tere expresse jubeat Apostolus Jacobus cap. 1. v. 5.
 his verbis. Si cui rostrum decet sapientia, postulet à Deo,
 quidat eam benignè omnibus, nec exprobrat, & dabitur ei.
 Atque huic nostræ horum locorum explicationi
 consentit gravissimus veteris Ecclesiæ Doctor Cle-
 mens Alexandrinus, lib. 1. Stromat. quando ait.**

Sapien.

Sapientes eos (Græcos) dicens Scriptura, non repre-
hendit eos, qui sunt vere sapientes, sed eos qui sibi vi-
dentesur sapientes. De his autem dicit. Perdam sapien-
tiam sapientum, & prudentiam prudentium abolebo:
infert itaque Apostolus: Ubi sapiens? ubi Scriba? ubi
inquisitores hujus seculi? &c. Similiter lib. 5. Per-
dam sapientiam sapientum, & intelligentiam intelligen-
tium reprobabo, eorum scilicet, qui sibi videntur sapien-
tes, & sunt contentiosi. Et rursus lib. 1. Dominus so-
lus cognoscit discepitaciones sapientum, quod vana sint:
Sapientes utique Scriptura vocante Sophistas, qui in
dictionibus versantur, & artibus superfluis; & paulo
post. De iis & similibus, qui se inani dicendi genere
exercuerunt pulcherrime dicit divina Scriptura, Perdam
sapientiam sapientum &c. Huc facit etiam venera-
bilis Beda, quando in expositione 1. Epistol. ad
Corinth. cap. 3. quam ex D. Augustini operibus
concessit, haec habet. Dominus novit cogitationes ho-
minum, quoniam vana sunt. Dicitur aliquando in Scri-
pturis Sapientia pro astutia, abfione verbi, non proprie-
tate rei. Unde etiam dicitur. Ubi sapiens? Ubi Scriba?
ubi Conquisitor hujus seculi? nonne stultam Deus fecit sa-
pientiam hujus mundi? Et Anselmus in 1. ad Corinth.
cap. 1. vers. 19. Insultat Apostolus Sapientia & astutie
probata falsa, & reprobæ, cum dicit. Ubi sapiens, ubi
Scriba, ubi inquisitor hujus seculi? Quasi dicit, nihil
valer talium astutia. Et est invectio in Iudeos & Gen-
tiles, &c. Videantur etiam quæ haber in cap. 2.
A quibus omnibus non ab ludit D. Thomas A-
quinas in hanc Epist. cap. prim. vers. 19. sic
commentans. Est autem considerandum, quod ha-
mines quantumcunque malis non totaliter Dei donis
privantur, nec in eis dona Dei reprobantur, sed in
eis

ea reprobatur & perditur , quod ex illorum malitia procedit : & ideo non dicit simpliciter perdam sapientiam : quia omnis sapientia à Domino Deo est : Sed perdam sapientiam sapientium , id est , quam sapientes hujus mundi adinvenerunt sibi contra veram sapientiam Dei , quia ut dicitur Iacob . 3 . Non est ista sapientia desursum descendens , sed terrena , animalis , diabolica . Similiter non dicit reprobabo prudentiam : Nam veram prudentiam sapientia Dei doces ; sed dicit prudentiam prudentium , id est , quam illi , qui se prudentes affimant in rebus mundanis prudentiam reputant , ut scilicet bonus hujus mundi inhæreant : Vel quia ut dicitur Rom . 8 . Prudentia carnis mors est . &c . Eodem sensu in hunc locum scribit Thomas de Vio Cajetanus his verbis . Significanter non dicit perdam sapientiam & intelligentiam , sed adjungit sapientium & intelligentium , quia nec sapientia nec intelligentia contrariatur cruci Christi ; quoniam vero non adversatur : Sed sapientia sapientium (hoc est , ut utuntur illa homines habentes illam) & similiter intelligentia intelligentium (hoc est ut utuntur illa homines habentes illam) qui vocantur in mundo sapientes & intelligentes , est qua contrariatur Euangelio , est quam perdit & reprobat Deus . Nulla enim Philosophia , aut scientie pars contrariatur secundans se Euangelio ratione dicta : quia nullum verum contrariatur alteri vero : Scientie autem sunt secundum se vera , & Euangelium est verum : sed presumtio hominum ad extendendum propositiones & media extra proprios limites contrarietatem parit veritatis fidei Christianae . Atque hanc esse divi Pauli mentem confirmat , quod de stylo suo dicendi ipse adjungit , quando ait Cap . 2 . vers . 4 . Suam oratio-

orationem & prædicationem non versatae fuisse in persuasorite humane sapientia verbis ; & vers. 13. Se loqui non sermonibus , quos docet humana sapientia . His enim vanam Doctorum apud Corinthios eloquentiam perstringens, atque carpens, docet se in vera ac salutari tradenda doctrina non usum fuisse pompa verborum , dicendi ambagibus , sermonis grandiloquentia , & oratorum florculis ac pigmentis , quibus , ut sua erronea dogmata persuadeat , & pro veris credulis obtrudat , opus habet sapientia humana atque apparens , ut superius etiam à nobis annotatum . Atque sic , hæc loca sententiae nostræ nequaquam officere , satis superque ostensum esse autemanus .

4. Venimus itaque filum Apostoli sequentes, adlocum , quem non tantum Theologastri , sed etiam gravissimi Theologi passim in ore habent , & Philosophiæ æstimatoribus , ac propugnatoribus continuo objiciunt , tanquam nondum indissolubilem , atque inexoricabilem . Occurrit autem ille cap. 2. vers. 14. & sic habet . *Animalis homo non est capax eorum , que sunt spiritus Dei ; sunt enim ei stultitia , nec potest ea cognoscere , quia spiritualiter dijudicantur .* Ex hoc loco confici posse putant , Philosophum atque sapientem esse incapacem rerum spiritualium : Nam per ~~disputat~~ ψυχικόν , quod *hominem animalem* vertunt , Apostolum designare contendunt , hominem , nulla alia cognitione præditum , quam quæ lumine Naturæ debitæ adminiculis instructo , acquiri potest . Unde etiam Theologi , qui jussu Præpotentium fœderati Belgii Ordinum S. Literas i vernacularum transtulerunt sermonem , Vocem

ψυχικός naturalis interpretati sunt; quatinus in annotationibus ad marginem appositis proptie *Animalis* significare concedant. Sed falluntur omnes: Nam præterquam quod vocula *ψυχικός*, tam apud sacros quam profanos authores, nunquam per vocem *naturalis*, sed semper *animalis* interpretanda sunt; non hic loquitur Apostolus de homine, qui tantum naturali lumine veram veri atque boni sibi comparavit notitiam: cum non veri sapientis sit, sed vani ac stolidi eorum, quæ ipsi incognita sunt, iudicium ferre: At expresse hic sermo fit de eo, cui, quæ non capit, nec cognoscere potest, stultitia sunt; ergo nequaquam de vero Philosopho, hic enim, donec rem clare & distincte perceperit, iudicium suspendit: Sed aut de homine plane rudi, atque omni cognitione destituto, qui *cacum suorum affectuum impetum* sequitur; quemadmodum explicat Erasmus in Annotat. in hunc locum; vel qui *animaliter vivit*, aut qui *carnaliter de Deo sentit*, ea, quæ videt in corporibus imaginans esse in Deo, ut habet Hugo Cardinalis hoc loco, aut de Pseudo-philosophis, quibus, quæcumque ipsos fugiunt, & quorum incapaces sunt, illico damnare, atque pro stultitia habere, in more positum est. Et hos Spiritualibus opponendo admodum significanter *Animales* appellat Apostolus, utpote qui continuo occupati circa ea, quæ vitam hanc animalem, hoc est, vegetativam & sensitivam spectant, qualia sunt vicius & amictus, nec non honores, divitiæ, voluptates, &c. nunquam mentem à sensibus & sensualibus avocant: Sed iis toti immersi, spiritualia, hoc est, quæ ad animam rationalem, quæ spiritus est,

per-

pertinent, qualia sunt cognitio Dei, atqne sui ipsius, negligunt, & à se longè removent atque abjiciunt. Quod idem velle videtur D. Hieronymus in hunc locum. Qui spiritum Dei non habet animalis est, quia animalium ritu versatur, qui præter nihil esse post mortem: Et ideo, ut animal ventri libidinique committit se, aeterna morte periturus. Et Beda in Expositione hujus loci, ex D. Augustini Operibus collecta. Quis carnaliter sapiunt, & carnalia de Deo sive in hac vita, sive post hanc vitam sperant, atque desiderant animales sunt. Et paulò post. Quis carnalis & animalis homo non per phantasmatu*s* sui cordis evagetur, & constitutus sibi Deum, qualis ei pro suo carnali sensu placuerit, atque ita credat tantum longè aliter, quam Deus est, quantum à veritate vanitas differt? Et rursus. Qui vivit ex corpore, carnalis homo vel animalis vocatur. Carnalis, quia carnalia sectatur. Animalis autem, quia fertur dissoluta lascivia anima sua, quam non regit spiritus, neque coercet intra metas naturalis ordinis, quia ipse se non subdit regendum Deo. Sic etiam Dionys. Carthusianus hoc loco. Animalis homo, id est, carnalis & vicious, cuius affectus, & intellectus in sensibilibus detinetur. Cum quibus duobus consentit D. Anselmus hoc loco, utpote apud quem eadem fere occurrunt verba: Et Erasmus, qui sic in Annotat. in hunc locum. ψυχικὸς velut animum, id est, affectus sequens humanos. Etenim quum Paulus hominem dividat in tres partes, carnem, animam, & spiritum: Hic anima vocabulo pro carne videretur abusus. Nec ab his abire videtur Zwinglius, quando in hunc locum commentatur. Animalis hic dicitur ab anima ψυχικὸς. Idem autem valet ac si dicebat carnalis. Nam homo (quatenus Dei

spiritu renatus non est) non solum corpore caro est, sed etiam anima. Caro enim per se nihil cogitat. Et affectus carnis in anima sunt non in carne. Solus ergo homo, qui affectibus ducitur caro est, quem hic animalem vocat. Deinde etiam, hunc esse verum hujus loci sensum, confirmant non tantum ea, quae præcedunt, de quibus supra commentati fuimus, atque ea, quæ sequuntur; vocat enim eosdem cap. 3. *carnales quibus insunt livor, & contentio, & dissidia,* quæ in veros sapientes cadere non possunt: Sed etiam ea, quæ habet Jacobus, cap. 3. vers. 14, 15. &c 17. Ubi, apparenti veram opponens sapientiam, ait: *Hanc esse superne descendentem, puram, pacificam, moderatam, obsequenterem, plenam misericordia & fructuum bonorum, absque disceptatione, sine simulatione.* Illam vero terrenam, animalem, demoniacam, cuius effecta sunt *Invidia, irritatio, tumultuatio, & omne opus pravum.* Ubi notandum in Græco occurtere vocabulum *ψυχικός*, adeoque idem Epitheton, quod homini rerum spiritualium incapaci apposuit Paulus, Sapientiæ apparenti à Jacobo attribui. Denique etiam omnia hæc multo adhuc evaderent manifestiora, si prout res exigit, enuclearetur atque fusæ ostenderetur, quid per ea, quæ sunt *spiritus Dei*, & per *spiritualem dijudicationem* significatum voluit Apostolus: Sed instituti nostri ratio, cui abunde satisfactum censemus, tam vastum mare ingredi non sinit, cum horum explicationi nimis diu jamjam immorati fuerimus, quod tamen non incongruum duximus, tum quod hic res ex professo tractetur, tum quod, ad horum exemplum, quilibet ex reliquis, quæ de hac agunt materia, S. Scripturæ locis, se facillimo negotio expedire poterit.

Quo-

Quocirca & nos eorum explicatione impræsentia-
rum supersedebimus.

5. Sed vero, antequam manum de tabula tol-
lamus, enodandus adhuc breviter est locus, non
enim operosam requirit interpretationem, ubi
ipsum Philosophiæ vocabulum expressum reperi-
tur, quem ideo tanquam majoris emphasis atque
probationis, passim crepant, non quidem Theo-
logi perspicaciores, sed ex plebe ecclesiastica illi,
qui cum revera nihil sciant solidi, sibi tamen mire
sapere videntur, & ubi de Philosophia mentio
incidit, confestim & satis inconsideranter evo-
munt. Habetur autem in Epistola Pauli ad Colos-
senses, cap. 2. vers. 8. & sic sonat. *Videte ne quis sit,*
qui vos deprædetur per Philosophiam, & inanem deceptio-
nem, secundum traditionem hominum, secundum ele-
menta mundi, & non secundum Christum. Putant hic
Apostolum Collossenses hortari, ut sibi caveant à
Philosophia; sed admodum crasse hallucinantur.
Nam ista voce non designari Rerum cognitio-
nem, sed varias Judæorum sectas multi gravissimi
existimant Theologi. Egregie inter alios id ex-
plicat atque docet Dannhawerus in sua idea boni
interpret. & mali. calumniator. parte 1. sect. 3.
art. 7. vers. 79. cuius locum integrum propterea
hic adscribere libet. *Questio est, inquit, quis sit*
sensus vocis Philosophiæ, Colof. 2. vers. 8? Sine dubio
is, qui ejus sensus fuit ea ætate, qua Apostolus scripsit.
Nil autem aliud significabat tum inter Iudeos Philoso-
phia, quam varias Iudeorum sectas. Nam historicus coeq-
vus Iosephus expresse istas tres sectas Pharisaorum, Sadu-
ceorum, & Essorum vocat tres Philosophias lib. 18.
Antiquit. cap. 2. & ἀλεστης φιλοσοφιας lib. 2. cap. 7.

Sectas, quæ erant ante tempora Hasmonæorum Eusebius in duas familias distinguit, unam eorum, qui solum legi studebant: alteram eorum, qui legis auctoraria admittebant: illam priorem appellat lib. 8. prepar. Evangelic. Φιλοσοφίαν προτερά την προτερά Διδύμων: posteriorem διεργάτικην. Quin ὁ aures oris Pater ταῦτα φιλοσοφίας inquit homilia 64. in Matth. ἀπόστολος μὲν τὸν θεόν χριστὸν παρουσίαν; id est interprete Casaubono, post Christi adventum ratio bene vivendi secundum legem fuit intensa. Confer Ioseph. Scalig. in elench. tribarum Nicolai Serrarii cap. 22. Druſium in resp. ad Serrar. lib. 1. cap. 2. lib. 1. cap. 18. lib. 4. cap. 3. Frantz. orac. 106. & Affelman. in Miscell. select. 3. Hujus Philosophia Philosophemata fuerunt contentiones legales. Ex. grat. An in Sabbatho liceat rēsci ovo quod gallina pēperit in Sabbatho? An elevandi pedes ē terra; num vero subinde in lapides impingendum? Confer Matth. 6: 5. cap. 9: 11. cap. 23. 14: 23. & cap. 12: 2. Luc. 5: 33. & cap. 18: 12. Marc. 7: 3. & 4. Hæc Dannhawerius, cuius sententia ex toto hujus capitis contextu confirmatur. Deinde, quamvis concedatur, hic loci voce Philosophiæ, denotari Rerum notitiam, non dicit Paulus, cavendam esse Philosophiam, sed deprædationem per Philosophiam: unde evidenter sequitur, non veram, sed apparentem, vel (ut alii habent) non proprie, per se, & absolute, sed improprie, & per accidens sic dictam Philosophiam intelligi debere: vera namque neminem (ut ex supra dictis liquet) deprædari potest. Sentit hoc Calvinus, cum in hunc locum sic commentatur. *Quia multi falso putarunt, hic damnari à Paulo Philosophiam, definiendum est, quid intelligat per hoc nomen.*

Meo

Meo autem iudicio intelligit, quicquid ex se commini-
scuntur homines, dum volunt proprio sensu sapere: id-
que non absque specioso rationis praetextu, ut sit in spe-
cie in probabile. Et paulo post. Sed meminerimus
Paulum sub Philosophie nomine tantum damnasse omnes
adulterinas doctrinas, qua nascuntur ex humano capite,
qualemcumque habeant rationis colorem. Cum Calvi-
no facit Divus Ambrosius, sic in hunc locum scri-
bens. Philosophiam dicit terrenam, per quam solent
seduci, qui cupiunt prudentes judicari in hoc mundo. Hec
argumentis & subtilitate minutiarum quarundam com-
ponitur. Et paulo post. In cujus disputationibus que
inciderit, vix aut nunquam evadet. Detinetur enim
verisimilibus causis & commentiis rebus, nihil tam verum
estimans, quam conspicitur & intelligitur in elementis.
Eodem fere etiam modo D. Anselmus hoc loco.
Moneo, ut ambuletis in Christo, & videte, id est,
cauta circumspectione cavete, ne quis vos decipiat,
seducens in aliquem errorem per Philosophiam ter-
renam, qua argumentis & subtilitate componitur:
& fallit dum verisimilibus causis & commentiis rebus
nihil tam verum estimatur, quam quod conspicitur
in elementis. Et paulo post. Vel cavete, ne quis vos
decipiat per Philosophiam, id est, per philosophicam
interpretationem idolorum, & per inanem, id est, ab
omni utilitate, & omni veritate vacuam fallaciam
taliam dictorum, qua est secundum traditionem homi-
num, id est, quasi sapientium, qui quasi prudentius
idola exponunt secundum elementa mundi, &c. Simi-
liter etiam Thomas de Vio Cajetanus hoc loco.
Philosophia adjungit inanem fallaciam, quantum ad
officium predandi homines à fide Christiana, quia non
veritatis Philosophica est officium predari Christianos,

visi ei adjungatur fallacia. Que quia dupliciter adjungitur Philosophia, ideo subjungit, Secundum traditiones hominum, secundum elementa mundi. Aut enim inanis fallacia jungitur Philosophia ex traditione hominum, puta ex secta Stoicorum, vel Peripateticorum, & hujusmodi. Aut ex elementis mundi, hoc est, ex metiri & judicare ea, quae sunt Christianæ fidei secundum elementa mundi, hoc est, causas cœlestes & elementares, & compositorum ex his : hoc enim est inanis fallacia : pro quanto judicium quod ex hujusmodi causis haberi potest, non se extendit ad excelsa Christi mysteria, quæ fide tenemus. Præter hos videantur And. Hyperius, Bened. Aretius, August. Marloratus, Guiljelm. Estius, Joh. Piscator, & Nicol. Hemmingius, hoc loco, qui postremus, cum per omnes ferè Philosophiæ partes discurisset, earumque utilitatem ac laudem celebrasset, sic tandem concludit. Cum igitur omnes partes Philosophiæ sint utiles & eximia Dei dona, sacrilegū genus est Philosophiam in universum damnare. Atque hanc fuisse Apostoli mentem confirmat subsequens exegesis, addit enim inanem deceptionem secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, hoc est, secundum humanam sapientiam ab hominibus animalibus traditam, & secundum opiniones de elementis & principiis rerum naturalium, quæ tum temporis plurimæ & diversæ Græcos Philosophos invaserant ; & non secundum Christum, qui veritas & vera Dei sapientia est. Hinc superioribus subnequit Calvinus. Quod proxime sequitur de inani deceptione, sic resolvo ; cavete à Philosophia, que nihil aliud est, quam inanis deceptio ; ut sit hoc additum appositive. Et per ~~zilid~~ ~~antrum~~ declarare Apostolum, quid vocabulo Philosophia intelligat, dicit in hunc locum Joh.

Pisca-

Piscator. Particula itaque & non habebit vim conjunctionis copulativæ, sed interpretativæ sive : & prius declarabitur per posterius, quasi haberetur, per Philosophiam, sive inanem deceptionem. *Sensus ergo est* (sunt verba Kekkermannii Præcogn. Philosoph. lib. i. c. 4.) *Cavete ab inanibus deceptionibus, & figurantur variarum opinionum, que ab hominibus gerentibus titulum Philosophorum, nomine Philosophia venditantur.* Dehortatur igitur Paulus Colossenses a Figmentis Platoniconorum, Epicureorum, Stoicorum, & præcipue Sophistarum, qui tum temporis maxime in Græcia vigebant, & in utramque partem de qualibet re copiose disserebant, & opinionibus suis, argute ac facunde propositis, & idcirco veram sapientiam præ se ferentibus, conabantur à salutari Christi doctrina Colossenses seducere ; in quem sensum & finem etiam vers. 4. habet ; *Hoc dico, ne quis vobis imponat probabilitatem sermonis ; Quo etiam spectat hoc Theodoreti in hunc locum. Quam superius dixit probabilem, & ad persuadendum aptam orationem, hic appellavit Philosophiam :* Non autem à vera Philosophia, utpote quæ nos non spoliat veritate cœlesti ; sed potius ad eam acquirendam dicit, & defendendam armat. Desinat igitur in posterum boni illi viri, ac ipsos cæco impetu sequentes Idiotæ locum hunc in vituperium Philosophiæ, & erroneæ suæ opinionis defensionem adducere : cum non tantum ratio, à nostris stet partibus; sed etiam magnus gravissimorum omnis generis Theologorum numerus, quales sunt præter jam citatos Clemens Alexandrin. lib. i. & 5. Stromat, Zanchius & Beza in hunc locum; Melchior Canus Locor. Theol. lib. 9. cap. 9. Alsted. Præcognit. Theolog. lib. 2. cap. 10. Casman.

Casmari. Philosoph. Christian. part. 2. Quibus omnibus adjungimus Augustinum, ejusque verbis lib. 1. de Ordin. cap. 11. praesens caput concludimus. *Divina Scriptura non omnino Philosophos, sed Philosophos hujus mundi evitandos esse praciipiunt.* Item, *Nam quisquis omnem Philosophiam fugiendam putat, nihil nos vult aliud, quam non amare Sapientiam.*

C A P U T V I I I .

1. *Nulla vera Philosophiae dogmata Theologicis esse contraria.* 2. *Ex nihilo nihil fieri, & Idem non posse reproduciri numericae, non esse vera Philosophice, & Theologice falsa.*

1. **A**bsolvimus, quæ ex Sacris sententiæ nostræ opponi possent, præcipua; neque enim omnia persequi necesse arbitramur, cum argumentum id à plerisque Authoribus, capite superiori citatis, plenissime pertractatum fuerit. Progredimur itaque ad ea, quæ extra Dei verbum, nobis objici queunt. Hæc, cum pleraque parvi admodum momenti, & cuilibet per allatam præcedenti capite distinctionem soluta facilia sint, silentio præteriremus omnia, nisi unum occurreret, quod aliquam præ se ferre difficultatem videatur. Est autem hoc, quod Philosophia multa statuat dogmata, quæ cum Theologia & S. Scriptura adversis pugnare frontibus videantur: unde quis facile inferre posset, illam hujus interpretem genuinam & legitimam minime censi debere.

bere. Quomodo enim verum ex Divinis Scriptis sensum eruet, ac erutum firmis demonstrabit argumentis illa disciplina, quæ non tantum à S. Literis longe remotas, sed etiam, quod magis est, contrarias illis sententias hinc inde quandoque docet, atque afferit, secundum vulgatum illud, *Dantur multa Enunciata, que sunt vera Theologice, ac Philosophice falsa?* Sed respondemus concedendo, apparentem quidem, atque erroneam Philosophiam nonnulla posse S. Eloquii adversantia dicitare ac statuminare: At de vera id propterea negando. Atque adeo dicimus, quicquid verum est aut falsum in Theologia, etiam verum esse aut falsum in vera Philosophia: & contra quicquid verum est aut falsum in hac, etiam verum aut falsum esse in illa; nec unquam, quod in una verum est, in altera falsum esse posse: Sed ubique suavissima harmonia in veritate ac falsitate ambas convenire atque consentire.

Quod autem addatur, quædam esse, quæ sunt vera Theologice, & Philosophice falsa, mirari satis non possumus. Veritas enim semper una atque eadem existit, & sibi perpetuo constans, nunquam faciem mutat, nunquam aliud atque aliud induit vultum, in quacunque etiam tradatur disciplina ac scriptio. Qui quæso, cum nihil aliud sit, quam sermonis cum rebus convenientia, posset unus idemque sermo rebus congruere hoc in libro, atque in alio traditus ab illis discrepare. Sane cum Deus immutabilis sit, tamque Philosophiæ, quam Theologiæ auctor, absurdissimum est cogitare illum in hac, aliquid esse verum, docere posse, quod in illa docet esse falsum, &

contra

contra in hac esse falsum, quod in illa docet esse verum. Adeo ut id, quod naturæ lumen verum esse dictat, lumen gratiæ non possit, tanquam falsum, repudiare; & id, quod veritati consonum afferit Scriptura, non possit ut eidem dissonum rejicere natura: Alias enim unum idemque & verum & falsum esset simul, quo nihil rationi magis contrarium. Quod idem etiam luculentissimis verbis exprimit Mornæus, cum in præfat. exam. lib. de veritat. Religion. sic inquit. *Natura igitur axiomata; & principia, naturæ, inquam, quam Deus fecit, ipsi Deo contraria esse non possunt: Est vero præterea Deus ipsa ratio, veritas ipsa.* Omnis igitur alia ratio, omnis veritas ab eo pender, ad eum referitur, ex ita cum ne confutere quidem potest, tantum abest, ut, quod in natura verum est, & rationale, in Theologia sit falsum & irrationale, quæ certè contra naturam non est, sed contra naturæ corruptionem, quæ est contra veram; & genuinam naturam. Firmum igitur ac ratum sit, & maneat, inter veritatem Philosophicam & Theologicam nullam omnino pugnam esse posse.

2. Verum enim vero forsan Adversariis adhuc aqua hæreret, nisi magis particulatim ostendatur, Enunciata, quæ tanquam verâ Theologice, & Philosophice falsa vulgo enumerantur, talia non esse. Ut enim suam probent opinionem, quædam in scenam producunt, ut, quod ex nîbilo fiat nîbûl, idem non posse reproducî numericè, mundus sit aëternus, virgo non posse parere, unum non sit trinum, corpus grave feratur deorsum, ignis urat admotam materiam, à privatione ad habitum non detur regressus, & id genus alia, quæ itius potè esse nulli debitant. Ergo age, momentum illis geramus, atque unum ac alterum examinemus,

nemus, ipsosque prorsus falli ostendamus. Primo igitur afferunt, *Ex nihilo nihil fieri*, & hoc Philosophice verum esse ajunt, & quidem recte, cum principium per se cognitum sit, & inter notiones communes recensatur; At vero Theologice falsum: Nam Deum mundum hunc aspectabilem, & quæcunque eo continentur, ex nihilo condidisse docent S. Paginæ. Ad quod respondemus negando; quantacunque enim sedulitate ac diligentia illas evolverimus, nullibi aliquid, quod istius speciem præ se ferebat, reperire potuimus, quam lib. 2. Macabæor. cap. 7. vers. 28. qui cum Apocryphus sit, adeoque apud plerosque Christianos divina autoritate non polleat, ac præterea etiam Philosophiæ faventem explicationem admittat, nullum hic negotium facebit. Verum an non Moses (sic mihi magno fervore regerentes audire video) satis expresse hoc docet, cum libros suos sic orditur, *In principio creavit Deus cælum & terram*, hoc est, ex nihilo fecit; sic enim interpretandum est vocabulum *Creationis*? Sed vero rogare mihi libet, quisnam illos edocuerit, cum multis aliis priorum Genesios capitum in locis *creare* significet ex aliqua præexistente materia producere, in ipso tamen limine denotare productionem ex nihilo? Undenam talem hauserunt interpretationem: Sane non ex Scriptura, nullus enim locus hoc habet, non ex Philosophia, hac enim contrarium statuit, ut ipsi fatentur. Erit ergo, aut ex ipsorum cerebro profecta, aut institutione accepta: Quapropter etiam donec illud axioma Theologice falsum esse demonstraverint, tam in Theologia, quam Philosophia verum maneat atque indubitatum. Alterum, quod produci-

tur est, *Idem non posse reproduci numerice*: quod quidem Philosophice verum esse concedunt, quoniam ad omnis individui procreationem, & conservationem (quæ nihil aliud, quam continua procreatio est) confluxus causarum partialium individuarum requiritur: At in Theologia falsum esse clamitant; docet enim illa, eadem numero corpora in novissimo extremi Judicii die resurrectura, idque probat ex Job. cap. 19. vers. 25, 26, & 27. & 1 Corinth. cap. 15. At profecto mirari satis non subit, viros gravissimos, atque alias satis perspicaces, ita opinionibus, aut ab infantia haustris, aut institutione acquisitis, aut cæco impetu arreptis adhærere, ut istas sine probationum accurata, & nulli parti addicta examinatione, mordicus teneant, doceant, defendant. Nam dogma hoc de ejusdem carnis resurrectione, & sanæ rationi, ut diximus, repugnat, & ex allatis Scripturæ locis neutiquam inferri potest. Prior enim, ex V. Testamento depromptus, in Hebræo textu ita confusus, perturbatus atque obscurus reperitur, ut inde ne idoneus quidem sensus, multo minus ejusdem carnis resurrectio elici queat. Posterior autem si leviter tantum examineatur, non tam eorundem, quam novorum corporum resuscitationem docere deprehendetur. Quapropter, si hoc Enunciatum falsitatis in Theologia convincere satagunt, alia, quibus id præstent, argumenta ipsis in medium proferenda erunt. Quæcum in Dei verbo occurrant nulla, in Theologia pariter, ac Philosophia firmum erit acratum. Reliqua, quæ superius à nobis fuerunt recensita, quod attinet, horum similis est ratio,

ut

ut siue ostendit Kekermannus lib. 1. *Præcognit.*
Philosoph. cap. penult. & Alsted. *Præcognit.*
Theologic. lib. 2. cap. 10, qui etiam ibidem plu-
 rima, quibus pugnam *Philosophiæ* cum *Theo-
 logia* astruere conantur *Misophilosophi*, argu-
 menta enumerat, atque enervat. Nos breviter,
 neque enim operæ pretium putamus ea prolixè
 persequi, respondemus, omnia ista Enunciata,
 si ab omni vocabulorum ambiguitate libegentur,
 & recte justeque distinguantur, limitenturque,
 ac vera esse, legitime rationibus *Philosophicis*
 demonstrentur, nullo prius modo *Theologiæ*,
 aut S. *Scripturæ* contrariari posse: sed aptissime
 congruere debore: *Sacra enim Scriptura* (ut habet
 referente Keckermano *Concilium Lateranense*
 tertium: anno 1180. celebratum, sess. 8.) *veri-
 tati Natura non repugnat, eo quod verum vero non con-
 tradicat;*

C A P U T I X.

1. Ecclesiam, Patres, Concilia, Pontificemque Romanum
 non esse infallibilem *Scriptura* interpretanda normam.
2. Nec Spiritu Dei duci, nec veritates in S. Literis
 comprehensas certe eruere, ac demonstrare posse. 3. Er-
 roribus esse obnoxios.

2. **H**actenus propriam Sententiam, tan-
 quam arcem extruximus, circum-
 vallavimus, atque propugnaculis mu-
 nivimus; ac deinde ab insultibus at-
 que invasionibus hostium defendimus, ac sartam
 teatam conservavimus: Supereft denique, nostri
 quæ

quæ pars est ultima cœpti, ut in inimicorum ter-
ras nunc descendamus, illorumque arces invada-
mus, expugnemus, ac demoliamur, quo nostra
securior evadat, atque illustrior. Sunt autem illi
in duplice differentia. Prima est Pontificiorum,
altera Reformatorum, & qui ipsiis hac in parte fa-
yent. Hos in sequentibus, illos imprimæntiarum
aggrediemur, & quidem cito expediemus, ut
pote exiguo humilique vallo muniti, & levis ar-
maturæ militibus defensi: Qua etiam de causa in
illos arma fere non movissemus, & ut oppugna-
tione indignos neglexissemus. Nam, cui adeo ab-
jectus est animus, & læva mens, ut frivolorum ho-
minum figmentis, non tantum omni sana ratio ne
destitutis, sed præterea illam evertentibus, & qui-
dem in rebus æternam salutem concernentibus,
cæco impetu assensum præbere, atque acquiescere
possit, nullum facessere negotium ingenuo atque
sincero almæ Veritatis amatori debere, semper ju-
dicavimus. Attamen, ne Exercitatio nostra aliqua
in parte manca foret, ac defectiva, illorum refu-
tationi hoc caput impendere consultum duximus.
Statuunt igitur, ut supra etiam innuimus, jus po-
testatemque Scripturæ sensum investigandi, atque
explicandi esse penes Ecclesiam, Patres, Conci-
lia, Pontificemque Romanum: eosque certa in-
fallibilique Auctoritate pollere claniunt, qua &
S. Literas interpretari, & de aliorum interpretationibus
judicare possint: adeo ut ipsorum explicatio-
nibus, aut sententiis de aliorum explicatio-
nibus latis nemini refragari, nemini contradicere
sit licitum, atque permisum. Huic Tyrannidi se
omnes, quibus Christiana libertas adeo cordi fuit,

ut

ut hoc conscientius intolerabile excusserint jugum, satis animose, atque alacriter opposuere, ac illius propugnatores in profundas angustias redegerent. Nam quotiescumque hujus Sententiae delectores, ius istud interpretationis Ecclesiæ minime competere, docuerunt, excipiunt auctores, se per Ecclesiam, Patres intelligere Ecclesiæ Doctores. At vero cum deinceps etiam ab illis hujus effugii difficultates atque absurditates proponuntur, regerunt hi omnes illas facile ac certissime à Conciliis, præcipue Generalibus, tolli. Quod porro ab illis quando falsum quoque esse demonstratur: proferunt tandem hī ultimum refugium, Pontificem Romanum, à quo confirmata Concilia veros infallibilesque S. Scripturæ interpretes esse statuunt: quin etiam illi soli omnes interpretis veri atque indubitati competere conditiones, tanquam extra omnis erroris periculum evecto; adeo ut ipse Bellarminus afferere non erubescat: *Si totum Concilium staret ab una parte, Pontifex solus ab altera: Pontifici potius esse credendum, quam toti Concilio.* Ita ut illud illustre ac splendidum Ecclesiæ nomen, quod prætendunt, quoque Patres, Concilia, ac Pontificem ipsum comprehendunt, in hunc solum tandem terminetur ac resolvatur. Quæ omnia nos cum ex se, quam infimo instabilique fundamento nitantur, satis ostendant, atque ab Adversariis etiam fuse pertractata sint, prætereuntes, uno tantum alterove inexpugnabili argumento, Sententiam hanc erroneam esse, ostendemus atque demonstrabimus.

2. Primum petitur ex numero verorum S. Literarum Interpretum, quos tres nostro calculo

tantum ponimus, nempe vel ipsos Novi Veteris-
que Testamenti Authores, quando scilicet adhuc
superstites, aut scripto, aut viva voce, suam de-
ancipi in operibus suis occurrente oratione men-
tem aperiunt atque exponunt, secundum tritam
illud, *Optimus interpres verborum quisque suorum*; vel
quos in interpretando extraordinarie, atque im-
mediate cœlesti suo numine afflat SS Dei Spiritus;
vel denique qui certo divinorum Eloquiorum ve-
ritates & eruere, & se eruisse demonstrare pos-
sunt. In horum autem interpretum censem, &
quidem medii postremique ordinis (cum primi
jam diu è vivis excesserint, adeoque non amplius
in Christianismo locum obtineant) non venire
potest, nec Ecclesia, nec Patres, nec Concilia, nec
Papa Romanus. Ecclesia enim visibilis (de qua hic
sermo est; nam invisibilis, cum sit cœtus omnium
ad vitam æternam electorum, qui ab initio mundi
fuerunt, sunt, & erunt, non potest in hac vita sen-
tentiam suam circa interpretationem Scripturæ
explicare) ex reprobis conflatur & electis. Re-
probi autem, nec Spiritu Dei duci, nec illius ora-
culorum veritates infallibiliter intelligere, ac do-
cere possunt: Ergo nec tota Ecclesia. Quod si vero
Pontificii de sua propria hoc dictum velint: Ea
fane si non tota reproba est, paucissimos continebit
Electos, cum S. Literarum prorsus ignari sint non
tantum omnes Laici; sed etiam plerique ex Cleri-
cis, atque ipsis Sacerdotibus. Adde, quod ipsis Lai-
cis munus id, quod apud ipsis Ecclesiæ proprium
est, nequaquam tribui possit, cum illis, qui tamen
maximam apud Pontificios Ecclesiæ partem con-
stituant, Sacrorum Codicum ne lectio quidem,
multo

multo minus interpretatio concessa; sed sub gravissimis poenitentiis interdicta sit, ac prohibita. Patres vero, Concilia, & Pontificem, nec divino numine, in interpretando extraordinarie afflatos fuisse, nec orationum, quas sacrae continent paginæ, veritates certas eruisse, atque demonstrasse, ostendunt eorum pugnantes inter se interpretationes. De Patribus id consitentem habemus ipsum Bellarminum, qui non raro in suis Controversiarum libris oppositas eorum expositiones unius ejusdemque S. Scripturæ loci adducit. Sic lib. 2. de Christo cap. 2. ait, *Patres non sequimur, quando proprias ac singulares sententias alii contradicentes defendunt. Exemplisit Beatus Cyprianus, quem non sequimur docentem, Baptismum esse irritum, si ab heretico tribuatur; Scimus enim hac in re Doctores veteros Cypriano non consensisse.* Concilia etiam Generalia inter se pugnare in locorum multorum explicatione, cuilibet ea perlegenti, ac inter se conseruenti satis manifestum evadet, ut id operosa probatione non egeat. Pontifices denique multas contradictorias S. Scripturæ explications tradidisse, ac contraria decreta edidisse, etiam in rebus fidei, satis superque testatur Jus Canonicum. Sic Innocentius primus Epistol. 3. Eucharistiam etiam infantibus dandam colligit ex Johan. cap. 6. vers. 53. *Nisi ederitis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem non habetis vitam in vobis, &c.* Posteriores autem contrarium docuerunt, & adhuc docent. Sic Gregorius conjugium Sacerdotibus esse restituendum voluit; Posteriores autem negarunt. Idem statuit, cum esse præcursum Antichristi, qui nomen Universalis Episcopi assumeret; quod Posteriores tamen assumperunt.

Plura hujus notæ videantur apud Chamierum Panstrat. Catholic. Tom. 1. lib. 3. cap. 13. His etiam addi possunt de Pontificibus, ad enormem illam, quam illis, etiam supra Concilia, Bellarminus tribuit, autoritatem evertendam, tanquam duo Gorollaria; quod multi fuerint Hæretici, & multi impii, prophani, atque scelerati. Hæreticos fuisse inter Pontifices ex ipsis Pontificiis Scriptoribus multi fatentur. Præcipui inter alios fuerunt Eleutherus, Liberius, Felix, Anastasius, Honorius, atque Johannes vigesimus secundus, quorum hæretica dogmata fuse percenset, ac à Pontificiorum, sua Ecclesiæ capita quovis modo purgare contum, exceptionibus vindicat, Chamier. loc. cit. capp. 9, 10, 11, 12, & 13. Et in hæresin prolabi posse Pontificem ipsum fatetur Jus Canonicum, diserte pronunciarunt non pauci Papistæ, atque argumentis probat idem Chamierus eodem libro cap. 8. Sceleratos etiam & impios fuisse, ipse Platina in Vitis Pontificum, atque alii plurimi Historici testantur; Tales fuere, ut aliquos saltem in scenam producam, Stephanus sextus, Sergius tertius, Johannes duodecimus à plerisque numeratus, à nonnullis decimus tertius, Sylvester secundus, Bonifacius octavus, Benedictus decimus tertius, ac denique Alexander sextus, quorum scelera impiatesque enumerata habentur apud Chamier. loc. cit. cap. 6. Hujus autem farinæ hominibus an in S. Scriptura interpretanda Dei affulgere Spiritus, vel veritates divinorum eloquiorum investigandi ac demonstrandi inesse Facultas, & talis posset, qualem exaggerat Bellarminus, competere Autoritas cuiuslibet, cui sincerum est sinciput, & sana

in sano corpore mens, judicio relinquimus, atque permittimus.

3. Sic fuit primum, alterum argumentum deducimus ex Conditionibus, quas in vero Interpretate requiri statuunt Theologi, ex quibus talem facimus syllogismum. Infallibilis S. Literarum Interpres, nec errare, nec partium studio duci, nec provocationi locum relinquere; sed ad assensionem cogere, certaque homines cognitione imbuerre potest. At Ecclesia, Patres, Concilia, Pontificesque Romani possunt errare, partium studio duci, &c. Ergo non sunt infallibiles Sacrarum Literarum Interpretes. De Majore cap. 4. §. 10. verba fecimus. Ad minoris confirmationem (præter ea, quæ in primi Argumenti probatione attulimus, & quod Ecclesia & Concilia hominibus constant, & Patres, & Pontifices homines sunt, à quibus istæ conditiones abesse possunt) per partes procedemus. Et quidem primo Ecclesiam errare posse, patet ex eo, quod Eucharistia etiam infantibus communicata fuerit apud Veteres, qua de re multa habet Augustinus, atque alii. Præterea paulo post Concilii Niceni tempora, maxima orbis Christiani pars in perfidiam juravit, ut apud Sulpicium Severum lib. 2. legimus. Sic etiam Ariano-rum temporibus, illius hæreseos veneno totus fere orbis infectus fuit, ut testatur Lirinensis, qui etiam fatetur, non repugnare, totam pariter Ecclesiam à fide posse deviare. Plura de his videantur apud Chamier. Panstrat. Catholic. lib. 2. cap. 16. Quod si autem prima deficiat in Ecclesia conditio, reliquæ etiam deficient, omnes enim in illa fundantur, ut supra ostendimus. Patres deinde errare

posse, hinc manifestum evadit, quod sæpenumerō verum Scripturæ sensum non assecuti fuerint, ut disertissime docet Bellarmin. lib. 3. de verbo Dei cap. 3. sect. 9. & 10. Ubi ait, *Patres in S. Literis exponendis subinde lapsos fuisse, figurate accipientes, quæ proprie, & proprie quæ figurata erant accipienda: adducitque exempla ex Origene, Papia, Justino, Irenezo, Tertulliano, Lactantio, aliisque.* Idem docet etiam Hieronymus, cum 3. Tom. Epistola ad Theophilum sic scribit. *Scio me aliter babere Apostolos, aliter reliquos Tractatores. Illos semper vera dicere, istos in quibusdam, ut homines aberrare. Sic etiam ait, sibi commentarios quosdam in libros sacros excidisse, se eos fudisse potius, quam scripsisse. Nee tantum errarunt Patres, sed non pauci insuper partium studio ducti fuerunt. Nam sæpe ex benevolentia, & amore quædam loquuntur, ut Augustinus in Enchiridio ad Laurentium de Purgat. & Orat. pro mortuis, quodammodo & alios & se nimia amoris abundantia errasse fatetur, ut quando de Amicis, & de charissima matre Monica cogitat. Sæpe quorundam timore alia reticent, ut idem testatur Epistol. ad Januarium 119. cap. 19. his verbis. Multa hujusmodi propter nonnullarum vel sanctorum, vel turbulentarum personarum scandala devitanda liberius improbare non audeo. Sæpe ex nimia quorundam reverentia, sæpe per quorundam Pontificum, & Imperatorum tyrannidem in absurdas S. Codicum interpretationes abacti fuerunt, ut Ariminensis Concilii, & Berengarii Historia abunde testatur. Sed ad hæc excipiunt Papistæ, se quidem non negare, hunc atque illum ex Patribus non aliquando errori fuisse obnoxium:*

Sed

Sed omnes simul consentientes semper verum docuisse, nunquam hallucinatos fuisse, atque etenim tantum pro infallibilibus habere Interpretibus. At replicamus, primo futilem esse exceptionem, si enim unus in hujus Scripturæ loci, alter in illius interpretatione errare potest, quidni & omnes simul errare possunt? Deinde paucissima reperi loca, imo forsitan nulla, de quorum sensu omnes omnino Patres sententiam pronunciarunt: Præterea omnes, at certe plerique omnes simul errasse in exponendo loco Proverb. 8. Denique falsum esse, Consensum omnium omnino Patrum Pontificiis interpretationis normam esse, cum omnia illorum Scripta testentur, quod interdum nullius, interdum unius alteriusque duntaxat expositionem sequantur; etiam si alii, & meliores Patres ab ea dissentiant, ut fuse ostendit Polanus in omnibus suæ Symphonie Catholicæ capitibus, & Syntag. Theolog. lib. I. cap. 45. Quæst 7. Porro Coacilia errare posse, palam facit ipsum Nicenum primum, quando milites damnavit, qui Christianismum semel professi, postea iterum in militiam, etiam legitimam abiissent; quando quosdam Pœnitentiæ Canones fancivit, qui multarum in Ecclesia superstitionum causæ extiterunt, ac Christi merita diminuerunt atque obscurarunt; quando sacris personis conjugium prohiberi voluit, nisi id factum Paphnutius impedivisset, &c. Denique Pontifices Romanos errare posse, docent graves illorum atque frequentes in verbo Dei interpretando lapsus. Ex. grat. Bonifacius VIII. de Majoritat. & Obedient. cap. I. ut probet summam potestatem Secularem, atque Ecclesiasti-

siaisticam ad se pertinere, in scenam profert locum Euangelistæ Luc. cap. 22. vers. 38. *Ecce hic duo gladii, &c.* eumque pro se interpretatur. Item Cephas significat caput; ergo Pontifex est caput Ecclesiæ, cum Johan. cap. 1. vers. 43. dicat Cephas significare petram. Similiter Siricius Papa Epistol. 1, quæ est ad Himerium Tarragonensem, cap. 7. & Innocentius I Epistol. 3, quæ est ad Exuperium Tholosanum Episcopum, locum i Petr. 1: 16. *Estote sancti quia ego sanctus sum,* & Paul. Rom. 8: 8. *Qui in carne sunt Deo placere non possunt, vos autem non estis in carne, sed in spiritu,* ita interpretati fuerunt, ut inde deducant, Sacerdotes à conjugio esse ascendos; cum Petrus de omnibus fidelibus loquatur, & Paulus de iis, qui carnalem naturam per Christi Spiritum nondum exuerunt. Sexcenta licet ejusmodi proferre: sed hæc sufficient; tædet enim jam talibus nugis diutius immorari. Qui plura cupit, ut & Argumentorum, quibus Papistæ suam stabiliunt & confirmant sententiam, solutiones, adeat jam saepius laudatum Chamierum, Polanum, &c.

C A P U T X.

1. *Plurium Reformatorum dicta adferuntur, 2. Ex quibus illorum Sententia definitur, ac breviter perpenditur.*

Devictis velitari, breve pugna imbelibus istis, atque inermibus hostibus, aciem nunc deflectamus atque arma promoveamus in Reformatos, & quicunque ipsorum

ipsorum signa sequuntur, adversus quos fortiori pectore, longiorique dimicazione opus erit, ut potebello strenuos, stratagematis insignes, armorum propugnaculorumque tutela bene instructos, & quod præcipuum est, à nemine adhuc, quod sciam, oppugnatos, multo minus devictos debellatosque. Sententia enim, quam fovent, utut confuse atque obscure proposita, satis plausibilis tamen apparet, & multis variisque & quidem speciem ponderis præ se ferentibus argumentis fulcitur. Quocirca etiam diutius ei erit immorandum, prolixiorque impendenda disputatio. Sed ultimus est labor, quo exantlato secura pax, atque tranquilla nos manet quies. Age igitur, & sine longiori ambage hostem alacri animo aggrediamur.

i. Chamierus Panstrat. Catholic. Tom. 1. lib. 16. cap. 6, sic, nulla facta Spiritus Sancti mentione, Reformatorum sententiam definit. *Catholici sentiunt, non posse securius, certius, verius Scripturæ interpretationem haberi, quam per Scripturam ipsam.* Expressius Polanus Syntagmat. Theolog. lib. 1. cap. 45. quæst. 5. *Norma interpretandi Scripturam,* & *judicandi de interpretatione Scripturae sacra, verane sit, an falsa, est ipsamet Scriptura sacra, qua vox Dei est.* At paulo aliter Wendelinus Theolog. Christian. Prolegom. cap. 3. Thes. 6. explicat. i. *Ius summum,* inquit, *interpretandi Scripturas est penes Spiritum Sanctum in Scriptura loquentem, vel penes Scripturam, que vox est Spiritus sancti.* Isdem fere verbis Walæus in Enchiridio Religionis Christianæ, loc. de Script. Interpret. *Sacra Scriptura est sui ipsius interpres; vel potius Spiritus sanctus loquens in sacra Scriptura.* Et Loc: Commun. Theologic. de S. Scripturæ interpretatione.

tione. Dicimus ipsum Deum in Scripturis loquentem esse supremum Interpretem Scripturarum: & mox, Nam Deum ita attemperasse Scripturam sacram dicimus, ut ea non tantum sit norma, sed etiam sui ipsius interpres. In quibus etiam Deo, & Spiritu sancto suæ in Scripturâ interpretandâ partes videntur assignari, quemadmodum id afferit Whitakerus Disputat. de Scripturâ S. contra hujus temporis Papistas, Controvers. i. quest. 5. cap. 8. Sententia nostra est, non oportere Ecclesie tribui summum judicium, atque autoritatem interpretandi Scripturas; sed Scriptura ipsi, & Spiritui S. tum aperiè in Scripturis loquenti, tum occuliè easdem in cordibus nostris confirmanti. Clarius adhuc & luculentius distinctiusque explicat Tilenus Syntagm. Disputat. Theolog. part. i. disput. 8. thes. i. & 2. his verbis. Summum interpretandi jus, atque autoritatem vera Christi Ecclesia soli Spiritui sancto in Scripturis loquenti vindicat: statuitque verum Scriptura sensum, quoad internam quidem πλευραν, ab eō solo proficiunt: quoad externam verò persuasionem ex ipsâ Scripturâ optimè sumi. Et Scarpius Curs. Theologic. loc. de S. Scripturâ, multò adhuc prolixius, hōc modo. Orthodoxorum sententia bac est: Summum jus, autoritatem, & judicium interpretandi Scripturas esse penes Spiritum sanctum in scripturâ loquentem, nec Scriptura interpretationem ad certam aliquam sedem, & successionem hominum, uti volunt Papiste, alligatum esse, sed Spiritui sancto occuliè Scripturas in cordibus fidelium confirmanti tribui debere: nec enim ista pugnant, cum dicimus hoc esse penes Scripturam, & penes Spiritum sanctum: nam dicitur Spiritus sanctus esse summus interpres, quia ut certò sumus persuasi de verò Scriptura sensu, oportet nos per Spiritum sanctum

sanc*tum illuminari*, alsoquin nunquam illam *πληροφορίαν*,
 qua fidelium mentibus inest, affecturos, quibuscumque demum mediis utamur. Et hoc est interna persuasio, qua nos tantum attingit: nec enim hoc modo alios, ut sensum & judicium Spiritus sancti recipiunt, cogimus. Dicitur autem Scriptura ipsa, vel Spiritus sanctus in Scriptura loquens summus interpres & judex respectu externe persuasionis. Ideoque ut alius persuadeamus, ad externum hoc Scripturae judicium veniendum est.

2. Atque hæc tam fuse libuit adferre, partim ut Reformatorum sententiam inde elicere atque proponere possemus, partim ut pateret quomodo ipsum et illam exprimunt atque definiunt; quod sane satis obscure atque confusè, meo quidem arbitratu, præstant. Etenim priores, nulla facta mentione internæ aut externæ persuasionis, nunc Scripturam, quæ vox Dei, aut Spiritus S. est, nunc Deum, aut Spiritum S. in Scripturis loquentem nominant: quibus appellationibus nihil aliud, quam Scripturam ipsam intelligere mihi videntur; adeoque statuere, illam esse sui ipsius interpretem. Posteriores autem, distinguendo inter internam & externam persuasionem, hanc Scripturæ, illam Spiritu sancto assignant, atque hoc per Spiritum S. in Scripturis loquentem denotare videntur, quamvis mox iterum Scripturam & Spiritum sanctum in Scriptura loquentem confundant. Nos vero, quantum assequi ex dictis possumus, hanc ipsorum putamus esse mentem, nempe S. Scripturam certam esse infallibilemque se ipsam interpretandi normam, atque regulam, qua, tanquam instrumento sensibus obvio, vetus & genuinus di-

divini verbi sensus externe non tantum erui ac demonstrari, sed etiam erutus expendi atque explorari debeat: At vero fidelium neminem de eo plene ac plane posse in animo suo esse persuasum, nisi Spiritus S. accedat testimonium, qui, tanquam causa interna, sensibusque non perceptibilis, illorum cordibus obsignet interpretationis veritatem. Atque haec si illorum sit sententia, quamvis aper tam non involvat contradictionem omni tamen difficultate non caret: Si enim post Scripturam ipsam ad plenam interpretationis persuasionem insuper requiratur Spiritus sanctus, non erit illa sufficiens atque infallibilis norma; qualis esse ab illis statuitur, nempe cui competit omnes, in vero interprete requisitæ, quas supra enumeravimus, conditiones. Etenim si in interpretando non possit errare, nec provocationi locum relinquere; sed homines certa cognitione imbuere, & ad assensum cogere, non insuper opus erit Spiritus S. testimonio, quid enim quis ultra ista expetere potest? & si opus est Spiritus sancti testimonio, ad assensum non poterit cogere, nec homines certa cognitione imbuere, sed provocationi locum relinquet, errorique erit obnoxia. Sed his, quæ in transitu attingere tantum libuit missis, unquamque hujus sententiæ partem seorsim refutamus; ac primo quidem scripturam non esse normam seipsum interpretandi.

C A P. XI.

1. *Sententia Reformatorum, qua Scriptura sui ipsius interpretis statuitur, explicatur, 2. Atque illius difficultates adferuntur. 3. Vocabulorum orationumque significatus non Natura, sed hominum conversatione inno- rescere. 4. Communem loquendi usum non esse S. Scriptura interpretem, 5. Nec à Reformato statui, nec etiam posse. 6. Nullum ejus locum esse per se clarum; sed omnes ambiguos. 7. Nec semper etiam unum per alterum, aut obscuros per claros explicari. 8. Difficul- tates allatas non tolli regulis passim à Reformato, 9. Nec effugio, à quodam, allatus.*

I. **N**omine Scripturæ accipienda sunt heic loci vocabula, phrases, modi loquendi, sententiæ, & id genus alia, ad exter- num sermonem, & linguas, quibus S. Autores usi fuere spectantia: non autem sermo internus, ac orationum sententiarumque sensus; hic enim si cognitus fuerit, atque perspectus, nec interpretandus venit, nec interpretationis norma esse potest. Quis enim orationis sensum, quem jam asscutus est, aut eruere conabitur, aut ab alio sibi erui cupiet? aut quis Sacrae Scripturæ locum obscurum ac dubium per alterius sensum, neglectis atque insuper habitis vocabulis, ac dicendi modis, explicare aggredietur? Nullus sane, qui recte perceperit, interpretem versari circa voces, & quæ voces concernunt, atque ex iis sensum venari, atque investigare comparando, conferendoque vocabula ac phrases orationis jam intellectæ cum voca-

vocabulis ac phrasibus orationis, quam intelligere adhuc satagit atque contendit. Adeo ut Reformatorum, atque cum ipsis facientium, quando Scripturam sui ipsius interpretem statuant, mens atque sententia non alia esse possit, quam significations tum singulorum vocabulorum, tum integrarum orationum, in Scriptura occurrentium, quarum sensus latet, ope aliorum Scripturæ vocabulorum, atque orationum, quarum sensus est cognitus arque perspectus, investigandas esse, atque eruendas. Quod idem etiam confirmat Walæus, Enchirid. Religion. Christian. loc. de Scriptur. Interpret. his verbis. *Obscura loca manifestat Scriptura per comparationem cum clarioribus, quemadmodum illius exemplum illustre extat, Nehem. 8. vers. 9.* Sic etiam passim in novo Testamento Christus & Apostoli Scripturam obscuriorem per Scripturam clariorem explicant. Et Danæus Isagog. Christian. ad loc. Commun. part. 4. lib. 3. cap. 6. *Interpretationis Scriptura ex Scriptura modus est, quum, ut ait Augustinus ad Volusian. loci cum locis conseruntur, Scriptura sacra cum Scriptura sacra comparatur, unius loci obscuri explicatio, ex alio ejusdem scriptura loco faciliore affertur, &c.* Similiter etiam, & quidem fuse Whitakerus Disputat de Scriptura Sacra, contra hujus temporis Papistas, Controvers. I. Quæst. 5. cap. 13, cui titulus, *Scripturam esse ex Scriptura interpretandam.* Scriptura, ait, se clarissime & luculentissime interpretatur, si nos Scripturam sese interpretantem attendere volamus, et si non in omnibus ubique locis, sic ut dubitationis nihil relinquatur; tamen in plurimis maximeque necessariis, & in summis fidei nostræ capitibus. Et bujus interpretationis exempla habemus in Scripturis. Nam Scriptura, ubi obscu-

obscarius loquitur, sese explicat aliquando statim in eodem loco, aliquando in aliis locis cumulate. Atque hoc utroque genere exemplis paucis illustrat, ac post subiungit. Ejusmodi sunt exempla infinita, in quibus apparet Spiritum Sanctum dedisse operam, ut, quod videtur obscurius paulo dixisse, mox dilucide explicaret, omnique scrupulo lectorem liberaret. Et mox Et hic mos Scriptura, ut ad assequendam unius loci veram intelligentiam, nos remittat ad alium, atque hoc modo non insistamus atque acquiescamus in una aliqua parte Scripturae; sed rotundum corpus S. voluminum lectiore meditationeque nostra complectamur. Sunt ergo loca locis conferenda, siquid in Scripturis recte intelligere, ac tenere volumus. Atque huc etiam facit Basilius, in *αγρ. seu Reg. Brevior.* Interrög. 276. Quae ambigua sunt, quaque obscure dici videntur in quibusdam S. Scriptura locis, ab iis, qua in aliis locis aperta ac perspicua sunt illuminantur.

2. Hac autem sententia, sic explicata, quantumvis prima fronte satis plausibilis appareat, multistamen magnisque difficultatibus, penitus insipienti, atque accuratius ventilanti laborare deprehendetur. Quid enim commercii unius Scripturæ loci cum aliis? aut quid juris, aut prærogativæ hujus in illum, ut per illum aut ex illo interpretandus veniat? An, quæ Matthæus, vel Marcus Christum dixisse narrat, & subobscura videntur legenti, illustranda venient ex iis, quæ commemorat Lucas, aut Johannes, & vice versa? An non illorum S. Scriptorum, si superessent, jure merito dolere posset quilibet, sua scripta aliorum explicationi aut inservire, aut obnoxia fieri? An non sibi, suisque scriptis vim

inferre, eisque præpostere uti istos interpretes summa cum ratione contendent, qui, quæ vera esse pro comperto habebant, literis consignarunt, ut posteritati, serisque nepotibus nota facerent; non autem ut aliorum monumenta aut ipsi exponerent, aut iis vicissim exponerentur? An non æque divino afflatus fuit Spiritu in scribendo ad Romanos, quam ad Corinthios Paulus, aut hic quam Petrus, aut aliis quispam Apostolorum aut Euangelistarum? Cur ergo hic per illum aut ille per hunc, aut etiam per se ipsum exponendus est? Sane cuilibet S. Scripturæ loco sua constat autoritas, sua inest veritas, atque proprius sensus, qui nec ab alio dependet, nec per alium determinari debet: nec unquam unius Apostoli scriptis aliquod interpretationis jus in alterius datum legimus. Sed largiamur, uni Scripturæ loco jus competere alium interpretandi, qua, quæso, ratione certi esse possumus, unius loci mentem plane eandem esse, quæ alterius? quamvis enim eadem aut similia in utroque occurrant vocabula, & dicendi modi; potest tamen sensus esse diversus, vocabulaque in uno loco proprie, in alio improptie, aut allegorice aut alio quovis modo sumi: *Non enim eadem dictio, nec eadem phrasis, ubique idem sonat, atque significat in Scripturis, sed vel diversa, vel etiam contraria, ut habet & plurimis ostendit exemplis Stapletonus, lib. 11. Controversiar. cap. 10.* Unde cum Dannawero, in Idea Bon. Interpret. & Malitios. Calumniator. part. 1. sect. 3. Art. 11. §. 95. statuimus, *Collationem ex analogia proportionis mera nudaque non esse argumentativam, sed solum probabili ratione illustrativam, non enim sequitur loci paralleli hic sensus est:*

est: Ergo etiam hujus. Vox ita accipitur alibi: Ergo & hic. Eset enim hoc revera argumentum à particulari. Deinde etiam s̄epissimē aliquid (sunt verba ejusd. Stapletoni eod. loc.) similiter vel dissimiliter dictum videatur, non tam ex rerum ipsarum similitudine & dissimilitudine, quam ex affectu, & prejudicata sententia ipsorum conferentium. Sed iterum concedamus, Sacros Authores duobus aut pluribus diversis locis idem indicare atque innuere voluisse, debet necessario loci, qui alias interpretabitur, sensus cognitus esse atque perspectus, alias enim munere suo fungi nequirit. At undenam ille cognoscitur? Si regeratur per alium, de hoc idem denuo inquiram, sicque continuo pergam, donec tandem ad unum, aut plures (in infinitum enim, cum Scriptura sit finita, procedi, aut circulus sine manifesta absurditate committi non potest) perveniatur, in quo, aut quibus pedem figamus, aut quos per alias non explicari statuamus. Horum autem sensus, cum aliis locis interpretandis adhibeatur; adeoque perspectus esse debeat, undenam innotuerit rursus querere licebit; cui quæstioni nihil, nisi quod per se notus sit, responderi posse mihi videtur: Scriptura enim in omnibus, quæ ad salutem scitu sunt necessaria, capitibus à Reformatis perspicua esse atque clara asseritur, adeo ut simpliciores etiam atque rudiores Christiani eam intelligere queant secundum illud Augustini Epistol. 3. ad Volus. *Ad ea, que necessaria sunt saluti, tanta in eis (Scripturis) non pervenitur difficultate.* Item, *Modus dicendi, quo sancta Scriptura contextitur, quam omnibus accessibilis, quamvis pau-*

cifsum penetrabilis, ea, quæ aperta continet, quasi amicus familiaris sine fuso ad cor loquitur indoctorum atque doctorum. Ea vero, quæ in Mysteriis occultat, nec ipsa eloquio superbo erigit, quo non audeat accedere mens tardiuscula & inerudita, quasi pauper ad divitem; sed invitat omnes humili sermone, quos non solum manifesta pascat, sed etiam secreta exerceat veritatem, hoc in promptis, quod in reconditis habens. Sed ne aperta fastidirentur, eadem rursus aperta desiderantur, desiderata quodammodo renovantur, renovata sciruerit intimanter. Et de Doctrin. Christian. lib. 2. cap. 6. Qui prorsus non inveniunt, quod querunt, fame labrant. Qui autem non querunt, quia in promptu habent, fastidio sape marcescunt. In utroque autem languor carentis est. Magnifice igitur & salubriter Spiritus S. ita Scripturas sanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil enim sere de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissime alibi dictum reperiatur. At vero quænam ipsis oratio per se clara, aut sensus per se notus dicitur? Ego, ut verum fatear, nihil hac de re solidi quicquam, & quod acriorem aliquam inquisitionem ferre posset, apud omnes, quos mihi haec tenus videre contigit Theologos, inventire potui. Quorum itaque opinionibus recensendis, ac refellendis non necesse immorari. Exceptioni vero huic uni (nempe locos quosdam per se claros esse) quam supra attulimus, & quam solam in hac quæstione pro se adferre possunt, ut occurratur, primo quædam, in initio hujus tractatus à nobis exposita, in memoriam revocabimus.

3. Diximus supra cap. 2, Vocabula esse conceptuum,

ceptuum ac rerum notas & signa ; atque ex his omnem conflari , & constare orationem : Res itaque & conceptus erunt signata, ac omnis oratio significabit plures conceptus ac res inter se aut conjunctos aut disjunctos. Diximus insuper eod. cap. omnem vocabulorum denotationem, atque adeo orationis sensum , non à natura , sed hominum instituto & originem duxisse , & ab eorumdem usu etiamnum dependere , quem penes arbitrium est , & jus , & normaloquendi. Ex quibus consequitur , omnes vocabulorum significationes , ac orationum sensus non Natura , aut naturali lumini- nis indagatione innotescere ; sed cum hominibus ea lingua utentibus conversando , loquendo puta & audiendo , vel à præceptore viva voce addisci , aut ex Lexicis Grammaticisque hauriri debere.

4. Quando igitur quædam S. Scripturæ loca per se clara atque perspicua statuunt Reformati , non illam possunt intelligere perspicuitatem , qua principia scientiarum , primæ & communes no- tiones vulgo dicta , per se clara dicuntur. Hæc enim lumine naturæ sine ulla demonstratione in- telliguntur , quod in illis locum habere non posse , jam jam ostendimus. Sed intelligere videntur il- lam perspicuitatem , qua rationis sensus cuiquam , istius linguae , qua expressa est , gnaro atque perito siue ulla interpretatione , aut vocabulorum ex- positione innotescit , ita ut illud *per se* non neget præviā istius linguae cognitionem , usu aut insti- tutione acquisitam , sed tantummodo interpreta- tionem. Atque hæc si ipsorum sit mens , facient communem loquendi usum S. Scripturæ inter- pretem. Cum enim statuant , loca obscuriora

exponi per clariora, & horum sensus per se, hoc est, ut jamjam diximus, per communem usum: utique non erit, accurate loquendo, Scriptura sui ipsius interpres; sed tantum quædam ejus loca aliorum, quemadmodum & ipsi agnoscunt: At integræ Scripturæ communis loquendi usus, respectu locorum quidem obscurorum remotus, clariorum autem proximus. At vero hunc non esse idoneum legitimumque S. Literarum interpretem; imo omnium falsarum interpretationum fere unicum fontem, ex eo manifestum esse putamus, quod maxima hominum turba, à qua communis loquendi usus petitur, & erret, & perversos monstruosque de Deo rebusque divinis habeat, ac foveat conceptus, quos si quis S. Literis inferat, iisque intelligendis exponendisque adhibeat, quid aliud, quæso, quam à Dei sacrorumque Scriptorum sensu longissime remotas cedere, ac proferre poterit expositiones.

5. Nec etiam Reformatos, quamvis ego, quaque etiam diligentia atque attentione circumspexerim atque inquisiverim, invenire non potuerim, quid aliud per se clarum in orationibus statuere queant, hoc velle, aut si qui adeo rudes inconsiderantesque reperiantur, posse intelligere, hinc palam evadit, quod perplura in Dei verbo occurrant loca, quæ quidem vocabulis, construendique modis, communi loquendi usu cognitis, constant, adeoque hac ratione clara atque perspicua sunt: attamen ab interpretibus non eo sensu, qui sese primo intuitu legenti sponte offert, accipiuntur; sed in alium, ab illis quandoque longe diversum pertrahuntur; cuius generis

supra

supra cap. 3. §. 7. quædam in scenam produximus, quibus addi possunt sequentia. *Ne juretis omnino: &c. & Esto autem sermo vester, etiam, etiam, Non, non, &c.* Matth. 5. vers. 34. 37. *Ne resistatis malo: sed quisquis te cadet in dextram tuam maxillam, obverte ei & alteram. Et ei, qui velit tecum contendere, ac pallium tuum capere, dimitte ei etiam tunicam.* Et quisquis te angariabit ad milliare unum, abi cum eo duo, &c. Matth. 5. vers. 39. 40. 41. & id genus similia quamplurima, quorum sane ex communi loquendi usu obvium, & apertum sensum non repudiarent, si inde orationum perspicuitatem deducerent ac derivarent.

6. Verum equidem, quid igitur ipsis est, vel esse debet locus per se clarus? Superius cap. 3. fusse egimus de orationis obscuritate ac perspicuitate, distinximusque utramque respectu duplicitis sensus, nempe vel simpliciter dicti, vel veri, quos ambos insuper ab orationis veritate discriminavimus: Adeo ut omni interpreti in omni oratione interpretanda tria hæc accurate sint consideranda: non enim simulac quis unum invenerit, etiam reliqua reperisse, sibi persuadere debet. Porest enim orationis sensus esse cognitus, sine ejusdem vero sensu, & veritate; at non veritas, aut verus sensus sine sensu. Deinde noti esse possunt sensus, & veritas, ignorari vero sensus verus. Ac denique perspecti esse queunt sensus & verus sensus, ignorata veritate. Quæ omnia attendenti per se manifesta sunt. Cum igitur aliqua oratio in S. Literis per se clara & perspicua statuitur, vel sermo est de perspicuitate sensus simpliciter dicti, vel veri. De priori autem non esse appetet, tum ex iis, quæ

modo diximus, quod nempe sic communis le-
quendi usus esset Scripturarum Interpres; tum
quod hie quæstio sit non de simpliciter dicto, sed
vero S. Literarum sensu: Neque enim de quacun-
que, sed tantum de genuina germanaque Scriptu-
ræ interpretatione disceptamus, quæ quoniam ex
ipsis locorum sententia fit per loca ex se clara, illa cla-
ritas etiam non sensus cujuscunque, sed solummo-
do veri esse debet. Non enim ex quolibet ligno
fit Mercurius, nec ex quolibet sensu elicetur ve-
rus. De posteriori igitur, nempe perspicuitate
veri sensus loquuntur. At hujus respectu qui lo-
cus possit esse per se perspicuus, nos non posse vi-
dere ingenue fatemur, & ab iis doceri ex animo
cupimus. Cum enim omni in loco duplex ille sit
sensus, vel saltem duplex esse queat, necessario
dari debet ~~exemplis~~ quoddam, quo infallibili-
ter dignosci queant, si duo occurant, vel si unus,
plures ei non inesse. Unde patet nullius momenti
esse, si quis regerat aut excipiat, sensum simpli-
citer dictum & verum saepius coincidere, eaque
loca, in quibus id contingit, & qui simplicem
duntaxat habent sensum, ab ipsis tantum pro per
se claris haberet, non autem ea, in quibus differant.
Quoniam enim, ut ex allatis exemplis satis liquet,
id non semper obtinet, nota vel norma adferenda
erit, qua num id obtineat, certo explorari possit:
atque adeo loca illa talia esse, non per se, sed per
illud ~~exemplis~~, vel illam notam aut normam co-
gnoscetur, quod contra hypothesis est. Prætereat
etiam plane corruit illa exceptio ex eo, quod nul-
la sit oratio, quæ non plures admittat sensus, ut ex
iis, quæ cap. 3. diximus, satis elucet, & specialius
nullum

nullum S. Scripturæ locum esse , qui non multiformiter explicari possit, ipse afferit inter Reformatos non insimæ notæ Theologus Dan. Chamierus Panstrat. Cat. Tom. i. l. 16. c. i. §. i. his verbis. *Certum est; nihil esse adeo facile, adeo perspicuum, adeo certum, quod non varie detorqueri queat, etiam in sensu contrarios.* Atque adeo docuit experientia, omnes Hereses è Scripturæ perpetam intellectu, aut originem, aut certe incrementum sumfisse. *Quid enim crebrius occurrit in sanctorum disputationibus Patrum solutione locorum ab Hæresiis objectorum?* Denique misericordia temporibus non Catholicæ tautum strenue suam fidem è Scripturis tuentur: Sed & Papista (addo ego, & Lutherani, & Anabaptistæ, & Sociniani, & Armeniani, ac reliqui Christiani omnes) audient iisdem abutis subinde, ostentareque eorum autoritatem tanquam suam. Quod fieri nequit, nisi eosdem locos alii aliter intelligant. Cum igitur nihil non in S. Literis reperiatur ambiguum, nec quilibet sensus sit verus , sed ille duntaxat, qui menti Scriptoris congruerit , nec hic per se pateat , nullus etiam locus erit per se clarus.

7. Atque his omnibus adde , permulta Scripturæ loca esse, quæ semel tantum in divinis libris dicta, cum aliis similibus conferri nequeunt, qualia plurima profert Stapletonus lib. 11. Controvers. cap. 10. nec etiam semper ad loca , quæ ab ipsis clara vocantur, in Scripturæ explicatione perveniri posse : sed in obscurioribus fæpissime sistendum esse, qualia non pauca suppeditant in V. Testamento Scripta Prophetarum , ut & liber Jobi, & in Novo Apocalypsis Johannis. Quorum sensus tamen non obstante obscuritate ab interpretibus

cum exponuntur, non ex claris, adeoque nec ex Scriptura, sed aliunde hauriuntur, nisi obscurum per obscurum explicari posse statuant, ac sic sibi aperte contradictant.

8. Denique omnibus his allatis difficultatibus non subvenitur, nec Reformatorum sententia fulcitur Regulis in hunc finem ab iis allatis, quales sunt. *Non semper in barendum nude litera, sed & verus literalis sensus est erendum,* qui aliquando proprius est, aliquando figuratus: saepe etiam *Allegoricus est querendus.* *Sensus literalis proprius semper retinendus in Explicatione Scripturae, nisi falsus sit.* Et semper (quæ est Augustini regula) verborum proprietas est retinenda, nisi quedam bona ratio tropum suadeat. Cum p̄t̄ parit absurditatem, propriæ si accipiatur, confugere debemus ad allegoriam. Quæ figurate dicta sunt, non sunt propriæ interpretanda, & contra. Talia subjecta, qualia à predicatione esse permittuntur, & predicata pro ratione subjectorum accipi oportet; seu ex subjecti natura est petenda predicationi determinatio. Si præceptiva locutio est, aut flagitium, aut facinus revertens, aut utilitatem, aut beneficentiam jubens non est figurata; Si autem flagitium & facinus videtur jubere, aut utilitatem, aut beneficentiam vetare; figurata est. In Scripturis interpretandis, ante omnia, quid Deum deceat, considerato. *Sensus ne illatus esto, sed innatus:* verbaque intelliguntur, *α& χιι πρόγοι &c.* Etenim (præterquam quod si præter Scripturam, hæ Regulae in interpretando Dei verbo adhibendæ veniunt, utique non videtur esse Scriptura sufficiens se ipsam interpretandi norma, quod est contra ipsorum sententiam;) omnium talium Regularum autores, fautores, ac collectores rogatos velim: undenam innotescet, quid in S. Literis propriè, quid figurare,

figuratè, quid allegoricè dictum sit? undenam sciri possit, qui sensus sit falsus? quæ sit bona ratio, qua tropum suadeat? quando p̄t̄. p̄iat difficultatem? quælia subjecta à predicatione esse permittuntur, &c. undenam cognoscetur, quænam locutio flagitiam, aut facinus p̄teret; utilitatem aut beneficentiam jubeat? undenam intelligetur, quid Deum deceat, an sensus sit iniquus, &c. Si noverint, indicent, & simul Methodum explicandæ Scripturæ indicabunt. At nihil tale usquam apud ipsos aut alios invenire potui; nisi hoc unum, quod aut legisse me apud aliquem, aut ab aliquo audivisse memini, & operæ pretium duxi hisce adjungere, atque expendere.

9. Hic, si me non fallit memoria, disputans, *An nempe S. Scriptura secundum rectam rationem sit explicanda*, asserebat, nullo modo Scripturam nostræ rationi esse subjiciendam: & hoc asserto deinceps quærebat, Quomodo igitur, unum locum proprie, alium vero figurate esse accipiendum interpretandumque, patebit? Cui quæstioni in hunc modum respondet. Quando S. Scriptura alicubi quid clare & ex professo docet, sive δογματική, cui contrarium alio in loco ex occasione, & per consequentiam statuere videtur: tum locus ille clarus proprie & secundum literam est intelligendus; hic vero figuratè & secundum illum interpretandus. Ex. gr. S. Literæ clare δογματικά Deum esse unum, & aliis in locis Deus loquitur numero plurali, unde sequi videtur, illum non esse unum. Cum igitur prius ex professo doceatur, posterius vero per consequentiam ex iis deducatur, hi textus impro prius sumendi, & secundum illos, qui proprie accipi debent, exponendi erunt. Similiter jubetur caven-

cavendum esse , ne Deum corporeum imagine-
mur, dicitur enim Deuteronomio 4. *Cave tote vobis valde (nam non animadvertisis ullam similitudinem , &c.) ut non facias vobis sculptile , similitudinem ullius simu- lachri , &c.* Et postea. *Si facietis sculptile , simili- tudinem ullius rei , &c.* *contesteret contra vos hodie cælum & terram , fore ut omnino pereatis quam celerrimè è terra illa , &c.* Quibus locis clarè docetur, Deum esse in-
corporeum. Quocirca isto præcepto , & non ra-
tione obligamur, omnes textus , è quibus, Deum
corporeum esse, colligi posse videtur, ex hoc præ-
cepto interpretari. Hæc est illius viri sententia,
qua quæstioni omni ex parte satisfactum putat.
Sed misere fallitur. Quid enim ipsi perspicuum in
Scripturis dicitur? Constat namque tota vocabulis,
nullaque vocabula adeo sunt clara , quin plures
admittant sensus , ut jamjam ostendimus : &
quod ipsi clarum erit, alter judicabit obscurum.
Ipsa (ut habet Stapletonus lib. 10. Controvers. cap.3.) *manifesta Scriptura loca non omnibus sunt ma- nifesta.* Quod enim uni manifestum est , alteri vel
tardioris ingenii , vel aliter affecto obscurum est. Hoc
est corpus meum , nobis est clarum , Berenga-
rio , Wiclepho , Lutherano & Calvinistis obscurum.
Verbum caro factum , nobis est clarum , at Arria-
nis , Nestorianis , Eusebianis , & Apollinaristis ob-
scrum erat. Atque adeo quamvis uni Scriptura vi-
deatur δογματικην , Deum esse incorporeum : quam-
plurimi tamen alii in contrariam per eandem Scri-
turam , adducentur sententiam : nec præterea
textus , quem allegat , aliquid probat ; nam
stupidi illi atque bardi , qui sibi Deum cor-
poreum imaginantur , excipient , Mosen , cum ait ,

Cave te,

Cavete, nam non animadvertisit similitudinem, &c. nihil aliud voluisse, quam nullum esse corpus, cui Deus possit comparari aut assimilari. Sed vero largiamur aliquid in S. Literis clare atque perspicue exprimi. An igitur, si *δογματικῶν* affererent, nihil esse aliquid, vel aliquid esse nihil, etiam proprie, & ut sonarent, essent intelligendæ, quantumvis etiam nostræ rationi adversarentur? Sane

— Credat Judæus Apella

Non ego,

neque ullus sanæ mentis, ne quidem ipse. Congetur enim, cum Scriptura sibi ipsi videtur contradicere, fateri, ratione utilicere, ut dignosci possit, quænam loca proprie, quænam impropre sint, & figurate intelligenda atque interpretanda. Qualia sunt, *Deum non duci pœnitentia*. Num. 23. 23. 1.Sam. 25. 29. &c. & eundem pœnituisse, quod hominem fecerat. Gen. 6. 6. & iustus malo, quod factum dixerat populo suo Exod. 32. 14. Et alia id genus quam plurima passim obvia. Unde nemineta tam inconsiderantem fore existimo, qui isto effugio allatae adversus supradictas Regulas difficultati mederi velit, cum nihil in S. Literis, & præsertim Novo Testamento aperiens, & Christo familiarius, quam Parabolis, & Tropicis loquendi modis docere; quemadmodum id expresse testatur Euangeli-sta Marcus, cap.4. vers. 33. & 34. his verbis. *Talibus multis parabolis loquebatur (scilicet Jesus) eis sermonem, prout poterant audire. Absque parabola vero non loquebatur eis.* Quocirca illi tollendæ alia medicina accersenda applicanda que erunt. Verum quidem est, quando in ipso

S. Lite-

S. Literarum contextu explicando ; adversario-
rumque interpretamentis examinandis versantur
Theologi Reformati Philosophiam (ut supra nota-
vimus) eum in finem in subsidium vocare , ex ea-
que principia lumine naturæ cognita , demonstra-
tasque conclusiones mutuare : quibus suam ambi-
tui loci expositionem corroborent atque confir-
ment. At, quando in locorum Communium tracta-
tione de Scripturæ interprete sententia proferenda
est , unanimi consensu munus id Philosophiæ de-
rogant , ac Scripturæ atrociant , ore negantes,
quod opere fatentur , nec animadvententes , quot
quantisque , ut jam vidimus , hoc dogma prema-
tur difficultatibus , & quam infirmis ac ferculneis,
ut jam videbimus , astruatur argumentis.

C A P U T X I I .

*Reformatorum sententiam non probari 1. ex Nehem. 8:9.
Nec 2. ex 1 Petr. 1: 20. ostenditur.*

Excessa sic satis , nostro quidem judicio , ipsa Reformatorum Sententia , transitum nunc faciamus ad Rationes , quibus illam fulcire ac munire student. In harum vero examine dum versor aliquoties mirari mihi subiit , Viros doctissimos , ac alias satis accuratos ac perspicaces , in suorum adversariorum argumentis examinandis atque exanimandis tam subtiles , ac rigidos ; in propriis vero proponendis , firmandisque tam le- nes esse ac crassos , utpote omni fundamento omni stabilimento destitutis : suo exemplo comproban- tes illud Christi : Luc. 6:42. *Homines in aliorum oculis*

oculis videre posse festucam, in proprio vero trabem non animadvertere; ac Theologos etiam suis præjudiciis, quæ illi præ cæteris procul habere deberent, laborare, dum suam præconceptam, ac à majoribus acceptam opinionem & argumenta illam astruentia, sine ulla tam horum, quam illius examinatione amplectuntur: eam enim si vel levem instituissent, & illius futilitatem & horum imbecillitatem liquido deprehendissent, adeoque in veritatem inquisivissent, eamque invenissent, atque amplexi fuissent: quod adhuc mecum facturos spero atque confido. Sed de diyerticulo in viam.

Argumenta igitur, quorum nobis hic refutatio est instituenda, in duas dispescemus classes; prima continebit inartificialia, testimonia puta, quæ sententiam suam adstruere Reformati videntur, è S. Literis deprompta: altera artificialia, à Ratione, Analogia fidei, atque aliunde desumpta. Qui ex Scriptura adferuntur loci, præcipui sunt duo, unus ex Veteri, alter ex Novo Testamento.

I. Qui ex Veteri adducitur locus, occurrit Nehem. cap. 8. vers. 9. Ubi de Ezra, aliisque narratur, quod *Legebant librum illum, legem Domini explanante & exponendo sensum, dabant intelligentiam per Scripturam ipsam*. Unde infertur, si jam olim Scriptura per se ipsam explicata fuerit, eandem & nunc rationem obtinere debere. Vid. Chamier. Panstrat. Catholic. Tom. I. lib. 16. cap. 6. §. 10. Scarp. Curs. Theologic. Loc. de Scriptur. Controvers. 8. Alsted. Præcogn. Theolog. lib. 2. cap. 95. & alios. At respondemus, locum hunc adhuc alias præter allatam, quæ Tremellii, & Junii est, ex Hebreæ origine admittere versiones: Nam postrema

strema verba in quibus maxima Argumenti vis sita est, vertit Piscator, *inter legendum*; & in Scho-Jiis hujus capituli, in Hebræo esse dicit, *in lectione*. Sic etiam vetus interpres, septuaginta secutus, non transtulit, *dabant intelligentiam per scripturam ipsam*, sed, *intellexerunt, quum legeretur*: quam versionem etiam contextui Hebræo respondere, & admitti posse fatetur Ravanell. in sua Bibliotheca sacra Titul. de Scriptur. Distinction. 7. Num. 7. Cum itaque fas sit, ut habet idem Ravanellus dicto loco, *Interpreti ex duabus interpretationibus, cum utraque textui congruit, alterutram absque viu sequi*: sequitur si ex hoc loco suam sententiam adstruere voluerint Reformati, illos, interpretationem suam solam veram & genuinam esse, liquido ostendere debere. Sed, ut pateat, nihil hinc huic sententiæ roboris accedere, integrum locum examinemus. Textus igitur ex Hebræo fonte sic hauriendus, *Legebant in libro, in lege Dei, expanso, & cum attentione, & intellexerunt lectionem*. Simili fere modo locum interpretatur Vatablus, *Legerunt in libro ipso in lege Dei, explanavit, & apposuerunt intellectum, & intellexerunt scripturam ipsam*. Consentitque pœne cum his Interpretatio Syria-ca. Dumque legerent librum legis Domini expansum, percipiebant eum, & intelligebant lectionem ejus. Nec multum discrepant Commentatores in Verba-culam versionem jussu Præpotentium Fœderati Belgii Ordinum factam, qui ex originali textu ad marginem sic postremam loci partem transtulerunt, *Et apponendo intellectum, intellexerunt lectionem, hoc est, id quod legebatur, seu Scripturam, seu in con-gregatione: cum tamen (quod legenti mihi mirum vide-*

videbatur) in ipso contextu, excepta ultima dictione, versionem Tremellii & Junii sunt secuti: Ex his autem omnibus sensum talē colligimus; *Eſtam nempe, alioſque legiſſe in libri, qui erat Lex Dei, & quidem (mēo judicio) expaſſo, hoc eſt, aperto, & explicato; quamvis plurimi habeant explanato: Utebantur enim Judæi libris, non quidem chartaceis, & noſtro more compactis, inque folia & paginas diſtinctis; ſed volubilibus, & complicabilibus; ſcriebant quippe, ut Veteres fere omnes in libris arborum, id eſt, corticibus, quos convolvendo claudebant, & evolvendo aptiebant, unde etiam volumina appellabantur. Cui ſimile quid adhuc apud Judæos hodiernos obtinet, qui Pentateuchum ſic complicatilem, & convolubilem in Tempis ſuis aſſervant. Legebant igitur in libro, hoc modo explicato; atque aperto, & appofuerunt intellectum, hoc eſt, attenderunt, ſeu attenti erant, tam lectors, quam auditores: & intellexerunt lectionem, ſen id quod legebatur, hoc eſt, ejus mentem ſensumque percepereunt, quod iterum tam lectoribus, quam auditoribus attribui potest. Atque hic ſi fuerit hujus loci genuinus ſensus, ut nos existimamus, nihil inde, quod in rem Reformatorum fit, elici posſe pater.*

z. Alter, qui ex novo profertur Testamento, locus habetur in D. Petri Epist. 2. cap. 1. vers. 20. atque ſic ſonat. *Si illud primum noveritis, nullam Prophetiam Scripturæ eſſe propria explicationis. Quibus verbis Apostolum docere putant, Chaln. Panstrat. Cathol. Tom. I. lib. I. c. 19. & lib. 16. c. 3. §. 1. & z. Polan. Syntagm. Theol. lib. I. c. 45. quæſt. 6. Med. I. Walæ. Loc. Comm. Theol. loc. de Scriptur.*

Interpret. Fayus Enchirid. Theol. Disp. 26. Thes. 8,
 9, 10. aliisque, Scripturas non debere exponi proprio ingenio, ac privato sensu, quem sibi quilibet fingit atque Scripturæ impingit: Sed eo Spiritu, quo primum propositæ fuerunt, hoc est, secundum Spiritus sancti dictamen, ut ex sequentibus colligunt; subjungit enim Apostolus; Non enim libidine hominis allata est olim Prophetia, sed adi à Spiritu Sancto loquuntur sunt Sancti Dei homines. Atque hinc deducitur, omnem Interpretationem debere esse secundum Scripturas. Nam quia oportet esse (sunt verba Chamieri) à Spiritu Santo, quacunque tandem profereatur Epilysis, necesse est hauriri ab inspiratione vel ordinaria, vel extraordinaria. At extraordinaria nunc nulla exspectatur, & jampridem cum Montani paracletis Enthysiastarum Prophetias valere jussit Ecclesia. Restat igitur ordinaria, quam quis neget è Scriptura peti. Hanc autem postea vocat diligentem locorum collationem. At respondemus. Primo quosdam legere, ut annotat Walæus, non ἀπάντεις explicationis, sed ἀπάντεις imperii, inter quos etiam est ipse Calvinus, (ut refert Beza in notis in hunc locum) qui interpretatur, *Impulsum seu instinctum, eamque interpretationem sibi vehementer placere scribit.* Secundo, quamvis vulgarem lectionem vocis ἀπάντεις retineamus, illam quandoque impetum denotare: Atque adeo, si aut ista lectio, aut hæc significatio locum obtineat verba Petri paulo aliter sonare, ac in hunc modum esse vertenda, Nullam Prophetiam Scripture esse proprii instinctus, aut imperii, hoc est, Prophetas ea, quæ protulerunt, non ex proprio ingenio, & impulsu dixisse, aut scripsisse. Atque hanc esse hujus loci sententiam incunctanter pronunciat,

nunciat, Nicol. Hemmingius in hunc locum his verbis. *Vocabulum ἀτιθεσίας ambiguum est apud Gracos, nunc enim impetum seu impulsum, nunc interpretationem significat.* Verum antithesis aperite indicat, quod hic pro impetu accipiatur, quo homines feruntur seu aguntur, ad aliquid dicendum seu agendum. Opponitur autem Spiritui Sancto, qui autor est Prophetie, id quod ostenditur ex tribus, videlicet ex perpetuo Prophetarum consensu, & prædicationum certitudine, ex stupendis miraculis, quibus veritas Prophetiarum est obsignata: hoc accedit Christi & Apostolorum approbatio. Non ergo hic loquitur Petrus de interpretatione, sed de certitudine Prophetie. Quibus accedit Marloratus h. loc. cum ait. *Duplex potest esse verborum sensus. Nam ἀτιθεσία tam motus & impetus Gracis est, quam interpretatione.* Atque ita fere omnes accipiunt, &c. Alter tamen sensus simplicior videtur, ut Scripturam Petrus non humanitus, vel humano impulsu proditam esse dicat. Et paulo post. *Imprimis ergo jubet Petrus fidem habere Prophetis, tanquam indubitis Dei oraculis; quia non fluxerint ex proprio hominum motu.* Hæc Hemmingius & Marloratus; quam explicacionem cum antecedentibus & consequentibus optimè quadrare, ex iis, quæ jamjam dicturi sumus, etiam liquido patebit: *Tertio vocabulum ἀτιθεσίας, explicationis, non hic forsitan denotare, investigationem & indicationem veri sensus, in qua S. Librorum Commentatores occupati sunt; sed interpretationem, quam tanquam Dei legati, & divinorum eloquiorum promicandi Prophetæ in suis proponendis Prophetiis adhibuerunt, quibus humano generi, non suas opiniones, ac sui cerebri figmenta, sed omnipotentis consilia, non quod pro-*

prius dictavit animus, sed Dei suggestit spiritus, prædicarunt ac notum fecerunt. Atque hanc hoc in loco esse hujus vocis notationem, ex toto Apostoli contextui satis apparet: Dixerat enim supra vers. 16. *Se, non arte compositas fabulas securum, notam fecisse Domini nostri Iesu Christi potentiam & adventum: sed ut qui oculis suis aspiceret illius maiestatem: & vocem, illius honorem & gloriam teletantem, è celo delatam audiret;* & habebat firmissimum sermonem propheticum, de Christi nempe adventu, potentia, maiestate, &c. cuius firmitatem & certitudinem probat ex eo, quod nulla Prophetia Scriptura est propria explicationis, hoc est, ex humano Prophetarum cerebro, quod erroribus & hallucinationibus est obnoxium, profecta, quemadmodum ipse declarat & confirmat subjungens, *Non enim libidine hominis allata est olim Prophetia, sed aucti à Spiritu sancto loquunti sunt sancti Dei homines.* Unde etiam Cajetanus in hunc locum: *Inter scriptas, inquit, scientias, & scriptas Prophetias differentiam tangit: penes hoc, quod vir doctus ea, que in lumine intellectus agentis apparent, juxta propriam interpretationem, & docet, & scribit: Propheta auctor ea, que sibi sub lumine divina revelationis apparent, non secundum proprii iudicij interpretationem & dicit & scribit.* A quibus non abludit Venerabilis Beda, cum hunc in locum sic commentatur. *Nullus Prophetarum Sanctorum propria sua interpretatione populis dogmata vita prædiuavit; sed qua à Domino didicerant, hac suis auditoribus agenda commendabant: quoque in secreto cœlestia arcana percepserant: hac simpliciter vel loquendo vel scribendo Dei plebi tradebant: & non sicut genitum divini, qui quæ ipsi*

ipſi de corde ſuo fixerant, hac turbis deceptorum, quaſi
divini oraculi consulta, proferebant. Nec Erasmus in
Annotat. in Novum Testament. hoc loc. Graeca
vox (ἰνδικώς) dīcta eſt a ſolvendo, quod conuenit re-
bus intricatis: vel ab adeundo, quod magis congruit
hi, qua ſequuntur. Non enim ipſi ſuapte voluntate ag-
grefſi ſunt edere Prophetias, ſed impulſu Spiritus ſunt ag-
grefſi. Neque Dionys. Carthusianus in hunc lo-
cum, cum ſcribit. *Omnis Prophetia Scriptura, id eſt,*
omnia Prophetia in S. Scriptura contenta, propria in-
terpretatione non fit, id eſt, humana adinventione non
patuit; nec ſenſu proprio Prophetarum inventa eſt. Si
igitur, aut hæc aut illa, aut anibæ jam allatæ
ἰνδικώς ſignificationes ab Apostolo intentæ fue-
runt, nihil ex hoc loco, quo ſuam ſententiam ful-
ciant, haurire poterunt Reformati. Verum enim
vero ſimus liberales, atque ipſis largiamur, vocem
ἰνδικώς hic notare veri ſenſus indicationem; nondum
inde colligi potest, Scripturam eſſe ſui ipſius inter-
pretēm; ſed potius contrarium. Etenim, quando
Apostolus ſcribit, *nullam Prophetiam Scriptura eſſe*
propria Interpretationis, vox proprie non respicit Inter-
pretes; de iis enim nulla fit meatio, nec ul-
libi iſta vox in antecedentibus occurrit: ſed debet
referri ad Prophetiam, aut ad Prophetas, atque
adeo ſenſus erit; nullam Prophetiam Scripture, aut
(ſi per Prophetiam Scripturæ, ipſa Scriptura in-
*telligatur) Scripturam, eſſe per ſeipſam, aut à Proph-
etis interpretandam: quod ſane cum ipſorum ſententia*
adversa fronte pugnat. Quamvis huic hujus loci
ſenſui videatur favere Interpretatio Syriaca: Il-
lud imprimis ſcientes, quod omnis Prophetia ſua ſolutio
Scripture non fit. Et clarius adhuc Arabica. Hoc

primum scientes, quod omnis Propheta Scriptura non sol-
vit ipsamet sensum sui ipsius. At vero, quamvis ite-
rum concedamus, vocem proprie respicere Inter-
pretes, atque etiam Apostolum hoc in loco doce-
re velle, Scripturas non debere exponi ex proprio
Interpretis ingenio, sed secundum Spiritus sancti
dictamen: nondum tamen inde, quod illi con-
tendunt, conficitur, *Scripturam semper esse sui ipsius
interpretem.* Nam, praeterquam quod hic nulla sit
consequentia, nec ex iis, quæ de ordinaria ex
Scriptura petanda Spiritus sancti inspiratione su-
pra ex Chamiero attulimus, probetur: potest
etiam ille, qui per veram Philosophiam Dei ver-
bum interpretatur, non ex proprio ingenio, &
privato sensu, sed divini Spiritus dictamine illud
explicare, optimo jure dici, ut ex cap. 5. & 6. pa-
tet: atque adeo hinc aliquod nostræ Sententiaz
probationi lumen accersi. At de his plus satis.

Reliqua, quæ in medium adducuntur, Scriptu-
ræ loca præterimus, utpote tam exigui ponderis,
ut quilibet eorum levitatem facillime deprehen-
dere possit; qualia sunt Joan. 10. vers. 34. Ubi
Christus, ut se contra Judæos defendat, locum
ex V. Testamento adfert: Et Actor. 17. vers. 11.
Ubi Beræenses dicuntur scrutati Scripturas, an
ita se haberent, quæ Paulus prædicabat. Et
Acto. 9. v. 22. Ubi Paulus dicitur (ex Bezae ver-
sione) *collatis testimonis demonstrans Iudeos confusisse.*
Et id genus alia.

C A P U T X I I I .

Precipua, quibus, S. Scripturam sui ipsius interpretem esse, probare contendunt Reformati, argumenta proponuntur, atque resolvuntur.

Pergimus itaque ad secundæ classis argumenta, quæ à Ratione, fidei analogia, Scripturæ affectionibus, ac aliunde peti diximus. Horum autem esto

Primum, Omnes controversia de rebus fidei dirimi judicarique debent à Scriptura: At omnis Scripture interpretatio est quedam controversia de rebus fidei: Ergo omnis Scriptura Interpretatio dirimi judicarique debet à Scriptura. Sic argumentatur Chamier. Panstrat. Cathol. Tom. i. lib. 16. cap. 6. Ac Majorem dicit prolixe siuisse disputatam, demonstratamque libro primo. Minorum vero per seipsum patere. Quia exempl. grat. si pre manibus sit illud, Hoc est corpus meum, explicandum, non potes ei sensum ullum affingere quo non fulciatur pars aliqua contendentium. Si sic intelligas, hoc transsubstantiatur in corpus Christi, Papistarum partes suscipis. Sin vero, hic panis localiter conjungitur corpori Christi, transsis ad Lutheranos. Sin, hoc est nudum, vacuumque signum corporis Christi, deficiat ad Anabaptistas. Si denique, hic panis est corpus Christi: sive, est Sacramentum corporis Christi: tum in finum te recipis Ecclesia Catholica. Quæ igitur ratio erit disjudicandarum barum controversiarum, eadem ostendet, confirmabitque verum legitimumque sensum eorum verborum. Constat vero eas controversias disjudicari à Scriptura. Cur non igitur hunc ipsum ab eadem explicari?

Huic argumento ut commode respondeatur, consideranda duplex est distinctio. Prima est, quod vox *Scriptura* sumatur vel formaliter, vel materialiter : *materialiter* sumta significat vocabula, phrases, modos loquendi, ac orationes, quibus Prophetæ, Euangelistæ, Apostoli, ac reliqui Librorum sacrorum Scriptores, in Divinis eloquiis conscribendis, usi fuerunt : *Formaliter* vero accepta denotat mentem, quam illis verbis exprimere voluerunt, ac sensum, quem, dum ista exarabant, in animo habuerunt, iidem illi Sancti Autores. Altera est, quod *Res Fidei* accipiuntur vel late vel stricte. *Stricte* si sumantur, sub iis tantum comprehenduntur, quæ ad salutem creditu sunt necessaria, quæque vulgo Articuli Fidei vocantur, & summatim in *Symbolo* Apostolorum continentur. *Late* vero, in harum censum veniunt omnia, quæ quoquo modo ad Fidem referri queunt. His prælibatis argumenti *majorem* concedimus sub distinctione, nempe *omnes controversias de Rebus Fidei*, hoc est, ad salutem creditu necessariis, dirimi judicari que debere à *Scriptura*, hoc est, *Scripturæ* vero sensu; nec etiam alio sensu à Chamiero libro primo demonstrata putamus. *Minorem* negamus, puta *Scriptura*, hoc est, vocabulorum, phrasium, &c. *Scripturæ*, *Interpretationem* esse quandam *controversiam de Rebus Fidei*, intellige, stricte dictis. Neque enim aut *Scripturæ* voces phrasesque, &c. aut earum Interpretatio, ut per se patet, aut articulus Fidei, aut de ea *controversia* est; Nec ulli, quod sciam eo nomine venit, aut etiam venire potest. Eretim, ut in confessio est, omnia Fidei dogmata, quæ Christiano ad salutem

ludem scitu necessaria sunt, ex genuino legitimoque solius Scripturæ sensu peti debent, At hunc Interpretatio, cum per illam cognoscatur, præcedit, ergo etiam illa dogmata; ac propterea etiam inter illa nequaquam recenseri poterit. Deinde etiam circulus committeret: Ex vero enim Scripturæ sensu; & Fidei articuli hauriantur, & circa eas Controversiæ deciduntur, ac dirimuntur, at sensus iste ex verborum Interpretatione est: si igitur hæc esset aut Fidei articulus aut de eo controversia, deberet etiam hauriri aut dirimi ex vero Scripturæ sensu, qui ex verborum interpretatione cum sit, verborum interpretatio ex se ipso haurisetur, aut dirimeretur, quo quid absurdius? Quod vero præterea *Minoris probationem* attinet, ea nulla est. Quamquam enim qui genuinum hujus effati, *Hoc est corpus meum*, ostenderit demonstraveritque sensum, etiam inde controversiam, quomodo scilicet *Christi corpus in S. Eucharistia accipendum* sit, dirimere poterit atque dijudicare, non tamen ideo Scripturæ interpretatio est controversia de rebus Fidei. Distinguendæ enim sunt duæ hæc questio[n]es, quomodo Christi corpus in S. Coena assumi debeat, & quo sensu propositio hæc, *Hoc est corpus meum*, interpretanda sit: illa est, si quid creditu ad salutem necessarium in se contineat, ex vero Scripturæ sensu determinanda; hæc vero nequaquam est controversia de rebus Fidei stricte dictis. Atque adeo male infert Chamierus, rationem dijudicandarum controversiarum de rebus Fidei stricte dictis, ostendere confimareque verum legitimumque sensum verborum

Scripturæ: cum contra verus legitimusque sensus verborum Scripturæ sit unica norma, ac ratio dijudicandarum controversiarum de rebus Fidei.

Secundum, Si Scriptura est autentica, & perfecta, & perspicua: Ergo est optima corissimaque interpres sui. At prius verum: Ergo & posterius. Ita rursus argumentatur Chamierus loc. citar. §. 3. Et ferè cum eo Whitakerus Disputat. de Scriptura S. controv. I. quæst. 5. cap. 8. argum. 14. Antecedentia partes demonstratas fibi esse dicit totidem integris controversias: Consequentiam vero per se manifestam. Enimvero, si perfecta est Scriptura, necesse est in ea contineri, quacunque ad fidem pertinent. At quacunque necessaria sunt ad ejus interpretationem, ea pertinent ad Fidem. Ergo ex eadem oportet in ea contineri.

Huic argumento respondemus concedendo antecedens, (cum maxima ejus vis videatur hic spectare Scripturæ perfectionem, ut ex consequentia probatione patet: posset enim alias negari, quod ad perspicuitatem attinet, videbis, quæ diximus supra cap. II. §. 6.) & negando consequentiam; Ad cuius deinde probationem dicimus ex distinctione de Rebus fidei in praecedentis Argumenti responsione allata; quod, si per quacunque ad fidem pertinent, ea intelligantur dogmata, quæ ad salutem seiu necessaria sunt, quorum duntaxat respectu etiam Scriptura perfecta à Reformatis asseritur, concedamus *Majorem*; At negemus *Minorem*. Non enim in horum censum, quacunque ad Interpretationem Scriptura necessaria sunt, nedum ipsa Interpretatio referri potest, ut jamjam in superioris argumenti refutatione à nobis ostensum est. Si vero ea intelligantur, quæ quoquo modo ad Fidem spectant, atque

atque eo reduci queunt, concedimus contra *Minorem*; At negamus *Majorem*, utpote pec à Chamiero, nec ullo cum ipso faciente Theologo, eo sensu probatam.

Tertium, Si interpretatio Scriptura debet fieri secundum *analogiam r̄is n̄is*; Ergo & secundum Scripturam. At prius verum: Ergo & posterius. Argumentum hoc denuo est Chamieri loc. cit. §.4. atque Antecedens ait patere ex Paulo ad Romanos 12, 6. *Habentes diversa dona, pro gratia, qua nobis data est: sine Prophetiam, prophetemus r̄is r̄is n̄is*, secundum proportionem fidei. Cujus loci sensum (aliorum interpretationem rejiciens, nempe ut juxta proportionem fidei sua, id est, pro mensura fidei, quam quisque habet, teneat etiam sua revelationis modum) hunc longè sibi videri dicit accommodatorem, ut quisque in Prophetando, id est, inquirendo arcana doctrine labore, ut meminerit semper proportionis fidei, id est, doctrina de fide. Consequeniam verò vix opus habere illustratione, nisi contra Papistas, qui Regulam Fidei (hanc etiam per fidei analogiam intelligit) perversè interpretantur, ut comprehendat non scriptas Traditiones. Alii vero Theologi ex hoc Pauli loco, non argumentum, sed Regulam seu medium Interpretationis conficiunt, in hunc modum: *Diligenda atque exigenda est omnis Scriptura interpretatio ad analogiam fidei*. Analogia vero fidei ipsis est constans & perpetua Scripturæ sententia in apertis, & minimè obscuris locis, unde primaria Religionis Christianæ dogmata petuntur, quorum summa comprehenditur in Symbolo Apostolorum, Decalogo ac oratione Dominica, quæque in toto Catechismo traduntur. Vide Whittakeri in Disput. de Scriptura Sacra; contra hujus

temporis Papistas. Controv. I. Quæst. 5. cap. II.
med. 7. Scarp. Curs. Theolog. loc. de Sacra Scriptur. Regula 9. secund. gener. Polan. Syntagm. Theolog. lib. I, cap. 45. quæst. 6. medio 10. eorum, quæ in ipsa meditatione Scripturæ adhibenda. Zanch. Tractat. de Sacra Scriptur. quæst. 12. cap. 2. caus. 6. obscuritat. Scripturæ. Bez. in dictum locum, & alios.

At respondemus, si per τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως intelligatur *Ratio*, *Regula*, & *Canon Fidei*, quæ est ipsa Scriptura, ridiculam videri Majorem, ut pote Enunciationem identicam: Sin vero *proportio doctrinae de Fide*, quæ Reformatorum Catechismis continetur, absurdum esse Antecedens, cum tota ista doctrina non aliunde, quam ex vero S. Literarum sensu haufiri debeat: Sin *constans*, & *perpetua Scriptura in apertius locis sententia*, jam fuse refutatum esse Cap. II. Si denique *Symbolum Apostolorum*, *Decalogus*, & *Oratio Dominica*, partim absurdum, partim jam refutatum esse; cum prius ex Scriptura confirmandum ac deducendum; posteriores vero partes ipsius Scripturæ sint. Locus autem Pauli, qui in Antecedentis probationem adducitur, nihil evincit. Non enim in Græco invenitur vocula, *prophetemus*, sed eam Beza, cuius versionem secutus est Chamierus, interposuit, & quidem in *subjunctivo modo*, ei reliquam suam interpretationem accommodando atque adeo Paulum aut jubere, aut suadere fecit, cum tantum simpliciter in *indicativo* afferat, quod multi (translatio est Erasmi à qua vulgata non multum differt) *unum corpus sumus in Christo*. Singulatim autem alii aliorum membra, sed tamen haben-

res dona , juxta gratiam datam nobis , varia , sive
 Prophetiam juxta portionem fidei , sive ministerium in
 administratione , &c. Unde patet per τὸν αὐτοχόον
 τῆς θεοῦ non intelligi , proportionem doctrine ac fidei ,
 nec Regulam Fidei , aut simile quid , quemadmodum
 vult Chamierus , sed quod rejicit , Mensuram fidei
 sua , hoc est , quam quisque habet , ut est in versione
 Syriaca , & censet Wolfgangus Musculus in
 Commentariis suis in hunc locum ; sive mensu-
 ram cognitionis nostre , qua Deum , & res divinas cogno-
 vimus ē Scriptura , ut habet Piscator in Scholiis
 ad hunc locum , superiorem Chamieri exposi-
 tionem simul improbando , & rejiciendo , tan-
 quam spuriam & non genuinam. Atque hanc
 interpretationem etiam admittunt Beza , Pa-
 reus , eoque referente Martyr in dict. loc. &
 habent Chrysostomus in dict. loc. Tame si gra-
 tia sit & ipsa (Prophetia) non tamen simpliciter
 effunditur , sed mensuram à recipientibus se accipi-
 ens , tantum influit , quantum invenerit oblatum fibi
 fidei vasculum : Et Ambrosius ibidem. Hec (Pro-
 phetia) datur pro modo accipientis , hoc est , quantum
 causa exigit , propter quam datur : Et Hierony-
 mus. Secundum fidem , que unicuique à Deo data
 est , atque concessa : Nec non Theodoretus. Pro
 uniuscujusque fidei gratiam dimittetur , qui est bo-
 norum suppeditator. Unde Erasmus hunc locum
 sic διηγεῖται , Sive contigit Prophetia dos in expli-
 candis arcans literis juxta modum fidei , quam so-
 lām respicit Deus , non cetera merita , cetera superci-
 lium , suum bonum ceteris commuicet. Verum enim
 vero etiam si maxime prior Bezae versio , ac inter-
 positio admittatur , demonstrandum adhuc erit ,
 prophē-

prophetiam & prophetare hic non denotare futurorum prædictionem, & *predicere*, quemadmodum explicat Musculus in hunc locum: sed *interpretationem & interpretationi ac analogiam Fidei* hic designare ipsam S. Scripturam: quod non ita facile factu esse mihi persuadeo. De consequentia denique etiam pro varia Majoris acceptione aliquid dici posset; sed hujus argumenti vim jam satis infregisse autumo.

Quartum argumentum, *Quicquid omnium luculentissime & manifestissime res divinas exponit, inde Scriptura interpretatio petenda: At Scriptura ipsa omnium luculentissime, & manifestissime res divinas exponit: Ergo Scriptura Sacra interpretatur seipsum.* In hunc modum argumentantur Polan. Syntagm. Theolog. lib.1. cap. 45. quæst. 7. argum. 1. Alsted. Præcognit. Theolog. lib.2. cap. 95. quorum ille minorem probat, *Quia est vox Dei, qua nulla potest esse clarior, & manifestior:* hic vero declarat hac similitudine, *Sicut non opus est, ut Soli lumen aliquis fæneretur: ita nec opus est, ut clarissima S. Literarum luci aliunde lucem importemus.*

Nos vero respondemus sub distinctione: Nam *vox exponere*, vel denotat proponere, declarare, manifestare; vel explicare, & interpretari: deinde per *res divinas* denotantur, vel res ad salutem homini cognitu necessariae, ipsa Fidei dogmata, vel de iis Sermo. Si igitur *res divinas exponere*, sit tradere ac proponere res ad salutem scitu necessarias, concessa minore negamus majoris consequentiam; Non enim aliquarum Rerum luculentissima manifestissima que traditio ac tractatio, includit interpretationem sui ipsius, aut libri, qui de iisdem illis rebus agit. Sin vero sit, sermonem de Fidei articulis, seu

Scriptu-

Scripturam interpretari, quo sensu accipi debent ista vocabula, ut conclusio questionem probans inde elici legitimè possit, concessa *majore*, negamus *minorem*: Supra enim cap. II. contrarium ostendimus, nec allata ejus probatio sufficiens est: Quamvis enim concedamus, attamen valde improprius, S. Scripturam *Dei vocem* vocari posse, nullumque librum ea *clarius ac manifestius de rebus divinis agere*: non inde sequitur, illum *omnium luculentissime & manifestissime res divinas exponere*, hoc est, sermonem de Fidei articulis seu Scripturam interpretari; quoniam clara alicujus libri conscriptio non arguit illum esse aliorum, aut sui ipsius interpretem. Probatio igitur solummodo evincit Scripturam esse clarissimam, & manifestissimam Rerum divinarum expositionem, (de quo, quid sentiamus, cap. II. diximus) non vero sermonis de Fidei articulis interpretem, quod hic unice queritur.

Quintum argumentum: *Quia ipsa Scriptura potest sapientem reddere hominem ad salutem*, 2. Tim. 3. 15. Ita rursus argumentantur Pol. & Alst. locc. citt.

Sed nos *consequentiā negamus*; neque enim adeo Lyncei sumus, ut videre queamus, quā sequatur, Sacra Scriptura intellecta hominem ad salutem sapientem reddere potest, ergo est sui ipsius interpres.

Sextum, *Quia Scriptura divino modo, cum sit divinitus, utilis est ad doctrinam & redargutionem*: Ergo & ad docendum verum suum sensum, & refellendum falsum. Hoc modo denuo argumentantur Polan. & Alst. loc. cit.

Nos iterum *consequentiā negamus*; Non enim Scriptura verum sui sensum eruit, ac falsum ab aliis

aliis erutum refellit, quamvis intellecta utilis esse concedatur docendis veris, & redargiendis falsis Fidei dogmatis; sic enim restringi debet antecedens: Quoniam si latius accipiatur, ita ut ista Scripturæ utilitas ad omnia vera docenda, & falsa redarguenda extendatur, falsum erit, ut satis manifestum est.

Septimum, *Quia Scriptura sensus est ipsa Scriptura;* ut recte scripsit Hieronymus super Epistolas ad Galatas; *Non in verbis Scripturarum est Euangelium, sed in sensu:* non in superficie, sed in medulla: non in sermonum foliis, sed in radice rationis. Est & hoc argumentum Polan. loc. cit.

Cui respondemus, denuo consequentiam negando: neque enim illius rationem ullo modo assequi possumus.

Octavum Argumentum, *Quia Scriptura docet modum interpretandi seipsum:* docet autem eam exemplis, si-
cū sunt duo modi docendi, unus per regulas, seu precepta,
alter per exempla. Exempla interpretationis in ipsa Scri-
ptura adducit Polanus, cuius & hoc est argumen-
tum, loc. cit. *Mattha. 2. vers. 17. 18. & 23. & cap. 3.*
vers. 3. Et cap. 4. vers. 13, 14, 15, 16. Et capit. 5. ubi
explicatur Decalogus. Et cap. 8. vers. 16, 17. Et
alia, qua passim in novo Testamento exstant: Imo to-
tum novum, ait, est Interpretatio Veteris Testamenti.
Sic Paulus interpretatur à se dicta Rom. 10, 8. Simili-
ter interpretatur Scripturam per Scripturam, Roman.
13. 9.

Ad hoc argumentum respondemus per conse-
quentia negationem; Nam scriptum, quod tradit
modum scipsum explicandi, non statim sei-
psum per seipsum explicat; Posset enim tradere
modum

m̄dum seipsum per aliud explicandi. Stringeret argumentum, si Scriptura doceret, aut se per seipsam esse interpretandam, aut modum se per seipsam interpretandi, quorum alterum, aut utrumque forsitan voluit Author, ut ea, quæ in probationem adducit, nempe *Paulum Scripturam per Scripturam interpretatum fuisse*, videntur innuere. Verum tum *Antecedens negatur*, nec probatur alatris exemplis: Priora enim referunt Prophetias quasdam de Christo fuisse impletas: in posterioribus autem exponuntur quædam V. Testamenti loca, sed non per alia, quod factum oportuisset, ut intentum inde ostenderetur.

Nonum Argumentum; *Qui est Author Scripturæ, & summus legislator, ac doctor Ecclesie, idem est supremus & infallibilis Scriptura interpres. Solus Deus est Author Scripturæ, & summus legislator ac doctor Ecclesie. Ergo, &c.* Hoc argumento utuntur Alting. Scriptor. Theolog. Tom. I. part. 2. loc. 2. De For-
mâ Scripturæ; controvers. 2. Whitakerus Disput. de Scriptura S. controvers. 1. quest. 5, cap. 8. & Walæus Loc. Comm. S. Theol. Loc. de Scriptu-
ræ Sacræ Interpretatione. Quorum prius majo-
rem patere dicit, *quia quisque est optimus interpres ver-
borum suorum; & legislator sensum legi optime edifferit.*
*Minorem vero apertis Scripturæ Testimoniis nisi: Ti-
moth. 3. v. 16. Jacob. 4. v. 12. Matth. 23 v. 8, 10.
& cap. 17. v. 5.*

Respondemus non concludi quod concluden-
dum erat, nempe Scripturam esse sui ipsius Inter-
pretem: An enim Deus Scripturæ sit interpres in-
fallibilis, nulla est controversia. Quod si instetur,
Scripturam esse Dei vocem, atque adeo probato, Deum esse

Scriptura interpretem, etiam esse probatum, Scripturam esse sui ipsius interpretem : Regerimus Consequentiam esse nullam. Potest enim aliquis Autor duos pluresve conscribere tractatus ; quorum alter illico non erit alterius, vel alii aliorum, & quidem sui invicem interpres.

Decimum, atque ultimum ; *Supremus & infallibilis Scriptura interpres est, qui interpretando nunquam errat, nullo partium studio ducitur, provocationi locum non relinquit. Hec vero soli Spiritui sancto in Scriptura loquenti, atque ita ipsi Scriptura conueniunt. Ergo. Sic rursus argumentatur Altingius, & fere cum ipso Whitakerus & Walæus, loc. cit. Majoris consequentiam firmam esse asserit Altingius. Quia qui errat aut errare potest ; item, qui partium studio ducitur, quod mentem excusat, non est infallibilis ; & qui provocationi locum relinquit superiorem habet, eoque supremus esse nequit. Minorem autem probat. Quia Spiritus S. in scriptura loquens, atque ita ipsa Scriptura est ipsa veritas ; est & ex eo datur. nec habet superiorum ipse a & a, primus & ultimus.*

Nos vero respondemus negando *Minorem*, nempe Spiritum S. in Scriptura loquentem, sive ipsam Scripturam esse Interpretem nunquam errantem, &c. Ad *probationem* vero dicimus, illam tantum demonstrate, Spiritum S. aut Scripturam nunquam errare, non duci partium studio, nullum relinquere provocationi locum, quæ omnia ultra concedimus : non autem esse Interpretem, quod solum hic est in *questione*.

Atque horum decem argumentorum solutiones sufficere arbitramur, que pateat quam imbecillæ sint

sint rationes, quibus suam stabilire contendunt sententiam Reformati. Ad Reliqua, si qua apud Autores occurrant, ad horum exemplum facillime responderi poterit. Unde ad alteram Reformatorum sententiæ partem transimus.

C A P U T X I V.

1. *Quid, & quotuplex sit interna, Spiritus S. persuasio?* 2. *Quidque ordinaria? Eamque, quam Theologi statuunt, non dari.*

Reformati, ut cap. 10. ex ipsis attulimus, præterquam quod S. Scripturam sui ipsius Interpretem esse statuunt, etiam suas in hoc negotio Spiritui Sancto, & quidem præcipuas, tribuunt partes: nempe illius testimonium internè Fidelium mentibus veram interpretationem obsignare, ac de ea plenissime persuadere: cum S. Scriptura tantum externa norma sit interpretandi, quæ viam ad internam illam εληροφορίαν lternat. Hujus autem Sententiæ difficultas, omissis iis, quas supra movimus, ut in conspectum prodeant, illius patronos rogare libet, quid per internum testimonium internam ve Spiritus sancti persuasionem intellectum denotatumque velint: multifariam enim accipi possunt ista vocabula. Si respondeant, esse suam mentem, quod nullus veri S. Literarum sensus, undecunque etiam ille hauriatur, & quacunque Methodo investigetur, plenissime queat esse certus, nisi naturali intellectus lumine illius veritatem clare atque distincte percepitur, atque illius apud semet ipsum percerceptionis intimè conscientius fuerit, quæ in

omni certitudine , extra omnem dubitationem evecta , requiruntur : adeoque claram illam distinctamque perceptionem , simul cum ejus conscientia sibi venire nomine internæ persuasionis , internique Spiritus Sancti testimonii , eandem , quam nos , fovebunt sententiam , ut ex iis , quæ supra de Philosophia cap. 5. §. 6. arbitrati fuimus , facile patet . Sin vero dicant , se non lumen intellectus naturale , aut quod illi superstructum est intelligere ; sed lumen Spiritus supernaturale , non rationi connatum , sed adventitium , non menti inclusum atque acquisitum , sed infusum atque inspiratum , cuius radiis illuminatus animus atque firmatus dictamini accepto acquiescit ; rursum eosdem , cum duplicem Spiritus sancti inspirationem statuant , ordinariam nempe atque extraordinariam , hancne , an illam intelligant , interrogatos volo . Extraordinarium divini Spiritus lumen afferuisse Prophetis , Euangelistis , atque Apostolis , reliquisque sacrorum Codicum Scriptoribus , in Dei verbo intelligendo atque interpretando , apud omnes in confessio est : His enim ; ut habet Polianus , per immediatam revelationem , absque labore & industria verum Scriptura sensum revelavit Spiritus sanctus : quaz ratio , sunt verba Chamieri , nunc nulla exspectatur , & jam pridem cum Montani paracleto Enthusistarum Prophetias valere jussit Ecclesia . De Ordinario igitur iis tantum sermo erit .

2. At vero quid ipsis est ordinarium Spiritus sancti lumen , dictamen , testimonium , inspiratio , persuasio , Chamierus Panstrat . Catholic . Tom . 1. lib . 1. cap . 19. § . 8. Ordinariam inspirationem asserit debere à Scriptura peti , eamque post-

ca

ea §.13. esse scribit diligiem collationem locorum. Nec aliud videtur statuere Polanus Syntagm. Theolog. lib. I. cap. 45. quæst. 4. quando ex eo, quod Bellarminus fateatur libro tertio de Verbo Dei cap. 3. sect. 11. Scripturam debere exponi secundum dictamen Spiritus sancti; colligit, quod secundum Scripturas, non autem secundum privatum dictamen Spiritus extra Scripturas exponi debeat. Atque cum his duobus; etiam convenire mihi videntur illi, qui Scripturarum Interpretationem tribuunt Spiritui S. in Scriptura loquenti, vel *Scriptura*, que vox est, Spiritus sancti, quales cap. 10. quam plures recensuimus. Hoc autem per suum ordinarium Spiritus lumen, aut dictamen si denotatum velint, patet, illos relabi ad jam refutatam quæstionem, ab eaque nihil diversum proponere; ita ut satis fuisset, Scripturam sui ipsius interpretem statuisse. Verum enim vero aliud quid, & quidem illustracionem quandam intellectus, operationemque Spiritus sancti, qua de vero geminoque S. Literarum seusu persuadentur intime fideles, intelligere videntur. Chamierus enim Panstrat. Catholic. Tom. I. lib. 16. cap. I. contra Bellarminum aliosque disputans de Spiritu quo intelligenda sint Scriptura, statuit illum non esse cujusque homunculi imperium, qui se ingerens ad legendas interpretandasque Scripturas, ipse suo sibi marte sensum pro arbitrio fingit, quem affingat libris sacris: Sed efficaciam illam particularem cuique fidelium, quæ est à Spiritu sancto, quæque efficit ut Scripturam intelligat, hoc est, sensum assequatur verum genitumque. Et Scarpus Curs. Theolog. loc. de Sacra Scriptura, controvers. 8. contra Pontificios argum. 2. perce-

ptionem veri sensus fieri afferit per illuminationem Spiritus sancti, quam (argument. i.) internum illud testimoniū videtur nominare, quo Scriptura divinæ autoritatis esse cognoscitur. Quod idem etiam confirmant ea, quæ habet Chamier. Panstrat. Catholic. Tom. i. lib. 6. cap. i. §. 5. & 7. Ubi, Pontificiorum calumniam amoliri volens, qui *internam Spiritus sancti persuasionem*, *Scriptura autoritatem cordibus insculpentem certoque persuadentem*, nihil aliud esse quam privatum *superbiae Spiritum*, omnibus hodie hereticis communem clamant; multaque de particularibus, extraordinariis revelationibus, atque ~~indivisiu[m]o~~ garriunt; responderet, Reformatos nihil hic somniare extra ordinem: sed id ipsum agnoscere, quod in reliquis articulis fidei omnibus: nimirum, omnino opus esse interna Spiritus sancti persuasionem, ut libris sacris plena fide assentiamur. In quem sensum etiam Calvinus Institution. Relig. Christian. lib. i. cap. 7. § 4. Altius, ait, quam ab humanis vel rationibus, vel iudiciis, vel conjecturis petenda est hac persuasio, nempe ab arcano testimonio Spiritus. Et paulo post, Testimonium Spiritus omni ratione præstantius esse respondeo. Nam sicuti Deus solus de se idoneus est testis in suo sermone: ita etiam non ante fidem reperiet sermo in hominum cordibus, quam interire Spiritus testimonio obsignetur, &c. Videantur præterea Zanch. Tractat. de Sacr. Scriptur. quæst. 2. part. 4. propos. 7. Walæ. Locor. Theol. loc. de Scripturæ Sacr. Autorit. Scarp. Curs. Theolog. loc. de Scriptur. Controvers. 6. Alting. Oper. Theolog. part. i. loc. 2. & Polan. Syntagm. Theolog. lib. i. cap. 16. qui hoc internum Spiritus sancti Testimonium definit, quod sit *revelatio interna Spiritus sancti*, qui nos per internum

internum afflatum ita docet in cordibus nostris, quo efficaciter persuadeat, ut firmius credamus Scripturam sacram, quam habemus in libris Propheticis & Apostolicis esse verè & indubitate verbum Dei. Quæ definito, si posteriora verba immutentur in hunc modum, ut firmius credamus aliquem Scripture sensum, aut proprio mente investigatum, aut ab alio edictum, esse indubitate verum atque genuinum, comprehendet id, quod meo iudicio per internam Spiritus S. persuasionem circa verum S. Scripturæ sensum, indigitare volunt Theologi reformati.

3. Sed, ut liberè, quod sentio, aperiam, fateor me hujus Definitionis verba quidem audire, mentem vero sensumque minime assequi. Declaratur enim obscurum per æque obscurum, atque idem per seipsum. Quid enim interna revelatio? quid internus afflatus? quid efficaciter persuaderi? quid firmiter credere? Præterea, quid est definitum? actione Spiritus sancti, an effectum? & si effectum, quid est in Fidelium animabus, & quomodo eas afficit; nihil enim hic nisi externæ denominations afferuntur. Si itaque per Spiritus S. internam revelationem, internumque afflatum intelligent claram distinctamque perceptionem per naturale intellectus lumen à Spiritu sancto producam in mentibus fidelium; ac per efficacem persuationem, & firmam fidem, intimam istius perceptio- nis conscientiam, & plenam in ea acquiescentiam, nihil à nobis seorsim sentiunt, ut principio hujus capitatis explicuimus. Sin vero supernaturale quid, & quod Naturæ vires excedat, ejusque ordinarium cursum exsuperet, quale heic loci semper cre- pant, & venditant, designatum velint: videant

ipſi, an non in veterum Enthusiaſtarum, aut fanaticorum ac male feriatorum quorundam recens extortorum hominum; quos Quakeros appellant, tranſeant caſtra, quæ tanto ſtudio ſe devitare praedican: Enthusiaſtarum enim Prophetias, ac spiritales revelationes jam dudum cum Montani paracletο valere juſlit Eccleſia, ut ex Chamiero, jam ſæpius attulimus, & Quakerorum deliramenta de lumine & Spiritu, interpasque illuminationes, merito rejiciunt hodierni Theologi: utpote qui spiritum ſuum ſupra ſacras Scripturas efferunt, qui que rationem omnem, omnesque liberales disciplinas, cum linguis originalibus ſe pedibus conculcare magnifice gloriāntur. Mihi ſane ab iis non procul abeffe videntur: quandoquidem de Supernaturali iſto Spiritu S. Testimonio multa effecta, atque adjuncta proferunt, multaque alia garriunt: cum interim ejus eſſentiam atque naturam nusquam proponant, nullibi explicit: & forſan etiam ignarent. Quantacunque enim non tantum ſedulitate atque diligentia iſorum libros percurrerim atque evolverim; ſed etiam attentione apud me iſum quæſiverim, atque alios non tantum doctos, ſed etiam indoctos quam plurimos, ut apud ſe quoque inquirerent, ferio rogaverim; omnis ramen incassum cecidit labor, nec aliquid, quod animo ſatisfaceret meo reperire potui. Ingenui ſunt fassi mecum non pauci, ſe nihil praeter claram atque diſtinctam illam perceptionem, ejusque conſcientiam, atque in ea acquiescentiam unquam apud ſe inveniſſe, aut aliud quid, cujuſ verum atque realem conceptum formare poſſent, apud alios, quantumvis de eo gloriarentur, invenire potuſſe.

uisse. Verum alii quidem supernaturale quid, ac cælestē se sèpius sensisse, atque in se etiamnum reperire prædicarunt; quod tamen, quando ad exæctum accuratumque examen revocabatur, nihil nisi affectum aliquem animi naturalem esse, aut imaginarii fruitionem boni, ex eaque in animo lætitiam redolere, non tantum ego: sed etiam aliquid quando ipsi liquido deprehenderunt. Ex quibus omnibus satis superque patere arbitramur, quam fluxo instabiliq[ue] fundamento innixa sit hæc sententia; etiamsi argumenta, quibus illam confirmare satagunt, non solverentur: Attamen ne aliquid, quo se defendere possent, intactum relinqueremus, & quod alicui scrupulum injicere posset, removere negligeremus, breviter illa sequenti capite explicabimus & quantumcum sint virium examinabimus.

C A P U T X V.

Expenduntur Rationes, quibus Spiritum S. sacrarum Literarum Interpretēre esse, aſtruere contendunt Reformati.

SOLO inter Theologos, quos mihi videre contigit, Whitakerus in Disputat. de Scriptura S. Controvers. I. quæst. 5. cap. 8. & ex eo Scarpius in Cursu suo Theologico, loc. de Scriptura, controvers. 8. tria proponunt argumenta, quibus probare conantur præter Scripturam, etiam Spiritui S. authoritatem competere S. Literas interpretandi. Et quamvis, ut fere omnes faciunt, illi conjungant atque misceant jus omnes

de fide controversias dijudicandi ; nos tamen illo prætermisso ea solum , quæ præsentem quæstionem spectant, excerptemus atque expendemus.

Primuni itaque est , *Si Scriptura non aliter talis esse cognoscitur , nisi per se , & per internum Spiritus S. testimonium in singulis fidelibus ; tum Authoritas summa interpretandi Scripturam est penes Scripturam solum , & Spiritum sanctum. At prius Controvers. de Scriptura; Authoritat. probatum est. Ergo.*

At Respondemus , & quidem ad antecedens per partes : primo negando *Scripturam esse talēm cognosci per se* : Nihil enim per se cognoscitur , quam primæ atque communes Notiones : Scriptura vero cum ex notis divinitatis , quæ illi insunt , Dei verbum esse cognoscitur , non perse ; sed per illas notas talis esse cognoscitur : Deinde distinguendo *internum Spiritus S. testimonium* ; Si enim claram distinctionemque lumine naturæ à Spiritu S. productam perceptionem , cum ejus conscientia , ac in ea acquiescentia intelligant : concedimus , quod hanc partem spectat , *antecedens* : non enim erit contra nos , ut ex superiori capite dictis patet. Sin vero supernaturalem quandam illuminationem intendant , negamus talēm dari , utpote Enthusiasmum , ac Quakerismum redolentem , nec ab ullo Theologo explicatam , multo minus probatam : omnia enim , quæ eum in finem , aut hoc aut loco de Scripturæ authoritate adferri solent , facillimo negotio ex jam dictis solvi poterunt. *Quod vero Consequentiā attinet , de ea forsan etiam dubitari posset : quamvis enim Scriptura talū esse cognoscatur per se , & per internum Spiritus S. Testimonium , non inde sequi videtur , etiam per se , & Spiritus S. testimonium tantum*

tantum esse interpretandam : posset enim alio, qualem nos jam proposuimus , modo , qui infallibilis sit, exponi.

Alterum Argumentum est : *Quod solum habet vim ad fidem generandam , illud solum habet summam autoritatem interpretandi Scripturas. At Scriptura sola una cum Spiritu S hanc vim habet. Ergo illis solis hac summa authoritas est tribuenda. Probat. proposit. ex Roman.10. vers.17. Fides nascitur ex sensu Scriptura recte percepto: at sensus Scriptura ex sola Scriptura petendus est, imo est ipsa Scriptura: & perceptio veri sensus fit per illuminationem Spiritus sancti. Prob. Affumpt. quia solus Spiritus sanctus fidem infundere potest.*

Respondemus primo negando Majorū consequiam: ejus vero probationem satis mirari non possumus; partim enim est non Majoris, sed Minoris, nempe, quando fides ex sensu Scriptura recte percepto nasci dicitur: partim continet id, quod in quaestione est, puta *Sensum Scriptura ex sola Scriptura esse petendum, & perceptionem veri sensus fieri per illuminationem Spiritus sancti.* Secundo Minorēm, quod ad ea, quæ de Spiritu sancto continet, vel concedendo, vel negando pro distinctione in primi Argumenti responsione allata.

Ultimum denique est; si Scriptura sunt interpretanda, & intelligenda eodem Spiritu, quo scripta fuere; tum necesse est, ut omnes, qui illas interpretari aut intelligere volunt, Spiritum sanctum consulant, & ab ejus persuasione pendeant. At prius verum. Ergo.

Respondemus, Si eodem Spiritu significetur eadem extraordinaria Spiritus sancti inspiratio, qua in scribendo impulsi fuere sancti Dei homines, Prophetæ atque Apostoli ; negatur Antecedens: his

his enim solis illa propria fuit , atque concepsa , nec hodie amplius in Ecclesia locum obtinet. Sin vero denotetur ejusdem Spiritus adminiculo ; at diversimode operantis , posset concedi , nostræque sententiæ probandæ accommodari , dicendo Philosophiam esse id adminiculum , quo Spiritus S. nunc temporis Scripturas interpretatur. Sin autem velint eundem Spiritum sanctum , & quidem diverso modo S. Literas exponere , ast non per Philosophiam , sed supernaturalem aliquam revelationem ; illa quid sit definire , & quod sit probare ipsis incumbet , ut jam multoties inculcavimus.

C A P. XVI.

1. *Socinianorum Sententia explicatur.*
2. *Ut & Arminianorum.*
3. *Tam hos & illos , quam Reformatos in Scriptura claritate & obscuritate inter se consentire , at à nobis dissentire.*
4. *Quod intellectus dispositionem attinet , quid statuant Reformati , & in quibus à Socinianis , Arminianis & à nobis discrepant?*
5. *Quid de eadem re sentiant Sociniani & Remonstrantes , & in quibus tum inter se , tum à Reformatis dissentiant?*
6. *Quod interpretandi normam spectat , quid statuant Sociniani?*
7. *Rationem non esse normam interpretandi statuere Reformatos , eamque Sententiam videri falsè ab illis affungi Socinianis ac Remonstrantibus?*
8. *Propria sententia de Norma proponitur , & ejus differentia à Socinianorum , Arminianorum , ac Reformatorum ostenditur.*
9. *Argumentum contra eandem diluitur.*

HAEC TENUIS ARMA IN HOSTES MOVIMUS , ATQUE IN ILLORUM TERRAS COPIAS NOSTRAS PRODUXIMUS , ARCES OPPUGNAMUS .

oppugnavimus, ac destruximus. Nunc, parta victoria, nostrarum partium Fautores, & cum nobis quidem, quamvis non in totum, facientes, attamen à nostra sententia (quantum ex illorum scriptis colligere possumus) non longe abeuntes invisere libet; & cum iis, coronidis loco, conferre, quoisque inter nos, & cum jam devictis hostibus consentiamus aut dissentiamus, & ut omni ex parte nostras res in tuto collocemus, experiri tentareque, num ad nos pertrahi, nobisque conciliari & firmo fœdere jungi possint. Sunt autem hi vel Sociniani vel Arminiani, quorum, ut res tota expeditius conficiatur, primo indagabimus opiniones.

1. Sociniani itaque, ut à veterioribus initium faciam, hac in re sibi non constare videntur: nunc enim soli rationi S. Literas interpretandi partes competere affirmant, nunc Spiritus S. gratiam & opem insuper requirunt. Sic in Cateches. Racov. cap. 3. quando queritur, *unde tanta disceptatio super intellectu Scriptura;* Respondeatur, *indo quod homines S. Scripturam vel negligenter legunt: vel non adferunt cor sincerum, & ab omnibus impedientis, ac cupiditatibus solutum; aut auxilium divinum, id est, gratiam Spiritus sancti, quam Deus omnibus, se propter eam dies ac noctes invocantibus, promisit, non implorant.* Contravero Ostorod. Institut. cap. 4. *Si ergo ratio, id est, ingenium, vel intellectus exserete ostendat Trinitatem Personarum in Deo falsam esse, quomodo unquam homini intelligenti in animum veniret, illam veram esse & verbo Dei probari posse.* Et Smalcius contra Frantism. Disp. 4. *De Justificat. Nulla est Christiana Religionis parti-*

particula, quæ cum ratione non conveniat: & quæ cum ratione non conuenit opinio, ea etiam in Theologia nullum locum habere potest. In quorum locorum duobus posterioribus solius rationis, in priori vero Spiritus S. mentio fit. At vero tum Rationem tum Spiritum sanctum adducit Author *Brevis Disquisitionis contra Valer. Magnum, de Acatolicorum credendi regula* (quem Socinianum esse ait, & probat celeberrimus ac doctissimus Theologiz in Academia Lugduno Batava Professor Johan. Hoornbeek Socinianism. confutat. tom. I. lib. I. cap. 6.) cap. 4. his verbis. Negandum est, nullum certo assequi verum sacrarum Literarum sensum nisi interius illustratus & doctus sit à Spiritu S. & paulo post, Quocirca omnino necessarium est illi (de fana ratione loquitur) & S. Literas intelligendi judicandique facultatem adscribere. Neque enim tanta est ubique sacrarum Literarum obscuritas. Quid? adeo clara quedam sunt, ut à quovis audiente & legente protinus intelligantur. Obscuriorum autem locorum explicatio non est omnibus necessaria. Quod si quis tamen serio querat, Spiritus S. ope investigabit. Ei hoc ipsum quod intelligit, an à Spiritu S. nec ne sit, non nisi rationis sane iudicio constare potest. Neque enim donum illud Spiritus S. rationem tollit, sed attollit, & illustrat, & quod per se vel non poterat (quemadmodum in quibusdam Scripturalis locis obscurioribus enodandis apparet) vel non sine difficultate poterat, ut ejus ope possit, aut faciliter possit. Nam medium usurpat spiritus S. ad operationes persciendas illud, quod in nobis invenit operationibus istis accommodatum. Quemadmodum ad videndum oculum, ad audiendum aarem meam adhibet, ita ad intelligendum & judicandum certe ratione mea, unico scilicet intelligendi judicandique instrumento, uitetur. Praterea quemad-

admodum quisque etiam Sacra oculis legere auribusque audire potest sine Spiritu sancti interiori ope, aut peculiari oculorum auriumque illustratione: ita non minus intelligere judicareque eadem Sacra lice rationis sane beneficio, etiam si nondum acceperit Spiritus S. illustratio. Prasertim in iis, que ad salutem simpliciter necessaria sunt. Et cap. 7. Ad S. Literarum autoritatem, & genuinam mentem dignoscendam principia etiam illa, que Philosophica appellant, esse ad vocanda. Et paulo post, Hac & similia, que nemini sano ignota sunt, statuendum est esse fundamenta cognitionis nostrae, quoad autoritatem S. Literarum, & quoad verum earum sensum. Ac iterum postea, Quae ad salutem sunt necessaria ex Scripturis nullo negotio dijudicabit; modo diligentiam adhibeat, & ab affectibus, & prejudicatis opinionibus sibi imponi minime patiatur. Maxime vero si & Spiritus S. donum à Deo petat. Quid quod principiorum istorum ope etiam iu, qui S. Literas vel legere non potest, vel nunquam vidit, vel exstare nescit, modo ab alio aliquo summam Religionis Christianae audiat, tantum discere possit, quantum ei ad salutem sit necessarium. Hæc scriptor ille Anonymus. At prorsus omisso Spiritu sancto solius Rationis hoc in negotio meminit J. Slichtingius lib. de S. S. Trinitate adversus Balt. Meissnerum pag. 67. hunc in modum. Vel agitur de rebus clarissimis verbis in Scriptura consignatis & expressis, adeo ut de eorum sensu nemo sane mentis dubitare possit: vel agitur de rebus obscuris, de quibus mente dubitari queat, an in Scriptura significata vel non significata legantur. Si de illis agatur concedimus hanc assertionem, Scripturam S. esse normam fidei & morum perfectissimam; idque vel imprimis idcirco, quod

quod certissimum sit Scripturam nihil continere, quod inā-
miserata rationi repugnet, seu contradictionem veram in-
volvat. Si vero de rebus agatur obscuris, quivis videt
sine ratione rem non posse confici; que tamen non in
id adhibenda est, quasi Scripture aliquid affirmans vel
neganti aliquid opponi posset, sed tantum ad decla-
randum, an quidpiam Scriptura contineat: si conti-
nere constet, quicquid tandem ratio contradicit, falli
eam necesse est. Et paulo post, Neque enim nos
ad rationem recurrimus, quoties Scriptura contrarium
aperie testatur: sed quoties de Scriptura mente dubita-
tur. Ac deinde, Rationi non competit partes judi-
cariæ fidei, si de Scriptura mente jam constet. Sed
cum dubitatur, an rem eo pacto Scriptura definierit,
nec ne, rationem velle rejicere, quid aliud est, quam
in tenebris lucem extinguere, & oculos insuper fibi erue-
re? Argumenta Meisneri vera, quoties ratio Scriptu-
re, aut Spiritui S. in hominibus aut Scripturis loquenti
fesse opponit, illique contradicit, non vero cum nos in
pericienda Scriptura, aut Spiritus S. mente juvatis ac
dirigit. Idem eodem lib. pag. 79. Deinde nunquam
ad rationis judicium configimus, quoties de Scriptura
mente constat. Cur enim veritatem opponeremus veri-
tati? Sed solummodo cum vel de sensu Scriptura, vel
extra Scripturam de alicujus dogmatis dubitatur veri-
tate. Et pag. 84. Falsum est, rectam manifestamque
rationem esse principium peregrinum, & alienum in
rebus divinis, quod hic affirmat Meisnerius, præferim
sum queritur, an aliquid Scriptura dicat, aut non di-
cat, ut hic sit. Ex quibus omnibus breviter colli-
gimus hanc Socinianorum de Scripturæ intelli-
gentia, & interpretatione Sententiam, nempe,
Quæ ad salutem scitu necessaria sunt, tam clare esse
in

in S. Literis proposita, atque expressa, ut quilibet sanæ mentis, & à prejudiciis & affectibus liber, protinus ea intelligere possit ; obscuriora autem, non quidem omnibus esse necessaria, attamen eorum mentem & sensum erui ac dijudicari posse ratione, hoc est, tam ipsa animæ judicandi ac ratiocinandi facultatē, quam ejusdem facultatis dictatīs, placitis, atque inventis : & quidem expeditius, ac facilius, si gratia Spiritus S. superveniat, quamvis simplicitatē necessaria non sit.

2. Arminiani autem hac in re suam sententiam declarant in Confess. cap. i. & quidem de Intelligentia Sect. 14. De Interpretatione Sect. 16. De Intelligentia sic loquuntur. *Præterea corundem Librorum (Sacerorum scil.) licet alicubi (præsentim indoctis & minus exercitatis) satis obscuti sint ; tanta est claritas ac perspicuitas, in sensibus imprimis ad eternam salutem intellectu necessariis, ut omnes lectors, non docti tantum, sed & idiota (communi quidem sensu ac judicio prediti) quantum satis est, mentem eorum assequi possint : modò prejudicio, vanâ confidentiâ, aliisve pravis affectibus, se se occocari non sinant : sed Scripturam hanc pie ac sedulò scrutentur, &c.* Atque hæc etiam pro suorum sententia agnoscit, ac tuetur Episcopius in Defensione Catechism. Rémonstr. contra Heidan. pag. 32. ac insuper declarat in Disputat. 3. de Scripturæ perspicuitat. Thes. 3. *Ad hanc intelligentiam consequendam aliud necessarium non est, quam vis apprehendendi & p̄cipiendi sensum illorum verborum, qua clare & significanter proponuntur, qua vis naturalis est, & omnibus ratione preditis naturalis in omni statu. Unde nec quasita multo tempore eruditio, nec operosa & elaborata consequentia,*

nec aliud ullum supernaturale lumen potentie superinfusum , eamque elevans ad hanc intelligentiam eliciendam requiritur. Affectus enim intercurrentes , qui vim intelligendi obnubilare , & opprimere quandoque videntur , non ipsam intelligendi potentiam , sed voluntatem , vel intelligendi actum impedire dicendi sunt. De Interpretatione vero sic statuunt. Optima Scriptura Interpretatio est ea , qua sensum ejus nativum ac literalem , quam fidelissime exprimit , vel saltem quam proxime ad eum accedit : quippe qui solus verum & vivum Dei verbum est , ex quo veluti semine incorruptibili , ad spem vita eterna regignimur. Sensum autem nativum , ac literalem appellamus , non iam cum , quem verba propriè sumta præ se ferunt (ut quidem sapissime accidit) quam eum , qui licet verba rigide accepta eum non insinuent , tamen rectæ rationi , & ipsi menti , atque intentioni ejus , qui verba protulit , convenientissimus est : sive ille propriè , sive figuratè enunciatus sit. Id , quod ex scopo & occasione uniuscujusque loci , subjecta item materia , antecedentibus , & consequentibus , item ex collatione locorum similium , nec non ex absurditatibus palpabilibus , alioqui securius , aliisque id genus argumentis , aut rerum indiciis , dignosci potest , ac debet. Quid vero per rectam rationem intelligunt , explicatur in Apologia , eadem hac sectione , hunc in modum. Recta ratio hic non significat vim , qua homo ratiocinando ex se ipso excogitare , aut invenire potest id , quod rectum , & divina voluntati conventionis est ; sed tantum vim , qua sensum clare , & perspicue à Deo revelatum apprehendere , aut ex verborum circumstantiis , ex antecedentibus , & consequentibus , &c. recte , seu convenienter intentioni ejus , qui verba protulit , elicere potest.

Et

Et inferius, *Vibrationis recte, id est, convenientem & rectum verbis Iesu Christi sensum aptans.* Ac hujus generis plura videantur in Apologia dicto loc. Unde haec nobis viderur esse Remonstrantium sententia, nempe in Scripturis quædam esse clara & perspicua, quædam vero obscura; in illis, quæ ad æternam salutem necessaria sunt, contineri, & locum habere *Intelligentiam*, in his autem *Interpretationem*, ac utramque absolvit posse sine ulla interna Spiritus S. illuminatione, sola recta rationis vi atque facultate, dummodo, respectu prioris, præjudicio, vana confidentia, aliisque pravis affectibus non impediatur, sed Scripturam pie ac sedulo scrutetur; respectu vero posterioris, insuper scopum & occasionem loci, subjectam materiam, antecedentia, consequentia, &c. consideret, ac attente examinet.

3. Indagavimus hactenus Socinianorum Arminianorumque, circa Scripturæ interpretationem, sententias, videamus nunc in quibus tam illorum, quam horum, tum eum Reformatorum, tum cum nostra convenient, in quibus ab iisdem discrepant, quo illorum opiniones distinctius adhuc, atque clarius percipiantur ac teneantur. Animadvertisendum vero hic in antecessum, sermonem nobis non haberi de rerum, quæ in S. Literis tractantur, ac traduntur, intelligentia ac interpretatione, qua de illorum veritate aut falsitate, bonitate aut malitia judicamus, aut disceptamus; sed de illa duntaxat intelligentia ac interpretatione, qua sensum verborum, atque mentem dicecentis investigamus, eruimus, ac erutam nos habere, certo ostendimus ac demonstramus. In hac

autem quædam respiciunt eum, qui intelligit & explicat, hominem puta, seu Intellectum humanum; quædam id, quod intelligitur & explicatur, verbum semper Dei. In iis, quæ S. Scripturas concernunt, convenient tam Reformati, quam Sociniani ac Remonstrantes, nempe quædam loca esse clariora, quædam obscuriora, ac omnia quorum cognitio ad salutem æternam requiritur, in clarioribus contineri, obscuriorum vero intelligentiam non cullibet esse necessariam: quod nos inficias imus, ut ex iis, quæ capite undecimo diximus, patet. At in iis, quæ intellectum humanum respiciunt, maxima est diserepancia, tam quod ad ejus dispositionem, quæ, ut intelligat ac interpretetur, requiritur, quam normam, secundum quam interpretatio institui debet.

4. Quod dispositionem spectat statuunt Reformati, neminem, nisi internè à Spiritu S. illuminatum, verum S. Literarum sensum, tam in locis clarioribus, quam obscurioribus assequi posse. Patet hoc ex Censura in Confess. Remonstrant. cap. I. Sect. 14. & 16. Ubi inter alia sic loquuntur Professores Leidenses. *Si per rectam rationem Remonstrantes hic usum rationis humanae Spiritu Sancto nondam illuminatae intelligunt; non minus cum ratione, aut contra rationem insaniunt, quam Sociniani, &c. Sin autem de homine per Spiritum S. illuminato hic loquuntur, rectam quidem ejus rationem judicio de genuo S. Scriptura sensu capacem esse agnoscimus, sic tamen si in hac disquisitione non ratiocinationis sue naturalis, sed Spiritus S. dictamen aut ductum sequatur. Similiter Cl. & Reverendissimus Vir, & apud Leidenses tam Ecclesiastes vigilansissimus, atque eloquentissimus,*

tissimus, quam S. S. Theologiæ Professor profundi-
sissimus Abrah. Heidanus in præclaro suo opere
de causa Dei, contra Episcop. lib. i. cap. 6. Perspi-
cuit ac Scriptura est proprietas, qua in ipsa Scriptura est, &
quam semper reines sive homo illuminatus, sive non il-
luminatus sit; quamvis non illuminatus illam perspicua-
tem non percipiat, &c. Et post. Deus Scripturam ita
attemperavit, ut Christianus ex illius toto corpore, pro-
priam ipsius mentem, & certam voluntatem in omnibus
necessariis Fidei dogmati, accidente Spiritus illuminatio-
ne, optimè, perfectè, ac clare discere & capere possit.
Plura videsis apud eundem loc. cit. & alios pas-
sim. Confer etiam, quæ nos supra cap. 10. recen-
suimus. Hanc autem Reformatorum sententiam
negant tam Arminiani, quam Sociniani, quibus
& nos subscribimus. Arminianos negare liquet
ex eorum Apologia in Censuram Profess. Lei-
dens. cap. i. Sect. 14. Ubi inter alia hæc oc-
currunt. Si dicas lumen hoc Spiritus S. præquiri,
ut verus sensus intelligatur, auges absurditatem. Et
paulo post. Remonstrantes sensus Scriptura necessa-
rios cognitu, ab homine sine interna & speciali illu-
minatione Spiritus S. intelligi posse statuunt. Et Sect.
16. ubi, postquam verba, modo ex Censura al-
lata, retulerat Apologiæ Autor, rogat. Quid est
cum ratione insanire, si hoc non est? &c. Sic etiam
Episcopius in Defension. Catechism. Remonst.
contra Heidan. pag. 32. fatetur, Remonstrantes do-
cere, omnes & singulos, &c. sine interno Spiritus lu-
mine verum S. Scriptura sensum & mentem posse in-
telligere. Socinianos vero cum Arminianis hic
facere patet ex Brevi Disquisit. contra Valer.
Magnum de Acatholicorum credendi regula c. 4.

ubi hæc inveniuntur. Negandum est, nullum certo
assequi verum sensum S. Literarum, nisi interius illustratus
& doctus sit à Spiritu Sancto. Et paulo post. Quemad-
modum quisque etiam sacra oculis legere, auribusque au-
diere potest sine Spiritu S. interiore ope, aut peculiari ocu-
lorum auriumque illustratione; ita non minus intelligere
judicareque eadem sacra licet rationis sana beneficio,
etiam si nondum accesserit Spiritus Sancti illustratio. Idem
etiam palam sit ex allegatis Slinchtingii locis, ubi
contra Meissnerum de Scripturæ interpretatione
disputans, semper ad Rationem, nunquam ad
Spiritus S. illuminationem recurrit.

5. Contra Reformatos vero statuunt Remon-
strantes & Sociniani homini sanam mentem, &
Naturalis intellectus Lumen, dummodo à præju-
dicis sit liber, nec pravis affectibus obtutus, suf-
ficere, si diligentiam adhibeat, ad S. Literas in-
telligendas, in locis clarioribus; Ajunt enim in
Confess. cap. i. sect. 14. Remonstrantes. *Non*
doctos tantum, sed & idiotas, (communi quidem sensu,
ac judicio preditos) quantum satis est mentem eorum
(de clarioribus loquuntur) adsequi posse: modo præ-
judicio, vana confidentia, alijsve pravis affectibus sece-
occasari non sinant: sed Scripturam hanc pie, ac se-
dulo scruteniur; Et Sociniani in Cateches. Racov.
cap. 3. causam reddentes discrepantiarum super
intellectu S. Scripturæ, assignant hanc, quod
nempe homines S. Scripturam, vel negligenter legant,
vel non adferant cor sincerum, & ab omnibus impedimen-
tis, ac cupiditatibus solutum. Vide plura, quæ huc
faciunt, à nobis superius allegata. At insuper in
locis obscurioribus interpretandis verum sensum,
ex scopo & occasione uniuscujusque loci, subjecta item
matre-

*materia, antecedentibus & consequentibus, item ex col-
lacione locorum similium, nec non ex absurditatibus pal-
pabilibus alioqui secuturis, aliisque id genus argumentis,
aut rerum indicis, dignosci posse ac debere, alleverant
expressis verbis in sua Confess. & in Apolog. cap. I.*

Sect. 16. Remonstrantes. Sociniani vero in his
locis *Rationem* in subsidium advocant, ut patet ex
ipsorum supra allatis testimoniis, & quidem om-
nium apertissime ex Slichtingio, quando ait, *Si
de rebus agatur obscuris, quiris videt, sine ratione rem
non posse confici: & paulo post, neque enim nos ad ra-
tionem recurrimus, quoties Scriptura contrarium aperie-
testatur: Sed quoties de Scriptura mente dubitatur.* Plura
codem spectantia superius ex ipso attulimus, quæ
videri possunt. Quid vero his loco rationis
nomine veniat, ipsae ratiocinandi ac judicandi
facultas discursiva, an ejus dictata, ac inventa per
discursum & experientiam aut alio quoquam mo-
do detecta ac eruta, non diserte declarant ac pro-
nunciant ipsi; quamvis utrumque intelligere vi-
dentur, imo intelligunt, si Author Brevis Dis-
quisition. contra Valerian. Magn. de Acatholico-
rum credendi regula, Socinianus est, & Socinia-
norum sententiam proponit, quemadmodum vult
celeberrimus Theologus Johan. Hoornbeek, ut
supra diximus loc. citat.

6. Sic etiam non aperte explicant, An in Scri-
pturarum interpretationibus Ratione utantur
duntaxat tanquam medio seu instrumento, quo
S. Literarum sensus indagatur, atque eruitur, an
vero insuper tanquam norma, secundum quam
omnis interpretatio dirigenda, & dijudicanda
est; nisi idem ille Scriptor, qui posterius hoc

passim in libello suo asserere videtur, & præcipue [cap. 7. Ubi, veram de norma sententiam expositurus, sic habet; Itaque negandum est, non esse aliam rationem certè cognoscendi veritatem in materia fidei, quam præmissa oratione consulere Spiritum S. ex sacris literis. Statuendumque Sacras Literas omnino normam esse controversiam Fidei. Et hancenus quidem fortas, quatenus Traditiones non Scriptæ, quoconque tandem nomine veniant, penitus excluduntur. Ceterum ad S. Literarum autoritatem, & genuinam mentem dignoscendam, principia etiam illa, que Philosophica appellantur, advocanda esse. Ac postquam Metaphysicam, Logicam, Mathematicam, Ethicam, Historicam ad intellectum S. Scripturæ convocasset, sic concludit. *Hec & similia, quæ nemini sano ignota sunt statuendum est, esse fundamenta cognitionis nostra, quod ad autoritatem sacrarum Literarum, & quod verum earum sensum.* Quare qui istis, sive naturali ingenii bonitate sive experientia vel mediocriter instructus est; si & ipsæ Scripturæ, ex ipsis principiis sacras esse cognoscit, & qua ad salutem sunt necessaria ex Scripturis nullo negotio adjudicabit.

7. Reformati vero (ut ad illos redeam) non dissentent quidem ad clariorum S. Scripturæ locorum intelligentiam requiri sanam mentem, & prejudiciis liberatam, pravis affectibus non occataam, diligenter Dei verbum scrutantem; sed sufficere negant, nisi insuper, ut modo diximus, illuminatio Spiritus S. accedat. Sic etiam præter illam concedunt quidem, in obscuriorum locorum interpretatione, locum habere considerationem scopi, & occasionis uniuscujusque loci, subjecta item materia, antecedentium, & consequentium;

pius; nec non collationem locorum similium; ac de-
nique observationem absurdarum palpabilium alio-
qui securarum; aliorumque id genus argumentorum
ac rerum indiciorum, ex quibus loci sensus digno-
scitur: præterea etiam, adhibendam esse Ratio-
nes, tam si per eam facultas ipsa, quam illius
dictamina atque reperta denorentur. At facul-
tatem tantum admittunt tanquam subjectum,
aut instrumentum; quod S. Literas percipiāt in-
telligatque: reliqua omnia tanquam medium
seu instrumentum, quo sensus S. Scripturarum
indagetur, ac eruatur: neutquam vero hæc aut
illam tanquam argumentum, canonem, sive
normam, secundum quam interpretatio insti-
tuenda sit, aut ad quam exploranda veniat:
Sed officium ac manus hoc soli tribuunt S. Scri-
pturæ, ut ipsa sui sit interpres, ac interpre-
tandi norma, (sicuti cap. 10. & 11. fuse expli-
cuimus) omnibus viribus ostendere contenden-
tes, Socinianos ac Remonstrantes id rationi af-
signare, ut liquet ex Censur. in Confessionem
Remonst. cap. 1. Sect. 14. & 16. & Hoornbeek
Socinianism. confutat. Tom. I. lib. I. cap. 6. Quod
tamen ego non expresse in illorum Scriptis re-
peri, neq; ex illis colligere potui, ne ex ipso
quidem ex Brevi disquisitione contra Valer. Magn.
jamjam allegato loco. Ipse enim Amandus Pola-
nus non insimæ notæ inter Reformatos Scriptor, in
suo Theologizæ Syntagma, lib. I. cap. 45. quæst. 6.
agens de Mediis inveniendi verum Scripturæ sa-
cræ sensum & usum, inter ea, quæ in ipsa Scripturæ
meditatione adhibenda sunt, recenset quinto
loco, Ordinem & methodum in sensu & usu investi-

gando. Cujus prima consideratio est propositi; secunda Thematis, de quo agitur; tertia argumentorum, quibus Thema explicatur, aut confirmatur, simul circumstantiarum, nempe personarum, occasionis, loci, temporis, antecedentium & consequentium, &c. Et septimo, Comparationem unius loci cum aliis parallelis & similibus, obscurioris cum clari & aperte de eodem regentiibus. Et octavo, Collationem loci explicandi cum aliis dissimilibus, quin etiam in speciem pugnantibus, sorumque conciliationem. Ac denique duodecimo, Arium & disciplinaram, & imprimis Grammatica, Rhetorica, & Dialectica, Physicaque cognitionem. Et similia passim apud alios etiam occurunt. Quia omnia si apud Reformatos Mediorum veniunt nomine, quidni & eodem apud Remonstrantes & Socinianos venire possunt? quin etiam venire videntur & quidem simili, quo apud Reformatos, modo, ut patet ex Smalcio contra Frantsum in praefatione, quando ait, *ubi interpretatione opus est, ibi nos non rationem principaliter sequendam dicimus, sed ex ipsis s. Literis exundem interpretationem petendam esse docemus, adeoque ex ore Magistri Spiritus sancti toti pendemus.* Adeo ut haec nullum firmum fundamentum Reformatis præbeant colligendi, illos Rationem interpretationis normam statuere, quod tamen tanto studio atque molitione probatum dare abnituntur. Quicquid sit de Arminianorum Socinianorumque Sententia, perinde nobis est, quibus non quid hi aut illi sentiant, sed quis veritas dicit et indagare animus est.

8. Propriam igitur, & quam veram judicamus de interpretationis norma sententiam, ut denique

nique exponamus & cum præcedentibus conser-
mus, dicimus, neminem, se verum & genuinum
sensum, tam loci Scripturæ clarioris intelligere,
quam obscurioris eruisse, atque explicuisse, nisi
cum per aut ad veram Philosophiam, tanquam
normam infallibilem, investigaverit aut explora-
verit, certum esse; nec eundem talem esse nisi per
eandem normam, aliis certo demonstrare possè:
adeo ut veram Philosophiam statuamus tanquam
Lydium lapidem, ad quam infallibiliter exami-
netur, & per quam certissime demonstretur, num
aliquis sensus Scripturæ sacræ tam nullo negotio
intellectus, quam multo labore erutus, inten-
tioni scribentis conveniat, an vero ab eadē
discrepet. Unde palam est nostrām hanc senten-
tiā à Socinianorū ac Arminianorum differre,
primo quod ad certitudinem & infallibilitatem
tam intellectiōnis, quam interpretationis, de qui-
bus illi ne verbum quidem, nos expresse; Dein-
de, quod ad perspicuitatē Scripturæ in rebus
ad salutem necessariis, & per se claris, quām illi
agnoscent, nos negamus; Denique quod ad ob-
scuriōrum locorum interpretationēm, cujus illi
Rationem, considerationēm circumstantiarum,
antecedentium, & consequentium, collationēm
aliorum locorum similiūtī aut dissimilium, &c.
tanquam media adhiberi velle videntur, nos vero
Philosophiam normam facimus atque audacter
pronunciamus. Atque in hoc ultimo etiam dis-
sentimus à Reformati, qui Scripturam seipsum
interpretandi normam statuunt; ut & in secun-
do, cum in Scripturæ claritate & perspicuitate
à Socinianis & Remonstrantibus seorsim non
sen-

sentiant; quod utrumque supra cap. i. prolixè refutavimus. Denique quod Spiritus S. illuminationem attinet, eam ad Dei verbum intelligendum simpliciter non esse necessariam cum Socinianis & Remonstrantibus contra Reformatos jam ante asseruimus, & cap. 6. & 14. probavimus. Adeo ut nihil amplius, quod Socinianorum Arminianorumque sententias, earumque cum Reformatorum & nostra consensum aut dissensum concernat, dicendum superesse, ac quod initio hujus capitìs nobis exutiendum proposueramus, prorsus absolvisse arbitremur.

9. At verò, antequam manum de tabula tollamus, finemque Exercitationi nostræ imponamus, dissolvendum hic videtur absurdum, quod doctissimus Hoornbeek Socinianism. confutat. Tom. i. lib. i. cap. 6. sect. 2. arg. 4. in scenam producit adversus Socinianos, & contra nostram sententiam quoque adaptari posset, nempe, *Si Philosophia, aut ratio est infallibilis S. Literas interpretandi Norma, tum Scripturam ejusque interpretationem rationi (aut Philosophiae) subjacere, quod est contra dignitatem Scripture, & veritatem; atque merito quis borreat suo judicio tale quid arrogare.* Hinc Spiritus S. judicium, & testimonium *Scriptura Sacra, atque hominum, tam diligenter alibi distingue, idem* opponit Ioan. Epist. 1. cap. 5. vers. 9. *Si testimonium hominum accipimus testimonium Dei majus est, & idem Euang. cap. 5. vers. 34. Egovero testimonium ab homine non accipio.* Atque huic non absinde est quod habet idem eodem cap. sect. i. pag. 91. *Rationem (aut Philosophiam) in hujusmodi dubiis afferre, & audire, ut argumentum, vel normam, secundum quam decisio*

decisio fuit de mente S. Scripturā huc est prodigiosissima
 pars pars illa dīas yīcō, atque tam indignum Scriptura,
 quam in se improbum, quod ratio sibi ausit istud arrogare.
 Ut autem hæc difficultas diluatur, in memoriam
 duntaxat revocanda est distinctio vocis Scripturæ,
 supra, cap. 13. Argum. 1. allata, nempe quod
 Scriptura vel materialiter sumatur, & denotet lite-
 ras, syllabas, voces, & ex his conflatas orationes;
 vel formaliter & significet sensus, & res istis voci-
 bus, & orationibus expressas, & designatas. Jam
 vero literas, syllabas, voces, & orationes, qua
 Scripturæ nomine, quando de ejus interpreta-
 tione fermo est, venire debent, Rationi sanæ,
 seu philosophiæ subjacere, ipfis nequaquam indi-
 gnūm esse putamus: sunt enim & Ratio recta, &
 vera Philosophia, ut supra ostendimus, & nullus
 sanæ mentis hominum inficias ibit, excellentia &
 singularia Dona, à Deo humano generi concessa;
 literæ vero, syllabæ, voces, & orationes, nil aliud
 nisi loquaces soni, aut horum mutæ notæ, quæ ex
 hominum instituto atque arbitratu conceptus
 aut res significant, adeoque ne cum istis qui-
 dem eximiis Dei munerib[us] ullo dignitatis
 gradu comparandæ. Quocirca quoque nec ~~im-~~
 probum est, nec merito ullus horreat, Scriptura
 verborum interpretationem sane suo judicio, aut recta
 rationi, aut vera Philosophie arrogare. Impro-
 bum sane esset, & merito quis horret, si
 istis ipsa divina eloquia, atque oracula, ver-
 bis illis prolatæ, subjiceret, propriæ quippe
 menti vini inferret, cum veritas veritati nequa-
 quam subjacere, multo minus opponi possit,
 siue eam natura dictaverit siue Scriptura
 reyela-

revelaverit, cum ipsum Deum semper autorem habeat, quemadmodum docuitur cap. 5. & 8. Unde etiam consequitur, omnem Scripturæ interpretationem rectæ Rationis, aut veræ Philosophiæ operæ adornatam, non nisi Testimonio humano sed Divino: adeoque allata ex Johanne loca nostræ sententiaz nequaquam officere. Quod adhuc multo minus fit; altero illo, quod adfertur, nempe, esse ~~paradiso~~ ~~opus~~ ~~opus~~; jam enim antea contra Baltas. Meissnerum lib. de S. S. Trinitate, &c. pag. 84. negavit Slichtingius, rectam manifestamque rationem esse principium peregrinum, & alienum in rebus divinis; præterim cum queritur, an aliquid Scriptura dicat, aut non dicat, ut hic sit. Nec etiam videmus, cum Ratio, tanquam subjectum & instrumentum, ut multis in locis cap. cit. admittit Hoornbeek, & disciplinæ Philosophiæ, tanquam medium, ut modo Polanum statuere retulimus, Scripturæ interpretandæ adhiberi possint sine ~~paradiso~~ ~~opus~~ ~~opus~~, cur tam illi, quam his, tanquam normæ, istud munus assignare non liceat, quin desiliatur de genere in genus alterum. Idque magis, si verum sit, quod habet Hoornbeek cap. cit. sect. 1. distinct. 21. nempe quod, Axiomata universalia & perpetuae veritatis, qualia sunt, idem non posse esse finalia, & non esse, &c. non assumit Theologia ex natura vel ratione, ut ex principio priori; sed ita sunt communis veritatis, & radicata in divina veritate, ut in hisce nec ratio Scripturarum, nec Scriptura rationem arguat; sed utробique ex eadem fonte fluunt, & locum ubivis habent universaliter. His omnibus adde non magni facienda esse iustius farinæ effata, quorum ingentem farraginem produxit Peripatetica Philosophia; cum in Veritatis inda-

indagine non tam adminicula, quo nomine juveni-
tuti obtruduntur, quam remoræ sint, quibus in
eius profectu interrumpuntur. Quænam enim
obstat ratio, quo minus Argumento ex Mathe-
si petito uti liceat dissolvendæ quæstioni Physicæ,
aut Conclusione Physica astruendæ Thesi Medicæ?
Ego sane nullam video, qui anxiam istam Disci-
plinarum Liberalium à Peripateticis excogitatum,
& tanto studio observari solitam distinctionem,
qua illa ~~separari~~ ~~in se~~ ~~non~~ videtur, non
tanti ponderis existimo, ut ob istam ea, quæ in
rerum natura inter se connexa sunt, & quorum
adeo etiam unum ex alio cognosci potest, à se invi-
cem segreganda sint, & eorum unum ex alio pro-
bari non debeat.

Sed jam curriculi nostri metam contigimus:
Consideravimus namque confutavimusque cum
Arminianorum & Socinianorum, tum Reforma-
torum atque Pontificiorum dissentientes à nostra
sententia opiniones; eamque insuper ab adversa-
riorum accusationibus, & quibus impeti posset
criminibus farraginosa tectam conservavimus: nec non
post præmissam satis fusam prolixamque ejus ex-
plicationem, veram esse atque indubitatem proba-
vimus. Sit itaque ac perpetuo maneat Philosophia
S. Literas interpretandi norma infallibilis, cum &
ratio & suadeat ac dictet, & omnis ævi Theolo-
gorum confirmet praxis, ac quæcumque adversus
eam moveantur difficultates, facili negotio dilui
possint: rejectisque omnibus aliis, quas expendi-
mus atque refellimus, interpretandi normis,
vivat in posterum atque vigeat in Christi Eccle-
sia, ut ejus ope orta inter Christianos dissidia
compo-

cōponantur, incorrupta cælestis veritatis doctrina magis magisque stabiliatur, atque propagetur, ac animæ nostræ tandem æterna salute frui, perennisque beatitudinis compotes fieri queant.



E P I

E P I L O G U S.

DIU multumque deliberavi, mi Lector,
fœtumne hunc meum, jam maturum,
Theologorum tamen plurimis intem-
pestivum monstrosumque appariturum,
prælo subjicerem, atque in lucem protruderem;
an vero apud me premerem, & in æternum
tenebris damnatam. Ansam huic meæ delibera-
tioni præbuete, animumque, quo se verteret ne-
scium, suspensum tenuere commoda atque in-
commoda, quæ ex ejus divulgatione exoritura
mihi videbantur, quæ, qualia quantaque sint,
cognoscere cum è re tua fore putem, ea brevibus
hic ob oculos ponere, non alienum ab instituto
nostro judicavi.

Incommoda igitur, ut de istis primo dicam,
duo fuere, & quidem satis gravia, quorum alterum
me, alterum Christianas concernit Eccle-
sias. In iis enim turbas hoc tractatu creatum
iri, metuebam, cùm non tantum ferè omnia
nova eas soleant excitare; Sed, quod præcipuum
est, non aliquod hic dognia leviusculum, exi-
guique in Religione ponderis ventiletur atque
excutiatur, sed tanti, quod post S. Literarum au-
toritatem in Christiana prima's procul dubio re-
stet, adeoque fundamentum est ac basis, cui re-
liqui omnes tam fidei, quam morum articuli
innituntur, & unde tanquam è fonte, pro-
fluunt ac derivantur. In quo, cum omnes, quæ
Christo nomen dedere, atque ad nostram per-
venire notitiam, Ecclesias hallucinari, atque à
veritate esse remotas, ostenderimus, fieri vix

Q

posse

E P I L O G U S.

posse videtur, quin in iis quidam suum errorem agnoscentes & deponentes, demonstratamque à nobis veritatem amplectentes, sententiam emunt; Alii vero, qui acceptis suis opinionibus luxuriae vel honoris causa & spe, aut exco impetu, aut obstinato animo mordicus adhaerescunt, ægerimenterant. Inter quos idcirco, illis nostram, cui recens accessere, sententiam propugnantibus, his contra, inveteratam defendendo, oppugnantibus, dissensionis contentionisque funis duceretur, & quemadmodum in Religionis negotijs fieri assolet, acerrime, tanquam pro aris & focis, & summa vi atque impetu dimicaretur, non sine maximo Christiani nominis damno atque decore.

Mihi vero, quod imminet, incommodum est Theologorum, meam sententiam improbantium ac rejicientium, odium, quod acerbissimum, cujuscemodi flagrare iis in mors positum est, procul dubio in me concitabo. Cum enim ita fere cum hisce hominibus comparatum sit, ut supra omnes doctos se se efferant, utpote qui sibi solis eloquia Dei esse concedira, atque interpretanda, divinumque commissum cultum firmissime persuasum habent, illico exardescunt atque stomachantur, si quis aliis falcam suam in illorum messem mittere audeat: &c, cum nihil non veritati examissim consonum, &c ab omni erroris confortio longissime divisum quilibet illorum (quamvis inter se in quam plurimis adversis pugnant frontibus) se docere confirmato credat animo; Divisæ majestati atque gloriæ aliquid detractum esse existimant, si quodam

E P I L O G U S.

dam ab ipsis jam statuminatum dogma convellatur, ac aliud in ejus locum substitui debet contendatur. Unde etiam sui officii suique zeli esse putat unusquisque obstatre impedireque, nequid sua inde religio decrementi aut detrimenti capiat; adeoque post iram odium concipiunt, eoque prosequuntur, quicunque ipsorum opinionibus non subscribit, & aliquid, quod vel tantillum ipsorum refragatur placitis, Theologico examinandum orbi proponere non veretur. Atque hujus suæ iræ suique odii virus ut evomant, illum vulgo, apud quem plurimum valet eorum auctoritas, invisum reddunt, nomenque ejus indignis modis traducendo, ac calumniis convitiisque onerando, tanquam hæreticorum pessimum, & abominabiles perniciofissimisque foventem opiniones, cane pejus & angue fugiendum monent atque jubent; Quod si consequantur, consequitur etiam ut ille, veluti atro carbone notatus, ab omnibus vitetur, deferatur, & male habeatur, ac sic paulatim sua negotiatione, si mercaturam, aut quæstu, si opificium exerceat, privetur, atque tandem re familiari comodisque, quibus vitam sustentat suam, exuatur, adeo ut ad summam pauperiem infelicitatemque redactus, miserrime reliquam ætatem transigere cogatur. Utque nihil illius infortunio defit, omnisque commiseratio intercludatur, hæc ab ipsis illi procurata mala postmodum pœnam esse justissimam clamitant, quam Altissimo suæ impietatis execrabilisque opinionis luit, ac clara indicia, quæ ipsum hæresios liquido convincunt atque damnant. Simili autem tempestate & nostra posset

E P I L O G U S.

abripi navicula , similibusque, cum inter homines degamus , eorumque ope atque opera saepissime indigeamus, illis a scopulis, fluctibus obrui, ac in profundo mergi , si illam tam impetuoso mari , tantisque procellis obnoxio , ac naufragium certissimum minitanti , committeremus.

Atque haec duo incommoda tanti mihi visa fuere ponderis, ut jam aliquot ab annis hujus tractatus distulerim impressionem , & saepius apud animum meum constituerim , nunquam illum typis describi permissurum, aut in publicum emissurum: praesertim cum præter haec , experientia doctus etiam animadverterem , ac pro comperto haberem , omnium in Christiana religione Sectarum tam Antistites atque Clericos , quam ipsam plebem ac Laicos adeo esse suarum , tum ab infantia , tum disciplina imbibitarum opinionum tenaces, ut ferre citius manu cælum tetigeris, quam illarum vel unam , quamvis nunquam serio examinatam, multo minus intellectam , ex ipsorum animis evellas; atque adeo me non tantum oleum atque operam in hoc opusculo conscribendo perdidisse , sed etiam in edendo perditurum esse.

Attamen his omnibus tandem prævaluerunt, mentemque meam de sententia dimoverunt comoda, fructusque, quos hinc Christianam Religionem satis uberes percepturam esse, non tenuis affulget spes. Quibus accessit, quod istorum recentiorum incommodorum primum gravius, gravioraque Ecclesiæ allaturum mala mihi depinxeram, quam revera similem meæ , si non maiorem ob causam allata fuisse postmodum compererim.

Dum

E P I L O G U S.

Dum enim hoc apud me premo scriptum, alia prodiere, quibus multo majoris momenti dogma-
ta, imo ipsum totius Ecclesiae fundamentum non tantum labefactatum, sed convulsum atque ever-
sumiri videtur, idque sine ulla, nisi inter doctio-
res aliquos tantum, contentionē: Alterum vero
declinare, & nominis suppressione subterfugere
possim, quæ quamvis nonnihil huic meo Tracta-
tui, meoque sententiæ damno atque dispicatu*f*
futura sit apud illos, quibus ex Scriptoris nomine
Scriptis premium statuere, aut siquid Authoris no-
mine non insignitum in lucem exeat, tanquam
nugas, & scripta dentata, lectu indigna, da-
mnare in more possum est: Non tamen id tan-
tantum faciendum duxi, ut aut memorati in-
commodi periculum subire, aut, istius farinæ
censores librorum susque deque habens, æquio-
rum lectorum studiis atque utilitati deesse, & com-
moda hinc in ipsos Redundatura denegare volue-
rim.

Istorum autem commodorum primum & ma-
ximum est, quod, cum abhinc aliquot seculis S. Li-
terarum interpretatione in dubio posita fuerit, nec
veros earum sensus interpretes & infallibiliter
eruere, & se eruisse demonstrare potuerint; unde
tot tantæque inter Christianos pullularunt, ac
etiamnum vigent, indiesque novæ pullulant dis-
sensiones contentionesque: nostra hoc in libello
stabilita Methodo, atque norma non amplius
in incerto vagari; sed firmo minimique vacil-
lanti pede inniti ac progredi cuilibet Divinorum
eloquiorum interpreti liceat, adeoque disputatio-
num disceptationumque ferra, quæ tam animose

E P I L O G U S.

atque acriter ducitur , auferri , & universo Christianorum orbi tranquillitas atque pax concilia- ri , & in eternum stabiliri possit.

Alterum est , quod ex hac nostra sententia non tantis , quantis antea , laborabit difficultibus interpretis munus ; cum enim ostenderimus , omnes Scripturarum veritates esse etiam veros sensus , pluresque cuilibet orationi inesse possint , erunt ex iis pluribus aliqui investigatu inventuque faciliores , & magis obvii , quam si unus duntaxat erundus inesset : minoris enim est negotii ad quendam pervenire , ubi multa sunt , quam ubi unum solummodo existit , id ipsum excogitare. Atque hanc ex nostra sententia S. Literarum interpretationi accedere facilitatem agnoscit ipse Chamier. Panstrat. Cathol. Tom. I. lib. 15. cap. 15. §. 31. his verbis. Si essent (plures sensus literales) hoc videntur facilius fore Scriptura. Nam difficultas Scriptura , figura est , consistit in vero sensu inveniendo. Solent autem , que multa sunt , facilius inveniri , quam qua unica : ut experientia docet in singulis rerum generibus,

Tertium , quod haec nostra Methodus compendium interpretationi sufficiat in eo , quod non necesse fuerit super alicujus loci sensu omnium seculorum locorumque , aut omnium sectarum Theologos & Divini Verbi interpretes ac commentatores consulere , illorumque sententias expendere : Sed hac a nobis assignata norma instrutus quilibet proprio marte & Dei mentem vestigare , eruereque , & ab aliis investigatam , eratque explorare , & num genuina sit indubie dignoscere poterit. Quo quantum temporis lucratum ,

E P I L O G U S.

cratum, quantum laboris ac molestiarum declinatum eatur, neminem fugiet, qui quam multa, & quam magna, in S. Codices elucubrata volumina, Christianorum manibus teruntur, considerare voluerit.

Et haec quidem tria commoda ipsam respiciunt Interpretationem: nempe ut tutius, ut facilis, ut compendiosius expediatur: Sequentia autem, quæ etiam tria sunt, alia concernunt, S. Literarum depravationem scilicet, varias Lectiones, ac denique Translationem seu versionem. Sed singula perlustremus.

Quartum igitur est, quod nostra hæc interpretandi Methodus, etiam inservire possit deprehendendis Codicum tam Hebraeorum, quam Græcorum mutilationibus ac depravationibus, quorum fere nulli, si Viro Clarissimo, istarumque rerum petitissimo creditus, ista contigit felicitas, ut non sinistras malevolorum manus passus fuerit, mendisque quam plutimis contaminatus atque tonsuratus.

Quintum, quod faciat ad variantes S. Scripturaræ lectiones explorandas, & quænam spuriæ, quænam genuinæ sint dignoscendas, quarum uberrima est in utriusque Fœderis libris seges, adeo ut in Veteri tantam esse earum copiam & confusione, ut difficile sit veras à falsis dignoscere, ipsos Rabbinos fateri; & si quis omnes inter se committeret, & excuteret scriptos N. Testamenti codices, quot verba totidem penè esse inventurum discrepancies, apertis verbis dicere non vereatur idem ille Vir in omni istius Doctrinæ & literarum genere longe versatissimus.

E P I L O G U S.

Sextum denique atque ultimum est, quod non nihil momenti habeat ad falsas S. Librorum, aut ex yitiatis textibns, aut spuriis lectionibus ador- natas translationes depræhendendas iis, qui Lin- guarum Originalium sunt ignari, easque addiscen- di occasione carent. Hujusmodi autem esse posse, imo vero esse versiones, hinc inde in plurimis ob- servati comprobant lapsus.

Atque hæc tria commoda eodem nituntur fun- damento, eodemque modo ex nostra interpretan- di profluunt norma. Cum enim nihil non veritati consonum in Scripturis contineatur, nostraque Methodo illa indubie erui, erutamque esse de- monstrari queat, eadem quoque omnis corruptus textus, spuria lectio, aut mala tralatio, quæ falsum docuerit detegetur, ac istius notæ esse deprehen- detur atque arguetur: adeoque omne, quod hinc portenditur, in falsitatem incidendi, eamque pro veritate arripiendi aut accipiendi amovebitur pe- riculum: quod omnibus aliis interpretibus impen- det, & subterfugere deest facultas, quamdiu Ly- dio lapide destituuntur, quo quæ loca sincera, quæ depravata sint, certo explorare; quæ germanæ, quæ spuriæ sint Lectiones, indubie distinguere; & quæ translationes rectæ, quænam perversæ sint, ac malæ infallibiliter dignoscere queant, quem undenam sibi comparabunt, nos cogitatione assequi non posse fatemur.

Hæc vero sunt, quæ animum meum ab hujus Scripti suppressione ad impressionem, editionemque flexerunt, ac, quando simul cum duobus recensitis incommodis justæ mei judicij stateræ appenderentur, attentoque examine expen- deren-

E P I L O G U S.

derentur, longe præponderarunt. Vnde, quam primum sese idonea obtulit occasio, me operi accinxi, eique quemadmodum nunc orbi literario exponitur, extremam adhibui matum. Et quamvis, præter bina illa memorata incommoda, aliud, non exiguae forsitan molis, minime me præterierit, nempe perplutimos, & quidem præcipue Theologos adversus me, meamque sententiam atque exercitationem insurrecturos, stylumque stricturos, quibuscum, nisi cause meæ deesse velim, mihi congreдиendum & disputationis serra reciprocanda erit? Nunquam tamen id tantum in me potuit, ut vel unquam de non edendo hoc scripto in cogitationem inciderim, multo minus apud me consilium iniicerim.

Si enim quispiam nostro huic tractatulo evolvendo aliquas horas impendere, & quæ in eo prescripta reperiet, iudicii sui trutina examinare dignatus fuerit, ac nostre sententiae demonstrationem falso superstructam esse fundamento, aut ex veris principiis perperam ac male esse deductam; vel ab insultibus criminibusque, quibus impeti ab aliis posset, non ut oportet, defendi, ac teatum teneri; vel dissentientium sententias uspiam non bene oppugnari ac refutari, eorumque argumenta non recte dilui ac solvi, certo deprehenderit, ac publico scripto, solide ostenderit; huic & nos publico etiam scripto, post ingenuam nostri lapsus confessionem, singulares agemus gratias, quod & nobis nostra errata detegere, & ne iisdem implicarentur seducerenturque, alios impedire operæ pretium duxerit, nihil carius, nihil antiquius habentes impensisque exoptantes, quam veritatem

E P I L O G U S.

doceri, & in rectam viam, si ab ea deflexerimus, reduci.

Quod si vero quis alius, nostram mentem nondum recte asscutus, talia in medium produxerit, talesque moverit difficultates, quæ & ipsum morari, & aliis obicem ponere possent, quo minus omni ex parte nostræ Demonstrationis vñ atque evidētia intelligefetur, aut sententiae nostræ à concordis in eam objectionum telis plena vindicatio perspiceretur, aut aliarum à nostra dissidentium opinionum adornata refutatio perciperetur, ac sic in eam manibus pedibusque iretur: omnes illico istos illis scrupulos eximere, istasque almae Veritatis luci officientes nebulas discutere pro virili parte conabimur, tempus nostrum & quicquid nostri est, optimè collocatum reputantes, si proxime in veritate, & quidem tanti momenti, assequenda, facem aliquo modo præludierimus, atque opem aliquam attrulerimus.

At si quis denique, suæ à puerò vel magistris instillatæ, aut cæco impetu devoratae opinioni, tamquam stipiti, affixus, ac idcirco, quicquid ab ea discrepat illico falsum suoque odio ac repudio dignum, antequam insperterit, existimans, in nos irruat, nostramque sententiam atque exercitacionem, quam solidis argumentis ac rationibus infirmare nequit, stolidis commentis, & cavillationibus arrodat, & in Authorum convitiiis calamitatisque debacchetur: Vel multa S. Scripturæ loca congerat, atque accumulet, ex iisque, sine veri sensus eductione ac demonstratione, copiam instruxerit aciem, & nostræ sententiaz, sine invasione atque oppugnatione, opponat, quenam admo-

E P I L O G U S.

admodum id quibusdam Theologis solenne est: Huic & similibus aliquid reponere non dignabimur; neque enim mihi, unice hoc scripto Veritati eruendæ studenti, cum convitiatore convivitiis certare, ac digladiari, eique resorberam calumniam (aliam enim non meretur responsionem) regerere non libet, utpote cuius animus semper alienissimus fuit ab intemperie illa triviali & scoptica, qua, tanquam effrænata rabie correpti, multi scriptores verbis asperrimis atque acerbissimis, tanquam verberibus & morsibus, se invicem excipiunt atque dilacerant, & calamos suos, quæ (ut ait egregius hujus seculi Philosophus) humanitatis instrumenta esse debebant, velut incuspides gladiorum acuunt, quibus alter in alterius famam petulantissime insultet ac grassetur. Præterea nec mihi tantum suppetit otii, ut illud, quod totum studiis & veritati indagandæ consecravi, vel cavillatori, vel nugacissimo Scripture locorum accumulatori respondendo impendere, ac sic turpiter prodigere velim; cum hac in controversia decideda nihil lucis atque opis talia subministrate queant loca, utpote in qua de horum sensus investigandi atque inveniendi norma disceptatur, atque disputatur. Quare in antecessum sciat unusquisque, in cuius manus hæc nostra pervenerit exercitatio, si adversus illam in lucem prodeant scripta quedam (qualia non pauca forsitan sunt proditura) quibus nihil videat reponi responsi, me omnia ista instar farinæ, aut potius furfuris existimare.

Atque adeo etiam præmonitum, rogatumque volo quemlibet, qui adversus me scribere, meaque sententiam exercitationemque impugnare sataget, ut rem

E P I L O G U S.

rem ipsam aggrediatur, & ab omni cavillatione atque calunnia abstineat ac sibi temperet, si aliquid à me suo scripto cupiat rescriptum iri; Ac præterea, quo distinctius omnia expediantur, ne hanc nostram de Norma S. Literas interpretandi Quæstionem cum illa de Judice controversiarum Theologicarum, aut alia, si qua forsan huic affinis occurrat, confundat neque commisceat, ut apud Theologos fieri consuevit; sed accurate separat atque discriminet, & primam tantum, reliquas omnes missas faciendo, sibi ventilandam atque executiendam in manus sumat. Quæ si præstiterit fidem meam vivissim obstringo, me ipsum similem in modum humaniter ac benigne excepturum, & moris ab ipso dubiis difficultatibusque, quoad vires sufficient meæ, satisfacturum, sperans atque confidens, imo nullus dubitans, quin tandem mecum veritatem sit consecutus, illique manus dans arenâ cessurus.

Hoc vero ut facilius feliciusque succedat, nec non quicquid scrupuli, quod ad contradicendum viam aperire posset, quantum quidem in nobis positum est, præveniatur; unum, & quidem, nostro iudicio, satis magnæ molis amovere studebitus, firmiter persuasi, eo sublato, reliqua omnia fore plana atque expedita. Est autem ille, quod, si eo, quo statuimus, modo Philosophia sit S. Literas interpretandi norma, ipsæ S. Literæ inutiles, & frustra exaratæ atque ad nos transmissæ videantur. Cum enim omnium Scripturæ sensuum, qui ope Philosophiæ eruendi atque explorandi sunt, veritates ante, quam eruantur atque explorentur, perspectæ esse debeant; quid opus erit, Scripturam

E P I L O G U S.

ram adire, eamque consulere, ut illæ ex ea hau-
riantur atque perdiscantur, aut eam illis explicare
atque exponere, cum istis explicationibus illæ,
jam cognitæ, non magis cognoscantur, nec etiam
confirmentur? Quandoquidem igitur hoc modo
nec veritati docendæ, nec firmandæ inserviat
Scriptura, nullius etiam usus esse videtur, quod
tamen unanimi Christianatum omnium locorum
arque seculorum Ecclesiarum refragatur con-
sensui, quæ uno ore omnes, summam ejus esse at-
que maximam utilitatem, continuo prædicarunt,
atque pronunciarunt.

Nodus autem hic ut commode solvatur, atque
dilucide explicetur, altius repetendum totum hoc
negotium putamus. Omnia vocabula dupliciter
considerari queunt, vel absolute vel respective.
Absolute cum considerantur iterum duplia sunt,
vel quatenus voce efferuntur, vel quatenus manu
scribuntur. Quatenus efferuntur, sunt soni vo-
cesque ore prolatæ; & in aere productæ: quate-
nus vero scribuntur, characteres & notæ in char-
ta aliaye materia exaratæ atque depictæ: utroque
modo entia realia dici possunt. Respective vero
spectantur, quando non tam hæc eorum natura,
quam respectus & relatio attenditur, quæ in eo po-
sita est, quod aliarum rerum sint signa, & quidem
non naturalia, ut vocant, quæ aliquem cum signa-
to in ipsa natura habent connexum: Sed arbitraria,
quæ ex hominum instituto & beneplacito signifi-
cant, ut supra cap.2. diximus. Cumque tota signi
essentia non à natura; sed ratione depen-
deat, erunt eatenus quoque tantum entia ra-
tionis; atque adeo cognosci quidem possunt
per

E P I L O G U S.

per se sola, quatenus absolute spectantur; at non nisi mediantibus aliis, nempe significatis, quatenus respective, & tanquam signa accipiuntur: cum Relatorum proprietas sit, esse final cognitione. Sic ex. grat. vocabula *homo* & *arbor*, quando tanquam soni ore producti, aut picturæ literis adornatae considerantur, per se intelligi possunt; sed quando tanquam signa conceptuum aut rerum, quæ ipsis nominibus denotantur, spectantur, sine ipsis sciri nequeunt. Cumque cognitio absoluti prior sit, quam respectivi, conceptus aut res, & vox absolute spectata, cogniti esse debent, antequam hæc tanquam signum, & illi tanquam signata cognosci queunt. Prius enim novimus *hominem* aut *arborēm*, & hæc vocabula per se; & postea constitutus inter nos, hæc vocabula istos conceptus aut res significatura, aut jam significare ab aliis constitutum esse discimus. Quoniam vero multiplex apud Philosophos occurrit cognitio, intellectualis, sensualis, vel alia rudior, si qua est, non necesse est, illam de qua hec sermo habetur, esse accuratam & intellectualem, quamvis esse possit; sed sufficit sensualis, aut alia minor, si qua reperiatur. Neque enim ut sciām, quid voce *homo* aut *arbor* denotetur, illorum intima natura mihi esse perspecta debet; sed satis est vel semel vel aliquoties me illos vidisse, aut alio sensu accepisse, vel alio modo ad eorum aliqualem cognitionem pervenisse, quemadmodum id cuilibet notum. Ex quibus omnibus, ut & quod vocabula nullam analogiam, nihilque conceptum rerum ve significatarum in se contineant, haud difficile colligere est, quantum menti in

rerum

E P I L O G U S.

rerum cognitione adipiscenda opis præstare queunt. Primo enim nulla vocabula, si seorsim sumantur, eorumque ignoretur significatio, unquam rerum, quas denotant, ideas in intellectu producere poterunt. Nam quamvis centies & amplius audias, vel legas voces has, *Deus* & *Omniscientia*, nequaquam eo in Dei vel Omnipotenti cognitionem duceris. Deinde etiam, quamquam conjunctim in oratione proponuntur, rerumque quas designant, aliquam sensualem radioremve habemus cognitionem, nullo tamen modo intellectualē gignere valent: neque enim huic procreandæ sufficit illa, aut si qua infra eam posita est. Sic ex. grat. si in hanc enunciationem *Deus est omniscius*, incidat quis, qui rudi duntaxat cognitione, non vero accurate noverit, quid *Deus* & *omniscientia* sint, non assequetur inde veram intellectualē hujus integræ sententiaz, ita ut mente clare distinckeque percipiat, *Deum* esse omniscium. Denique quantumvis claras distingueque rerum vocibus significatarum, ex grat. Dei & Omnipotentiæ menti representatas habeamus ideas; nondum tamen hæc oratio, *Deus est omniscius*, si legatur vel audiatur, causa poterit esse per se, quod, ut oportet, intelligas, *Deum* esse omniscium, sed tantum occasionalis, impulsiva, aut aliqua similis. Neque enim illæ voces vera causalitate efficere queunt, ut certo evidenterque perspectum habeat quis, Omnipotentiam ad Dei naturam pertinere: sed tantum sunt occasio vel incitamentum, quo intellectus erigitur ac inducitur, ut ideas Dei & Omnipotentiæ attentius contempletur, ac inter se

E P I L O G U S.

se conferat, ac sic hanc in illa necessario includi deprehendat.

Jam vero quoniam omnes libri ex orationibus inter se connexis copulatisque constant atque conflantur, evidentissime consequitur, summam maximamque, quam rebus vere accurateque cognoscendis, intelligendisque præbere, queunt utilitatem, in eo solo consistere, quod Lectori cogitationem injiciant, eumque excitent ad ideas, quas jam rerum in mente efformatas habet claras atque distinctas, quæque in illis libris vocabulis denotantur, contemplandas, inter se comparandas, ac, num una alteri includatur aut connexa sit, examinandas: nulla vero ratione intellectum in veram rerum cognitionem ex aut per se posse deducere; multo minus menti ideas claras distinctasque, si antea infusæ, inditæque non fuerint, indere, aut infundere, aut imprimere, aut alio aliquo modo ingenerare.

His prælibatis, ad supra motam difficultatem amovendam dicimus, S. Scripturam, quoniam cum aliis libris in eo, quod ex orationibus componatur, convenit, etiam cum iisdem in veritate docenda convenire debere: atque adeo tantum conducere ad lectores suos excitandos compellendosque, ut de rebus, de quibus in illa sermo fit, cogitent, in illas inquirant, & num ita, quemadmodum propónitur, cum iis comparatum sit, exattingent. Quod ut prætent, Philosophia, & quicquid jam cognitum atque perspectum habent in subsidium vocandum, quo, quæ prædicatum subiecto conveniat, perspiciatur, enunciationis veritas eruatur, & simul verus sensus eliciatur atque educatur.

E P I L O G U S.

catur. Vnde liquet veritatem non semper , in Scripturæ per Philosophiam interpretatione; sensum præcedere deberè : adeoque minime supervacaneum esse , Scripturam adire atque consuere ; non quidem ut illa veritatem aut per sentibus nostris ingeneret, aut clariorem distinctionemque reddat , aut magis firmam faciat : sed ut, quemadmodum diximus , occasionem materialique cogitandi suggestat, & quidem de talibus; de quibus forsitan alias nunquam cogitassemus. Quorum etiam summam hominum beatitudinem concernentium , adeoque illis præ cæteris omnibus conduceantur ; non autem veritatis docendæ respectu ejus utilitas , & maxima , & aliorum librorum utilitati longe anteponenda est : quemadmodum passim omnium librorum utilitas præ rerum, de quibus agunt , præstantia aut vilitate magni aut parvi ducitur atque estimatur.

Atque ex his etiam luce meridianâ clarus apparet, quam longe à veri tramite deflectant, ac misere errent illi Theologi , qui ex solarum S. Literarum lectione , sine ulla alia rerum consideratione atque contemplatione , solidam S S. Theologizæ notitiam hauriri posse, sibi persuaserunt, atque aliis persuadent , solamque adeo ejus lectio nem commendantes , à Philosophiz , aliarumque ingenuarum disciplinarum studio abducunt atque deterrent: Cum fine his ne unius quidem rei perfecta scientia inde addisci, aut idea clara ac distincta acquiri : imo falsa ac perversa sola ejus lecture corrigi queat; tum enim omnes , qui S. Codices lexitant , eosdem de rebus , quæ in illis per tractantur , deberent habere conceptus. Quod

P

cum

E P I L O G U. S.

cum non fiat, alia, qua id confici possit, via tentanda atque terenda erit; seria nempe adhibita præjudiciorum abdicatione, & attenta rerum ipsarum contemplatione, ac ex his emergente vera earundem cognitione, quæ Philosophia est.

Quocirca omnes, qui Theologiæ operam navant, quique nostræ sententiæ afflentur amplectenturque veritatem (neque enim omnes tam obsecatos, ut nulli ejus lux sit affulsura, aut tam obstinatos, ut nullum ad suas partes pertractura sit, credimus) monitos regatosque volumus: ut ad veram sibi, si nondum ea imbuti sunt, comparandam Philosophiam, eaque auspice & duce, rejectis præjudiciis dogmatibusque in Theologia sine certo inconcusoque fundamento admissis, ad nova reperiunda ac stabilienda, aut vetera vera confirmanda ac demonstranda omnes ingenii intendant nervos, omnia sua dirigant studia.

Et quanvis admodum brevi angustoque. conclusa adhuc sit ambitu, adeoque non multa huc facientia sufficere queat, cum apud veteres, si Mathematicos excipias, Philosophos nihil fere solidi evidenterque demonstrati occurrat; & à recentioribus id genus pauca tantum excogitata atque reperta sint: Satius tamen meliusque censemus, pauca vera certo cognoscere, quam multa falsa atque dubia, tanquam vera atque certa, & sibi persuadere, & aliis obtrudere. Quibus adde, quod non levis arrideat spes, Philosophiæ pomœria his temporibus, quibus maximus ille ejus instaurator atque propagator Renatus Des Cartes

E P I L O G U S.

orbi literario facem præluxit , suoque præivit
exemplum , ab aliis , qui ipsius vestigiis insistere
volent , longe lateque extentum iri ; ac talia de
Deo , Anima rationali , summa hominis felicitate ,
& id genus aliis ad vitæ æternæ acquisitionem
spectantibus , in lucem protractum , quæ utram-
que in Scripturis interpretandis paginam absolu-
vent , ac viam sternen parabuntque planam ,
atque rectam , qua Christi Ecclesia , hactenus di-
visa atque continua divulsa dissidiis , in amici-
tiam suaviter coeat ac confluat , cuius arctissi-
mis dulcissimisque astricta vinculis , in posterum
unita atque unanimis his in terris vigeat , floreat ,
ac crescat , nec non in finum suum alienas adhuc
à se gentes pertrahat & alliciat , ac tandem in
cœlis beata triumphet .

F I N I S.



Österreichische Nationalbibliothek



